HISTORIA DIPLOMATICA FRIDERICA SECUNDI: SIVE CONSTITUTIONES, ...

Jean-Louis-Alphonse Huillard-Bréholles, ...

Digitized by Google

Digitized by Google

E P D

Huillard-

Bréholles

Digitized by Google

Digitized by Google

E B D

Huillard-

Bréholles

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

Digitized by Google

HISTORIA DIPLOMATICA

FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS IV.

PARS I.

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

8, VIA DICTA GARANCIÈRE.

MDCCCLIV

Digitized by Google

HISTORIAE DIPLOMATICAE

PARS QUARTA.

A MENSE SEPTEMBRI 1231 AD MENSEM JUNIUM 1235.

Bulla aurea Friderici Secundi. Vide privilegium mensis septembris 1234, p. 485.

TOMI QUARTI PARS PRIMA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSTITUTIONES

REGNI SICILIAE

TUM MELFIENSES, TUM QUAE POSTEA DIVERSIS TEMPORIBUS
A FRIDERICO SECUNDO EDITAE FUERUNT.

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

ANNO 1231. — INDICTIONE 4 ET 5.

Constitutiones regni Siciliae a Friderico secundo apud Melfiam editae, in quibus leges tam a suis praedecessoribus quam ab ipso antea publicatae concluduntur.

In solemni consistorio Melfiensi, augusto-septembri.

(Constitutionum autographo temporis vel, ut dicunt, Andegavensium injuriis deperdito, vix credi potest quanta labe foedata fuerint quae circumferri coeperunt exemplaria manu scripta, donec prima editio apud Neapolim per SIXTUM RIESSINGER anno 1475 tandem typis prodierit. Quae vero deinceps subsecutae sunt, annis scilicet 1533, 1535, 1541, 1551 et 1552, aliae aliis nequiores, mendis mendas addiderunt. Licet Veronensis quidam jurisconsultus, nomine SARAYNA, Lugduni, anno 1568, Constitutiones denuo ediderit et praecedentibus suas multo nitidiores fore promiserit, spe doctorum omnino delusa, res imperfecta remansit. Quam tamen in *Codice legum antiquarum* editionem LINDENBROGIUS publici juris fecit (Francofurti 1613), praestantiorem periti non immerito censuerunt. Sed hunc *Codicem* posteri editores consuluisse non videntur, dum illud quod anno 1773 prodiit exemplar, quanquam se absolutissimum praetenderet, plurimis adhuc scateat erroribus. Unde PECCHIA (*Storia civile e politica del regno di Napoli*) ad calcem primi sui voluminis nonnullas sententias non absone corrigendas proposuit, nova paulo post prodeunte editione per CANCIANUM, Venetiis, 1781. Anno tandem 1786, Neapoli, CAJETANUS CARCANI, regiae typographiae praefectus, ad editionem principem tanquam ad optimum fontem

Digitized by Google

reversus, non neglectis tamen caeteris editionibus, multo emendatiorem textum instituit.

Latino praeterea primus graecum adtexuit, e celebri illo exemplari quod in praecipua Parisiensi bibliotheca n° 3370[2] asservatur. Montfaucon qui titulos omnes graecarum Constitutionum profert, postquam etiam characterum formas exhibuisset (*Palaeogr. Graeca*, lib. IV, p. 320; lib. VI, p. 418), hoc exemplar ait ex ipso autographo et adhuc imperante Frederico, sibi videri descriptum. Licet enim latino graecus codex non omnino quadret, praecipue in Constitutionum ordine et titulis, fatendum est hunc tum propter antiquitatem, tum propter brevitatem, omissis quae in latinum postea irrepserunt interpolationibus, propius cum autographo concordare. Si autem operae et impensae parcendi causa, graecum textum denuo non duxerimus exhibendum, variantes omnes quae in eo deprehenduntur lectiones sedulo addidimus.

Carcanianam editionem quam sequimur, cum duobus bibliothecae Parisiensis codicibus (*Anc. fonds latin*, 4624 A et 4625) contulimus; quorum alter, decimo quarto seculo exaratus, graeco textui apprime respondet, quum nullam ex istis constitutionibus novis quae post annum 1231 variis temporibus publicatae sunt et in graeco desunt, intercludat. Quo perspecto, corpus legum apud Melfiam editarum ad fidem tum codicis graeci, tum latini 4625, primum damus sub integra quae ipsi convenit forma, membraque superinducta, leges scilicet quae *novae* dicuntur, in appendice separamus. Si quae tamen inter illas sub certa epocha datae fuerint, singulariter ad suum quamque tempus rescribemus, dum chronologicum ordinem, praecipuam instituti nostri rationem, semper observandum habeamus. Commentariorum nulla nobis cura: sublatis enim textus maeandris, facile cuivis erit, ut Carcanus monet, recto tramite pedem inferre.)

IMPERATOR FREDERICUS II,

ROMANORUM CAESAR SEMPER AUGUSTUS, ITALICUS, SICULUS, HIEROSOLYMITANUS, ARELATENSIS, FELIX, VICTOR AC TRIUMPHATOR (1).

Incipit liber primus imperialium constitutionum.

(1) Codici graeco quinque illi iambi insuper praefiguntur : Ῥώμης ὁ κλεινὸς εὐσεβέστατος μέδων, — Αἰλίας αὖ ῥῆξ, πρὸς δὲ καὶ Σικελίας, — Φρεδερίκος, κράτιστος ἐν στεφηφόροις, — Νέον νόμον τίθησι Σικελῶν κράτει — Ὃν καὶ πέπομφε λύτρον ἠδικημένοις.

Romae inclytus piissimus imperator, — Aeliae (Ierosolymae) item rex pariterque Siciliae, — Fredericus, potentissimus inter coronatos, — novam legem ponit Siculorum imperio, — quam etiam misit [in] redemptionem passis injuriam.

Digitized by Google

PROOEMIUM. A (1).

Post mundi machinam Providentia divina formatam, et primordialem materiam nature melioris conditionis (*a*) officio in rerum effigies distributam, qui facienda previderat facta considerans et considerata commendans, a globo circuli lunaris inferius hominem creaturarum (*b*) dignissimam creaturam, ad imaginem propriam effigiemque formatam, quem paulo minus minuerat ab Angelis, consilio perpenso disposuit preponere ceteris creaturis : quem de limo terre transumptum vivificavit in spiritum, ac eidem honoris et glorie diademate coronato uxorem et sociam partem sui corporis aggregavit; eosque tante prerogative munimine decoravit ut ambos efficeret primitus immortales; ipsosque verumtamen sub quadam lege precepti constituit, quam quia servare tenaciter contempserunt, transgressionis eosdem pena damnatos ab ea, quam ipsis ante contulerat, immortalitate proscripsit. Ne tamen in toto quod ante formaverat tam ruinose, tam subito divina clementia deformaret, et ne hominis forma destructa sequeretur per consequens destructio ceterorum, dum carerent subjecto (*c*) proposito et ipsorum commoditas ullius usibus (*d*) non serviret, ex amborum semine terram mortalibus fecundavit ipsamque subjecit eisdem. Qui paterni discriminis non ignari, sed in ipsos a patribus transgressionis vitio propagato (*e*), inter se odia invicem conceperunt, rerum dominia jure naturali communia distinxerunt; et homo quem Deus rectum et simplicem procreavit, immiscere se questionibus non ambegit. Sicque ipsa rerum necessitate cogente nec minus divine provisionis instinctu, principes gentium sunt creati per quos posset licentia scelerum coerceri : qui vite necisque arbitri gentibus

(*a*) In omnibus editionibus Carcaniana vetustioribus deest vox *conditionis*.

(*b*) In caeteris quoque editionibus deest vox *creaturarum*.

(*c*) Vox *subjecto* deest in versione graeca. In aliis editionibus et in cod. *subjecta*.

(*d*) Graece τοῖς ἤθεσι, cum vera vocis intelligentia sit : *necessitatibus*.

(*e*) Graece tamen ῥιζωθέντος τοῦ πάθους, scilicet : *sed in ipsis radicato vitio paternae transgressionis*.

Digitized by Google

qualem quisque fortunam, sortem, statumque haberet, velut executores quodammodo divine Providentie stabilirent. De quorum manibus, ut vilicationis sibi commisse perfecte reddere valeant rationem, a Rege regum et Principe principum ista potissime requiruntur ut sacrosanctam (*a*) Ecclesiam, christiane religionis matrem, detractorum fidei maculari clandestinis perfidiis non permittant et ut ipsam ab hostium publicorum incursibus gladii materialis potentia tueantur, utque pacem populis eisdemque pacificatis justitiam, que velut due sorores se ad invicem amplexantur, pro posse conservent. Nos itaque quos ad imperii Romani fastigia et aliorum regnorum insignia sola divine potentie dextra preter spem hominum sublimavit, volentes duplicata talenta nobis credita reddere Deo vivo, in reverentiam Jesu Christi, a quo cuncta suscepimus que habemus, colendo justitiam et jura condendo mactare disponimus vitulum labiorum; ei parti nostrorum regiminum primitus providentes que in presentiarum (*b*) provisione nostra circa justitiam magis dignoscitur indigere. Cum igitur regnum Sicilie, nostre majestatis hereditas pretiosa, plerumque propter imbecillitatem etatis nostre, plerumque etiam propter absentiam nostram, preteritarum perturbationum incursibus extiterit hactenus lacessitum; dignum fore decrevimus ipsius quieti atque justitie summo opere providere, quod ad nostre serenitatis obsequia, resistentibus aliquibus etiam qui non de ovili regni prefati nec de nostro (*c*) erant, promptum semper invenimus et devotum. Presentes igitur nostri nominis sanctiones in regno nostro Sicilie tantum volumus obtinere (*d*); quas cassatis in regno predicto legibus et consuetudinibus his nostris constitutionibus adversantibus, quasi jam (*e*) antiquatis, inviolabiliter ab omnibus in futurum precipimus observari. In quas precedentes omnes

(*a*) In caeteris additur *Romanam*.

(*b*) Ap. Carcani *in presentia*, minus recte.

(*c*) *Nec de nostro* in graeco desunt.

(*d*) In graeco κρατῆσαι, *regnare;* unde etiam noscitur aliquid in latino deesse: forsitan *regnum obtinere*, ut melius graeco respondeat.

(*e*) *Quasi jam* in latino desunt. Ex graeco addimus, cum sint sensui necessaria.

Digitized by Google

regum Sicilie sanctiones et nostras [quas servari decernimus] (*a*), jussimus esse transfusas, ut ex his que in presenti constitutionum nostrarum corpore minime continentur, robur aliquod nec auctoritas aliqua in judiciis vel extra judicia possint assumi.

TITULUS I. B (2).

De hereticis et patarenis (1).

Inconsutilem tunicam Dei nostri dissuere conantur heretici, et vocabuli vitio servientes quod significationem divisionis enuntiat, in ipsius indivisibilis fidei unitatem nituntur inducere sectionem et oves a Petri custodia, cui pascende a Pastore Bono sunt credite, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus et eousque mansuetudinem ovium pretendentes quousque possint ovile subintrare dominicum (*b*). Hi sunt angeli pessimi, hi sunt filii pravitatum a patre nequitie et fraudis auctore ad decipiendas simplices animas (*c*) destinati. Hi sunt colubri qui columbas decipiunt : hi sunt serpentes qui latenter videntur inserpere et sub mellis dulcedine virus evomunt, ut dum vite cibum ministrare se simulant, a cauda feriunt et mortis poculum velut quoddam dirissimum aconitum immiscent. Horum secte veteribus (*d*) ne in publicum prodeant non sunt notate nominibus, vel, quod est forte nefandius, non contente (*e*), ut vel ab Ario

(*a*) Hec tria verba in graeco et in cod. 4625 desunt. Ita in posterum quae in latino textu abundant uncis includemus.

(*b*) Ap. Petr. de Vin. additur : *quod post ipsorum interitum desiderant demoliri.*

(*c*) In graeco : *ad innocentes et simplices animas;* ap. Petr. de Vin. et in cod. brevius etiam *ad simplices animas.* In ambobus *decipiendas* deest.

(*d*) Ap. Carcani additur *legibus,* quod neque in graeco neque ap. Petr. de Vin. inseritur et reipsa inutile est.

(*e*) Ex caeteris constitutionum editionibus et etiam ex Petr. de Vin. et cod. legimus *contentae.* Carcani vero admisit *contemptae,* forsitan ex graeco οὐκ ἐξουδενώθησαν. Graecus tamen in pravum sensum abiit, dum vocem autographi *contentae* perperam in *contemptae* fuerit interpretatus.

(1) Cf. Petr. de Vineis, *Epist.*, lib. I, cap. 26.

Ariani vel a Nestorio Nestoriani aut a similibus similes nuncupentur, sed in exemplum martyrum qui pro fide catholica martyria subierunt, Patarenos se nominant velut expositos passioni. Hujusmodi vero miseri Patareni a quibus abest sancta credulitas Trinitatis eterne, sub uno contextu nequitie insimul tres offendunt, Deum videlicet, proximos et se ipsos : Deum cum Dei fidem et filium non cognoscunt; decipiunt proximos, dum ipsis sub specie spiritualis alimonie heretice pravitatis oblectamenta ministrant; crudelius etiam seviunt in seipsos, dum preter animarum dispendium corpora denique seve mortis illecebris (*a*), quam per agnitionem veram et vere fidei firmitatem (*b*) possent evadere, vite prodige et necis improvidi sectatores involvunt; et quod est ipso dicto durissimum (*c*), superstites etiam non terrentur exemplo. Contra tales itaque Deo, sibi et hominibus sic infestos continere non possumus motus nostros quin debite ultionis in eos gladium exeramus, et tanto ipsos persequamur instantius quanto in evidentiorem injuriam fidei christiane, prope Romanam Ecclesiam que caput aliarum ecclesiarum omnium judicatur, superstitionis sue scelera latius exercere noscuntur; adeo quod ab Italie finibus, presertim a partibus Lombardie in quibus pro certo perpendimus ipsorum nequitiam amplius abundare (1), jam usque ad regnum nostrum Sicilie sue perfidie rivulos derivarunt (*d*). Quod acerbissimum reputantes, statuimus in primis ut crimen hereseos et damnate secte cujuslibet, quocumque censeantur nomine sectatores, prout veteribus legibus est indictum (*e*), inter publica crimina numeretur (*f*). [Immo crimine lese majestatis nostre

(*a*) Simplicius in graeco : *mortis periculis.*

(*b*) Simplicius quoque in graeco : *per agnitionem verae fidei.*

(*c*) In graeco : αὐτῷ τῷ λόγῳ δεινότερον, rectius.

(*d*) Brevius autem in graeco : *adeo quod a finibus Lombardiae usque ad nostrum regnum Siciliae ipsorum perfidiae rivuli decurrunt.*

(*e*) Ap. Carcani *inductum*, minus recte. Alias quoque *distinctum.*

(*f*) Sic ex graeco et ex sensu legendum, licet in omnibus *numerentur.*

(1) Cf. constitutionem de hac re pro Lombardia editam, Cataniae martio 1224, t. II, p. 421-423.

Digitized by Google

debet ab omnibus horribilius judicari quod in divine majestatis injuriam dignoscitur attentatum, quamquam in judicii potestate alter alterum non excedat.] Nam sicuti perduellionis crimen personas adimit damnatorum et bona, et damnat post obitum etiam memoriam defunctorum, sic et in predicto crimine quo Patareni notantur (*a*) per omnia volumus observari. Et ut ipsorum nequitia, qui quia Deum non sequuntur in tenebris ambulant, detegatur, nemine etiam deferente, diligenter investigari volumus hujusmodi scelerum patratores, et per officiales nostros sicut et alios malefactores inquiri, ac (*b*) inquisitione notatos, etsi levis suspicionis argumento tangantur, a viris ecclesiasticis et prelatis examinari jubemus; per quos si evidenter inventi fuerint a fide catholica saltem in aliquo (*c*) deviare, ac per ipsos pastorali more commoniti, tenebrosis Diaboli relictis insidiis noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erroris concepti constantia perseverent, presentis nostre legis edicto damnatos mortem pati Patarenos (*d*) decernimus quam affectant, ut vivi in conspectu populi comburantur flammarum commissi judicio (*e*); nec dolemus quod in hoc ipsorum satisfacimus voluntati ex quo penam solummodo nec fructum aliquem alium consequuntur erroris. Apud nos pro talibus nullus intervenire presumat; quod si quis fecerit, in ipsum nostre indignationis aculeos non immerito (*f*) convertemus.

(*a*) Ap. Carcani *vocantur*, quod magis graeco quadrat : *sic et in dictorum Patarenorum nomine*, nisi pro ὀνόματι legendum sit ἀνομήματι.

(*b*) Ap. Petr. de Vin. additur : *vinculis detineri.*

(*c*) Ibidem et in codice Paris. *in articulo.*

(*d*) Ap. Petr. de Vin. additur : *aliosque hereticos quocumque nomine censeantur;* sed deest in codicibus et in graeco.

(*e*) Ap. Petr. de Vin. additur : *Ut animarum incendia patiantur ;* sed deest in codicibus et in graeco.

(*f*) *Non immerito* deest in codice 4625 et in graeco.

TITULUS II. Γ (3).

De patarenorum receptatoribus, credentibus, complicibus, et fautoribus (1).

IMPERATOR FREDERICUS.

Patarenorum receptatores, credentes (*a*) et complices et quocumque modo fautores qui ut a pena possint alios eximere, de se velut improvidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus; et ipsorum filii ad honores aliquos nullatenus assumantur, sed infamie perpetue nota laborent ut nec in testes in causis (*b*) a quibus repelluntur infames, aliquatenus admittantur (*c*). Si tamen aliquis de filiis (*d*) receptatorum vel fautorum detexerit aliquem Patarenum cujus hujusmodi manifeste probetur perfidia, in fidei premium quam agnovit fame pristine de imperiali clementia restitutionis in integrum beneficium consequatur (*e*).

TITULUS III. Δ (1).

De apostatantibus.

REX ROGERIUS (2).

Apostatantes a fide catholica penitus exsecramus, insequimur ultione,

(*a*) Graece : *Paterenorum receptatores dictos* χριδέντας *id est* πιστεύοντας (credentes).

(*b*) Sic in Cod. Paris. Ap. Carcani *in casibus*, minus recte.

(*c*) A verbis *sed infamiae* usque ad *admittantur* desunt ap. Petr. de Vineis. Graece autem brevius et simplicius : *filii autem ipsorum omni honore privati habeantur et in testimonium non admittantur.*

(*d*) Ap. Petr. de Vin. : *Si tamen aliquis fautorum hujusmodi detexerit*, omisso *de filiis.*

(*e*) Graece simplicius : *in retributionem fidei quam agnovit, a dicta infamia liberabitur.*

---

(1) Cf. Petr. de Vin., *Epist.*, lib. I, cap. 27, sub initio.

(2) Addimus ex renovatione hujus constitutionis et aliarum facta, Cremonae 14 maii 1238, cujus originale reperitur in archivo Carpentoracti. Codex Paris., 4624 A, regi quoque Rogerio hunc titulum attribuit.

Digitized by Google

bonis omnibus spoliamus, et a professione vel voto naufragantes legibus coartamus, successiones tollimus et omne jus legitimum abdicamus (*a*).

TITULUS IV. ς (6).

Ut nullus se intromittat de factis seu consiliis regum (*b*).

REX ROGERIUS.

Disputare de regis judicio, consiliis et institutionibus factis non oportet; est enim pars sacrilegii disputare (*c*) de ejus judiciis, factis et constitutionibus atque consiliis, et an is dignus sit quem rex elegit et decrevit.

TITULUS V. Z (7).

De arbitrio regis (*d*).

REX ROGERIUS.

Multe leges sacrilegos sevissime punierunt, sed pena moderanda est ex arbitrio judicantis, nisi forte manifeste (*e*) templa Dei fracta sint (*f*) violenter, aut dona et vasa sacra noctu sublata sint; hoc enim casu crimen capitale est.

(*a*) Graecus codex non nisi de apostasi a fide catholica facit verba hunc in modum : *A catholica fide apostatantes ubique persequentes, omnibus bonis suis illos spoliamus et honore illos carere volumus, successionem et omne aliud legitimum jus ipsis auferentes.* Rursus latina de apostatantibus *a professione vel voto* mentionem etiam injiciunt.

(*b*) Graece : *De iis qui circa regias constitutiones curiosius inquirunt.*

(*c*) Graece vero simplicius : *Est enim simile crimini sacrilegii de his disputare et dicere si dignus sit quem rex elegerit et dignum esse decreverit.*

(*d*) Ap. Lindebrog *De crimine sacrilegii* et in graeco Περὶ ἱεροσύλων.

(*e*) Hanc vocem perperam legit graecus *manu facta* pro *manifeste*, dum vertat χειροποίητα τιμένη, scilicet *hominum manu facta templa.* In codice quoque 4625 *manu facta.*

(*f*) In graeco tantum θλασθήσονται.

TITULUS VI. H (8).

De usurariis puniendis (*a*).

REX GUILLELMUS (1).

Statuimus ut juxta decretum domini pape de usuris nuper in Romana curia promulgatum, questiones usurariorum, que ad curiam nostram adducte fuerint, in eadem definiantur et terminentur.

De eodem (*b*). Θ (9).

IMPERATOR FREDERICUS.

Usurariorum nequitiam, qui non tam utuntur pecuniis, sed ut loquamur proprius, abutuntur, sanctorum Patrum sententiis condemnatam, persequi disponentes, imperialis celsitudinis motum, quem nos etiam pro arbitrio celesti suscepimus, divine conjungimus ultioni; hujusmodi nostre constitutionis edicto omnibus regni nostri fidelibus et quibuslibet aliis in regno morantibus, etiam si extra regnum fuerint oriundi, firmiter inhibemus, ut nullus in posterum pecunias suas per se vel per alios mutuo sub magnis usuris vel minimis dare fenori audeat publice vel occulte. Et ut ipsorum audacia, qui sue salutis immemores et edicti nostri extiterint temerarii contemptores, inulta non maneat, presenti lege sancimus ut quicunque amodo fenerator in regno inventus fuerit, omnium bonorum suorum tam mobilium quam stabilium publicatione damnetur. Omnibus etiam regni nostri fidelibus concedimus liberam potestatem usurariorum nequitiam in publicum deferendi, nec a delatione propterea aliquis repellatur, quod damnum proprium, vel suorum, vel suam injuriam minime persequatur; sed crimen istud presenti lege sit

(*a*) In graeco : Περὶ τοῦ δικαστηρίου τῶν τοκιστῶν.

(*b*) In graeco : Περὶ ποινῆς τοκιστῶν.

---

(1) In plerisque editionibus et ap. Carcani, *rex Rogerius*. Correximus tamen ex edit. Venet. et ex codic. Paris. Alluditur enim tempori quo regnante Alexandro III duo habita sunt concilia ubi usurariorum res male se nimium gessit. De Guillelmo autem hujus nominis secundo agitur.

Digitized by Google

publicum, ita quod omnibus, qui in actionibus et in criminibus publicis admittuntur usurarios accusandi licentia tribuatur (*a*). A nexu tamen presentis constitutionis nostre judeos tantum excipimus, in quibus non potest argui fenus illicitum (*b*), nec divina lege prohibitum, quos constat non esse sub lege a beatissimis patribus instituta, quos etiam auctoritate nostre licentie improbum fenus nolumus exercere; sed metam ipsis imponimus, quam eis non licebit transgredi, videlicet ut pro decem unciis per circulum anni integri unam ipsis tantummodo lucrari liceat pro usuris; quicquid autem ultra acceperint, in nonum curie nostre componant, nec ex abusu licentie quam eisdem propter necessitatem hominum coacti relinquimus, commodum ultra licitum consequantur.

TITULUS VII. I (10).

De decimis.

IDEM AUGUSTUS.

Quanto ceteris terre principibus munifica dextera Salvatoris in temporalibus nos prefecit, tanto saltem (*c*) juris naturalis (*d*) instinctu ad antidora strictius obligamur; cum etiam veritate dicente, ab eo cui amplius creditur, amplius exigatur. Quod in nostre mentis intrinsecus meditatione sollicita revolventes, et illud etiam attendentes quod solutio decimarum, quarum debitum ex utriusque tabulis Testamenti confirmatur, tanto in oculis Domini pretiosior redditur, quanto decimalis oblatio de bonis hominum, velut electum quoddam et spirituale peculium a Domino reputatur, officialibus nostris universis et singulis presentis legis auctoritate mandamus, ut decimas integre, prout regis Guillelmi tempore consobrini et predecessoris nostri, ab antecessoribus officialibus et ba-

(*a*) In graeco autem simplicius : καὶ δοθήτω ἄδεια πᾶσι τοῖς δυναμένοις κατηγορεῖν ἐγκληματικῶς καὶ τούτων κατηγορεῖν.

(*b*) Graece vero aliter et melius : ἐξηρημένων ἀπὸ τῆς ἐνοχῆς τῆς παρούσης διατάξεως τῶν Ἰουδαίων, ἐν οἷς κωλυθῆναι οὐ δύναται ἡ ἀπρεπὴς τῶν τοκιστῶν ἀπαίτησις.

(*c*) Perperam scriptor graecus legit *salute*, dum vertat τῇ σωτηρίᾳ.

(*d*) *Naturalis* deest in graeco.

julis exsolute fuerunt, locorum prelatis exsolvere absque omni difficultate procurent (1). Nos enim, qui favente Domino, inter homines sumus in preeminenti culmine constituti, quantum sine injuria nostrorum regalium possumus tolerare, ecclesiarum jura et presertim earum que in regno consistunt, et quas sub protectione nostra recepimus et habemus, in nullo diminuere volumus, sed augere. Subjectis nostris etiam indicimus, ut decimas, quas de feudis et bonis suis antecessores eorum predicti regis Guillelmi tempore prestiterunt, venerabilibus locis, quibus decime ipse debentur, cum integritate persolvant.

TITULUS VIII. E (5).

De cultu pacis, et generali pace in regno servanda (a).

IDEM AUGUSTUS.

Pacis cultum, qui a justitia et a quo justitia abesse non potest (*b*), per universas et singulas partes regni nostri precipimus observari; ut nullus auctoritate propria de injuriis et excessibus dudum factis, vel faciendis, in posterum se debeat vindicare (*c*), nec presalias seu represalias facere, vel guerram in regno movere; sed coram magistro justitiario et

(*a*) In graeco autem : Περὶ τῶν βίαν ἢ ὕβριν ὑπομενόντων καὶ παρευθὺς διφενδευομένων.

(*b*) In codice palatino simpliciter : ***Pacis cultum qui a justitia abesse non potest,*** cum quo fere convenit graecus : Ἐπειδὴ τὸ δίκαιον τῆς εἰρήνης ἐτὶ θεραπεία, ἀφ' ἧς ἡ δικαιοσύνη διαχωρισθῆναι οὐ δύναται.

(*c*) Sensum perperam graecus mutare videtur, dum illud *in posterum* verbo *faciendis* adnectat, ut sequitur : περὶ πταισμάτων τῷ παρελθόντι καιρῷ γεγενημένων ἢ εἰς τὸ ἔμπροσθεν γενησομένων, δί' ἑαυτοῦ διεκδίκησιν λαμβάνειν θαρρήσῃ.

---

(1) Ex diversis chartis a Gregorio laudatis (*Consider. sopra la storia di Sicil.*, lib. I, cap. IV, not. 21) constat decimas praelatis ecclesiarum de redditibus veterum cabellarum et jurium curiae, sicut sub Normannis mos erat, exsolvi consuevisse; de redditibus vero *novorum statutorum* a Friderico secundo impositorum nunquam perceptas fuisse. « Ecclesia Agrigentina semper consuevit percipere et habere decimas omnium regalium proventuum terre Agrigenti et aliarum terrarum totius sue diocesis. . . . . preterquam regalium proventuum de novo statutorum per quondam imperatorem Fredericum, videlicet fundaci, statere, angemie, salis et ferri, borderie, cambii et cabelle joculatorie inter Judeos. » Chart. ann. 1266, *ibidem*.

Digitized by Google

justitiariis regionum, vel locorum camerariis, vel bajulis, et dominis, prout ad unumquemque eorum cause cognitio pertinet, causam suam [ordine judicario (*a*)] prosequatur. Ceterum si contingerit alicui violentis injuriis provocato, ob tutelam sui corporis seu rerum suarum, defensionem necessario adhibere, ipsam eidem in continenti, prius scilicet quam divertat ad alios actus vel extraneos, non vetamus, cum moderatione tamen inculpate tutele; ita videlicet, ut similibus et equalibus armis se defendere valeat, quibus et qualibus extitit impugnatus : ita ut si armis molutis impugnatus fuerit, liceat et armis molutis se defendere. [Si sine armis molutis, vel quibuslibet armis adversarius suus eum impugnaverit, eodem impugnationis genere se defendat; dum tamen in continenti hoc faciat (*b*)], ut est dictum.

TITULUS IX. IA (11).

De his qui in regno guerram moverint, et de presaliis puniendis (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Comes, baro, miles, seu quicunque alius, qui publice guerram in regno moverit, confiscatis bonis suis omnibus, capite puniatur. Qui autem presalias seu represalias fecerit, medietatis bonorum suorum omnium proscriptione (*d*) damnetur.

TITULUS X. IB (12).

De illicita portatione armorum [*et pena percutientium cum eis*].

IDEM AUGUSTUS.

Intentionis nostre salubre propositum non tam circa punienda maleficia commissa versatur, quam ut in committendis eisdem via et materia

(*a*) Haec desunt in graeco et ex notis in textum irrepsisse videntur.
(*b*) Haec omnino desunt in graeco nec novi quidpiam afferunt.
(*c*) In graeco : Περὶ κομήτων καὶ ξαρουνίων ἐν τῷ κράτει στάσιν ἐγειρόντων.
(*d*) Vox omnino convenit graeco δημεύσει, scil. *publicatione*.

Digitized by Google

precludatur. Quia igitur tam violentiis quam homicidiis ipsis armorum interdum prohibitorum portatio causam prestat, occurrere potius eligentes in tempore, quam post exitum vindicare, presenti lege omnibus regni nostri fidelibus inhibemus ut nullus arma moluta et prohibita, cultellos cum punctis scilicet, et enses, lanceas, pancerias, scuta vel loricas, clavas ferreas etiam, et alia omnia, que nocendi magis causa quam alterius cujuscumque liciti operis gratia sunt parata (*a*), secum deferre presumat. Curialibus autem et servientibus eorum, quousque nobiscum in curia commorantur, vel domum aut domo redeunt, vel pro nostris servitiis transmittuntur, arma predicta prohibita aliis deferre permittimus. A tenore etiam presentis sanctionis eximimus milites et filios militum et burgenses, quibus enses deferre, cum ipsos extra loca que inhabitant pro agendis suis (*b*) equitare contigerit, minime prohibemus : ita tamen ut cum ad predicta loca reversi fuerint, vel alicubi hospitentur, enses ipsos incontinenti deponant. Quisquis autem post hec prohibita arma detulerit : si quidem comes fuerit, quinque uncias; si baro, quatuor; si miles simplex, tres; si burgensis, duas; si rusticus fuerit, unam unciam fisco nostro componat. Quam penam si egentes propter inopiam forte deludant, publicis operibus deputentur ad tempus; que omnia per magistrum justitiarium et justitiarios (*c*) debite executioni tradantur.

TITULUS XI. IΓ (13).

De intrantibus regnum, ut arma in regno deponant (d).

IDEM AUGUSTUS.

Homines extra regnum postquam regnum intraverint, arma prohibita nullatenus deferre permittimus. Que si scienter detulerint, pene, quam

(*a*) Graece magis praecise : *quam ad inserviendum corporalibus necessitatibus facta sunt.*

(*b*) *Pro agendis suis* deest in graeco.

(*c*) Ap. Sugan. et Lindebr. simpliciter : *per magistros justiciarios*, sed minus recte.

(*d*) In graeco : *De venientibus in regnum et arma ferentibus.* In codice 4624 A : *Ut advenae per regnum arma prohibita non deferant.* In cod. 4625 deest hic titulus.

Digitized by Google

contra delatores armorum, qui in regno morantur, edidimus, subjacebunt. Et ut ignorantiam simulare non possint, statim per officiales nostros, cum regnum intraverint, ipsis volumus hec exponi : ut pancerias et loricas indutas non deferant (*a*); et ut postquam ad loca destinata pervenerint, omnia omnino arma deponant; dum tamen intra civitates et villas manserint, cultellos et enses etiam portare non possint.

TITULUS XII. IΔ (14).

De pena ejus, qui contra aliquem tantum arma extraxerit (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Asperitatem veterum legum, que constringentes gladios et extrahentes et percutientes cum eis indubitanter occidendi animum habuisse presumunt, interpretatione imperialis mansuetudinis lenientes, presenti lege in perpetuum Deo propitio valitura sancimus : ut si quis arma prohibita contra aliquem extraxerit, nec ipsum offenderit, duplicatam penam quam secundum personarum conditionem super portatione armorum edidimus, nostre curie se compositurum agnoscat. Nec indigne duplicatam penam in casu presenti delator armorum sustinere debebit, utpote qui armis a nemine provocatus, extrahendo ipsa in offensionem alterius (*c*), malivolum sue intentionis propositum publicavit; quod ante per solam delationem eorum necessarie defensionis objectu, dum alicujus insultum timere se diceret, forsitan poterat colorare.

TITULUS XIII. IE (15).

De percussione illicita cum armis (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Si quis aliquem cum armis prohibitis supradictis percusserit, ita quod

(*a*) Satis haud liquet quid sibi velit illud : *loricas indutas non deferant*. Clarius saltem in graeco : *ut et ab ipsis latas loricas deponant; postquam* [*autem*] *ad loca*, etc.

(*b*) In graeco : *De extrahentibus arma contra aliquem.*

(*c*) Ab *utpote* usque ad *offensionem* deest omnino in codice graeco. Unde sententia faede truncatur.

(*d*) In graeco : *De poena percutientium aliquem cum armis.*

percussus ex percussione ipsa minime moriatur; percussor manum, cum qua percussit, amittat (1). Equum est enim in ea parte corporis plecti maleficum, qua legis et imperii veneratione contempta, maleficium perpetravit.

TITULUS XIV. Ις (16).

De homicidiis puniendis (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Terminum vite hominum a divina nobis providentia commissorum (*b*), quantum possibile sit, illius tantummodo judicio reservantes, qui hominem condidit et redemit, imperialis indignationis aculeis persequi pro firmo disponimus homicidas; sanctionis presentis edicto inviolabiliter statuentes ut quicumque alium protectionis auguste defensione securum fuerit aggressus, et in aggressu ipso eumdem probabitur occidisse; miles, vel in superiori gradu positus, ultore gladio, penam sustineat capitalem; inferiores furca suspensi, ultimo supplicio subjugentur (*c*).

IZ (17).

Qui tamen aggressorem vel latronem in dubio vite discrimine constitutus, vel nocturnum furem cum clamore, quem aliter comprehendere non valebat, occiderit, juxta divorum parentum nostrorum statuta, propterea nullam calumniam sustinere debebit. Infans etiam et furiosus, si sine malignitate animi hominem occiderint, non tenentur, quia alterum innocentia consilii, alterum infelicitas casus excusat (*d*).

(*a*) In cod. 4624 A : *de pena percutientis et occidentis;* quod graeco respondet.

(*b*) Graecus habet aliud et quidem nostra sententia melius : τὴν διορίαν τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς παρὰ τῆς θείας προνοίας διωρισμένην ἡμῖν.

(*c*) Quae sequuntur aliam in graeco faciunt constitutionem sub alia rubrica, scilicet : *De occidente latronem vel furem et de infante ac furioso.*

(*d*) Hunc locum in variis editionibus varium ad fidem graeci codicis explicamus.

---

(1) Exempli causa, videndum quid narret Matteo di Giovenazzo (*Diurnali*, § 434) de Matthaeo Gritto Neapolitano milite qui capitaneum quemdam saracenum usque ad sanguem percusserat. « Lo re (Manfredi) commandao che fosse tagliata la mano a messer Mazzeo. »

Digitized by Google

TITULUS XV. IH (18).

Ut castellani mittant servientes armatos pro curia (a).

IDEM AUGUSTUS.

Castellanis et servientibus castrorum nostrorum, cum a magistris justitiariis et justitiario (b) aut aliis officialibus nostre curie extiterint requisiti pro negotiis aliquibus, que ex mandato culminis nostri, aut auctoritate imperiali vel jurisdictionis eorum ipsis officialibus nostris incumbunt, extra castra permittimus arma deferre. Alias tam ipsos quam alios subjacere disponimus nostre prohibitionis edicto, ut absque speciali mandato celsitudinis nostre vel licentia, nullus fidelium nostrorum arma prohibita deferre presumat.

TITULUS XVI. IΘ (19).

De defensis imponendis; et quis eas imponere possit (c).

IDEM AUGUSTUS.

Juris gentium induxit auctoritas et naturalis hec ratio non abhorret, ut tutela cuilibet sui corporis permittatur. Quia tamen sepe contingit aggressoris in tantum supereminere potentiam, ut etsi oppresso de jure se defendere liceat, tamen de facto se defendere non possit; presentis legis auctoritate cuilibet licentiam impartimur ut adversus aggressorem suum per invocationem nostri nominis se defendat, eidemque ex parte imperiali (d) prohibeat, ut ipsum offendere de cetero non presumat. Quod non tantum in prescripto casu locum habere decernimus, cum is, qui predictam defensam imponit, offendi forsan metuit in persona; verum etiam cum

(a) In graeco melius: *Quando possint castellani et servientes libere arma deferre*; cui respondent Sugan. et Venet. editiones.

(b) Graece simplicius et rectius *a magistro justiciario aut aliis officialibus.*

(c) In plerisque editionibus additur *et contra quos.* Graece autem: *De defensa* (ποινῆς) *imposita et quibus et de quibus liceat imponere defensas.*

(d) In codice: *ex parte culminis nostri.*

Digitized by Google

rebus, quas possidet, mobilibus aut immobilibus, aut sese moventibus necnon incorporalibus, inferri sibi quisquam ab aliquo violentiam pertimescit; ne vel res mobiles per vim auferantur ab eo, vel in aliis destitutionis injuriam patiatur. Presentis nostre constitutionis licentiam ad eos etiam propagamus, qui in personis aut rebus parentum, quos nostri veteres dixere majores, filiorum, nepotum et ex eis (*a*), qui dulci filiorum vocabulo nuncupantur, et in eis aut in rebus eorum denique, qui in eadem familia et cohabitatione tenentur, vim vel injuriam pati metuerint [qui defensam imponunt]. Eadem licentia predictis casibus tribuenda vassallis, qui a dominis suis in personis aut rebus suis vel suorum offendi verentur injuste. Verum si occasione adjutoriorum (*b*) in oraculis (*c*) nostris et predecessorum nostrorum constitutionibus comprehensis, aut antiquis consuetudinibus, vel ex aliis causis (*d*), ex quibus vassalli dominis suis aliquid dare vel facere tenentur de jure [vel de consuetudinibus], supra dictis defense dominis imponantur; licebit eis suo jure uti nihilominus post defensam. Verum tamen si juste defense imponantur pro rebus mobilibus, forsan utpote bove ablato vel similibus, dominus qui contra defensam venerit, et id, quod post defensam abstulit, reddat; et aliud tantundem curie nostre componat. [Et hec tantum sit in casu isto pena defense.] Ceterum si injuste defensa fuerit imposita, tunc ipsam imponens, et id quod petebat, amittat, et aliud tantundem curie nostre solvat. Statuimus etiam ut ex defensis hujusmodi super mobilibus factis a vassallis contra dominos, civiliter tantum et non criminaliter agi possit; et si de his ad magnam nostram curiam proclamatio deferatur, cause ipse ad regionum justitiarios remittantur. Si tamen inter duos vassallos

(*a*) Ap. Lindebrog : *nostri veteres dixere majores filiorum, nepotes, et ex eis.*

(*b*) In omnibus additur *nostrorum ;* quod sensum turbat, dum forsitan esse debuisset *statutorum* vel hujusmodi.

(*c*) In caeteris et apud Carcani *articulis. Oraculis* vero praelaudamus, quod melius sensui graeco respondet ἐν ταῖς ἡμετέραις χρείαις.

(*d*) Ordo tamen paululum in graeco diversus : *ex nostris oraculis et antiquis consuetudinibus et comprehensis in constitutionibus nostrorum praedecessorum vel ex aliis causis.*

Digitized by Google

defense imponantur ex parte nostra, de tertia parte mobilium curie nostre debita tantum domino acquiratur, quantum ei ex qualitate delicti, puta ex violentia vel similibus, si defensa non fuisset imposita, deberetur; et reliquum nostris largitionibus inferatur. Si vero ob alias causas, puta ob timorem personarum suarum aut suorum; vel ne in uxorem, filiam, vel sororem raptus crimen vel adulterii perpetretur, aut in similibus, ex quibus capitalis et publica accusatio oriri posset, defense predictis dominis imponantur, tunc vassalli cum dominis (*a*) habeant in defensis ipsis (*b*) jus commune cum ceteris. Et eumdem in prescriptis casibus, quem in omnibus aliis defense contempte (*c*) imposite, sortiantur effectum.

TITULUS XVII. K (20).

De defensis impositis ab officialibus, et pena defense (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Fidelium nostrorum injurias, qui sola protectionis nostre post Deum defensione letantur, pro posse precidere cupientes; justitiariis (*e*), camerariis nostri regni, bajulis etiam et locorum judicibus, qui administrationis nostre gubernacula susceperunt, imponendi defensas concedimus facultatem; si quando in locis ipsis aut circa ea rixas [que vulgariter mellete (1) dicuntur], injurias, violentias, aut hujusmodi flagitia forte prenoverint

(*a*) *Cum dominis* desunt in graeco et in codice 4625, nec sensui necessaria videntur.

(*b*) In graeco *in talibus casibus et defensis.*

(*c*) *Contemptae* in graeco deest et in cod. 4625.

(*d*) Graece simplicius : *De facultate data officialibus imponendi defensas.*

(*e*) In caeteris et etiam ap. Carcani *magistris justitiariis;* graece tantum τοῖς δικαιώταις; quod regni Siciliae administrationi bene quadrat, dum unus tantum magister justitiarius adesset.

(1) Sic legendum arbitramur potius quam *mellatae. Melsetae* proponit Lindebrogius; de qua lectione vide Cangium ad v. *Melsetta* (*misleja, miscilla*); forsitan a gallico *Meslée*, unde factum italice *Mischia.*

Digitized by Google

committenda; ita tamen ut de istis (*a*) defensis impositis per magistros (*b*) camerarios, bajulos et judices supradictos, seu etiam per privatas personas indictis (*c*), non ipsi, sed magister justitiarius (*d*) et justitiarii nostri cognoscant. Jam enim a subjectis nostris non aberit tuitionis nostre licentia; cum per eos, quibus mansuetudinis nostre confertur auctoritas, ipsorum defensio procuratur; et sic nos etiam, qui prohibente individuitate (*e*) persone ubique presentialiter esse non possumus, ubique potentialiter adesse credamur.

TITULUS XVIII. KA (21).

De defensis impositis et contemptis et de pena contemnentium ipsas (f).

IDEM AUGUSTUS.

Si quis in posterum nostri nominis invocatione contempta, post defensam eidem impositam, sub quacumque quantitate [vel forma] per personas publicas vel privatas, in rebus violentiam vel in personis eorum injuriam, a quibus [vel pro quibus] prohibitio fuerit inducta, per testes non pauciores tribus fide dignos et omni exceptione majores ac aliis legitimis argumentis probabitur commisisse; si quidem cum armis hoc fecerit, in tertia parte omnium bonorum suorum puniatur, licet ex parte nostra, nulla etiam quantitate adjecta, defensa simpliciter imponatur (*g*); si vero sine armis, in quarta bonorum predictorum parte omnino (*h*) contemptorem damnandum esse sancimus. De quibus omnibus, camerarios et bajulos locorum, cum ipsi defensas inducunt, in bonis tantum

(*a*) *De istis* ex graeco addimus.

(*b*) *Magistros* deest in graeco et in cod. 4625.

(*c*) Alias *inductis;* in cod. *inductas*. Deest in graeco.

(*d*) In omnibus *magistri justitiarii :* quod ex graeco corrigimus.

(*e*) Graece τῆς περιγραφῆς, *circumscriptione.*

(*f*) Graece autem : *Quomodo oporteat probare defensas.*

(*g*) Graece aliter concipitur : *licet ex parte nostra nulla defensa sub dicta quantitate imponatur.*

(*h*) *Omnino* deest in graeco et etiam in codice. Fortasse *omnium.*

Digitized by Google

mobilibus sexagesimam lucrari censemus; reliquis partibus predictorum mobilium et immobilium nostro erario applicandis (*a*). Illud etiam apertissime definimus ut si quando tres testes aut plures ad probandam defensam impositam et contemptam, fuerint ab imponente producti, contra ipsorum dicta, videlicet quod res se aliter habuerit, per testes contrarios (*b*) probari non possit. Nam aut testes, per quos defensa imposita contempta probatur, erunt probate fidei et opinionis bone : et tunc promptum est ipsorum testimonio stari debere : aut pars contra ipsorum personas excipere posse confidit; quo casu parti objectiones contra personas predictorum testium non negamus (*c*). Defensiones rei judicate, pacti conventi et similes, que non directo contra dicta ipsorum testium opponuntur, quod falsum videlicet deposuisse dicantur, parti que ipsas objecerat, reservamus. Ut tamen questiones ipsarum personarum, per quarum impositionem [si contra factum fuerit] jus est nostre curie acquisitum, per imponentes easdem privata conventione remitti non possint : immo imponentibus ipsas specialiter injungimus et expresse mandamus, ut exactionem magistro justitiario et justitiariis (*d*) debeant nunciare. Preterea penas, que super aggressuris, violentiis, et injuriis per leges veteres vel constitutiones divorum parentum nostrorum inducte noscuntur, si supradicta precedente defensa commissa probabitur (*e*), per penas presenti constitutione statutas in posterum volumus esse novatas (*f*), ut eis sublatis, pena tantum ex defensa petatur; excepto si aliquis cum armis percusserit aliquem, vel occiderit : quas penas,

(*a*) Ap. Carcani : *et reliquis partium praedictorum*, etc., *applicamus*. Ex codice 4625 locum mutilum restituimus, quod magis etiam graeco convenit : τὰ δὲ λοιπὰ κινητὰ καὶ ἀκίνητα πράγματα τῷ ἡμετέρῳ ταμείῳ ἀποδοθήτωσαν.

(*b*) *Per testes contrarios* desunt in graeco.

(*c*) In graeco additur : *si quidem velit*, εἴ τι καὶ βούλεται.

(*d*) Graece : *ut exactionem defensae* (τῆς ποινῆς) *magistro justitiario vel aliis justiciariis.*

(*e*) Graece tamen : *si praecedenter commissa* (προηγησαμένη) *defensa testibus confirmatam esse probetur*. Latine vero : *ac supradicta praecedente defensa commissa probantur ;* locus mutilus.

(*f*) Graece *publicatas*, in cod. *novandas*.

Digitized by Google

utpote corporales, [premissa beatitudinis nostre constitutione sancitas], non volumus minorari; sed pro defense impositione, in tertia vel in quarta parte bonorum, prout superius est expressum, augeri. Judeis et Saracenis etiam, et pro eis aliis officialibus nostris scilicet in prescriptis casibus imponendi defensas concedimus facultatem; quos non, propterea quod Judei vel Saraceni sunt, artari (*a*) volumus innocentes. Prenominatas etiam tertiam et quartam partem per magistrum justiciarium et justitiarios nostros (*b*) [sic instanter] volumus absque alicujus dissimulationis vitio procurari (*c*), et eisdem ab imponentibus nuntiari : quod si ipsos in exigendis eisdem, aut imponentes in denunciandis invenerimus desides aut remissos, quicquid aliquibus gratiose dimiserint, de bonis ipsorum procul dubio exigemus. Officiales enim qui scelera perpetrata non vindicant, tegere ut conscii [criminosa] festinant.

TITULUS XIX. KB (22).

De defensa imposita (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Defensas impositas et contemptas instanter constitutionibus nostris prescripsimus exigendas. Sed ne effrenata licentia defensarum in jure suo alicui fidelium nostrorum possit damnum inferre, statuimus, si quis injuste defensam imponit, veluti creditori suo, qui auctoritate forte conventionis expresse, ipsum jure licito pignoravit; vel si officiali nostro jura nostra forsitan exigenti defense hujusmodi imponantur; imponens hujusmodi defensas injuste, si quidem is, cui defensa imposita est, ob reverentiam culminis nostri, a suo jure discedens defense obtempera-

(*a*) In codice 4625 *arceri*. In graeco vice *artari innocentes*, simpliciter ἀδικεῖσθαι.

(*b*) Sic corrigimus tam ex graeco quam ex codice latino praelaudato.

(*c*) Ap. Carcani *procreari*, licet ipse id nihil innuere fateatur. In editionibus et codicibus *profligari* seu *profugari*; quod non rectius sonat. Graece autem ἀπαιτηθῆναι, *postulari*.

(*d*) Graece : *De defensa non custodita et nemine condemnato*. In codice 4624 A : *De eo qui defensam injuste imponit*.

Digitized by Google

verit nominate, penam, quam defense obediens subire deberet si contraveniret, subeat qui ipsam imponit. Ceterum si nibilominus post defensam, is cui imposita est, jure suo et auctoritate legis vel conventionis utatur, impunitum utrumque esse censemus; alterum, quia ex defensa etiam sic injusta, nullum omnino commodum reportavit, nec ergo penam subire debebit; alterum, quia contra defensam jure licito veniens, jure suo utitur potius quam contemnit.

TITULUS XX. KΓ (23).

De raptu, et violentia monialibus illata.

REX ROGERIUS.

Si quis rapere sacratas Deo virgines, aut nondum velatas, occasione etiam matrimonii jungendi, presumpserit; capitali pena feriatur.

TITULUS XXI. KΔ (24).

De violentia meretricibus illata.

REX GUILLELMUS.

Omnes nostri regiminis sceptro subjectos decet majestatis nostre gratia (*a*) gubernari; et alterum ab altero, tam mares quam feminas, nec a majoribus, nec a minoribus, nec equalibus defendendo (*b*), pacis gloriam confovere; nec pati aliquo modo vim inferri.

Miserabiles itaque mulieres, que turpi questu prostitute cernuntur, nostro gaudeant beneficio gratulantes, ut nullus eas compellat invitas sue satisfacere voluntati. Contra hoc generale edictum satagentibus, confessis atque convictis, ultimo supplicio puniendis (*c*); habito tamen con-

(*a*) Ap. Carcani *gloria*. *Gratia* vero ex codice, et melius graeco χάριτι consonat.

(*b*) Ex istis *nec* sententia paululum obscura. In graeco diverse concipitur : *oportet .... alterum ab altero, tam mares quam faeminas, pacis gloriam confovere, nec se defendere a majoribus vel aequalibus vel minoribus, neque oportet nos pati vim alicui inferri.*

(*c*) In graeco autem expressius : *Satagentibus facere contra hoc generale edictum vel illis qui hoc fecisse confessi vel convicti fuerint, ultimum supplicium minitamur.*

sideracionis ordine, quod si in locis habitabilibus vis fuerit illata, clamor oppresse truculenter emissus, quam citius poterit, elucescat; alioquin non videbitur vis illata, si mora fuerit octo dierum spatio subsecuta, nisi forsitan iis diebus invita probetur fuisse detenta.

TITULUS XXII. KE (25).

De raptoribus virginum vel viduarum.

IMPERATOR FREDERICUS.

Capitalem penam, quam contra raptores virginum, vel viduarum, sponsarum, vel etiam jam nuptarum, et eorum complices vel fautores, divorum augustorum statuta sanxerunt, inviolabiliter precipimus observari; illis consuetudinibus, que in aliquibus partibus regni Sicilie hactenus obtinebant, per quas raptores raptam sibi in matrimonio collocando, vel alii eam tradendo nuptui, se capitali sententia eximebant, omnino sublatis.

Kς (26).

IDEM AUGUSTUS (*a*).

In questionibus violentiarum, que quibuslibet mulieribus inferuntur, predecessorum nostrorum regum Sicilie sanctiones sub distinctione quadam, videlicet si intra tempora eisdem constitutionibus pretaxata, ipsarum proclamatio probaretur, pugne judicium admittebant. Sed tam in casu presenti quam in omnibus aliis criminibus, crimine tantum lese majestatis excepto [et mortis absconse, pugne non tam judicium quam dispendium provisione sancta] sancimus amoveri.

Nam non leve periculum accusantibus imminet, qui communibus probationibus vix aut nunquam probare poterunt intentata; cum hujusmodi scelera a conspectibus hominum, qui veritatis ipsius possint perhibere testimonium, abscondantur; et sic ordinariis probationibus cessantibus [de facto], et extraordinariis, pugne scilicet et legis dicte paribilis, de

(*a*) Titulum alterum graecus codex exhibet cum hac rubrica : *Quomodo oporteat probare violentias factas mulieri.* In cod. 4624 A, *De violentiis aliis mulieribus illatis.*

Digitized by Google

jure nostro sublatis, cause hujusmodi sine remedio remanebant. Nolentes igitur tam grande scelus dimittere ob defectum probationis inultum, decernimus, si quando aliqui de hujusmodi violentiis accusati confessionibus suis [quas in publicum conscientia lesa producit], aut testibus, qui in ipsis venereis actibus invenerint accusatos, quod tamen perraro forte posset contingere, fuerint forte convicti; nobis etiam inconsultis, capitali pene subjaceant [priscis et nostris etiam constitutionibus prestitute]. Quod si non ipsa rei veritas probari valeat, sed hoc solum, quod per mulierem, aut pro parte sua per aliquos, nunciatum ter fuerit alicui, qui signis aut modis aliquibus pudicitiam mulieris attentat, quod a reiteratione (*a*) hujusmodi illicite presumptionis abstineat; et postea cum muliere clamante et aliorum auxilium cum vociferationibus invocante, tamen in colluctatione vel fuga, etiam in domo vel prope domum mulieris ejusdem inventus fuerit; aut si denunciatione predicta minime precedente, mulierem clamantem sub se teneat violenter, virginitatis sue seram satagens aperire [et ipsam corrumpere], aut jam corrupte violentiam inferre; causam eamdem plene discussam et probationibus predictis aut similibus forsan instructam, ad conscientiam celsitudinis nostre remitti censemus, ut ex sententia motus nostri, quem (*b*) de manu celesti sumpserimus, causa terminum debitum consequatur; accusato tamen interim fide custodie fidejussorum vel carceris deputato (*c*).

TITULUS XXIII. KZ (27).

Si quis mulieri violentiam patienti et clamanti non succurrerit (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Quicumque mulierem clamantem audierit, cui forte violentia ingeratur, ad currendum et succurrendum ei volumus audientem esse ve-

(*a*) Ap. Lindebrog *recitatione*, minus recte.
(*b*) Ap. Carcani *quam*. Ap. Pecchia rectius *quem*.
(*c*) In cod. 4625 *reservato*, quod propius graeco accedit διατηρουμένου.
(*d*) Graece : *De poena non succurrentium patientibus vim mulieribus.*

locem. Quod si non fecerit, quatuor augustales (1) in penam tam nocive desidie camere nostre componat. Nec ad evitandam penam aliquis simulare potuerit obauditum vociferationis, qui aut sub eodem tecto aut loco fuerit, unde vocem audire potuerit, qui surdus, aut sine dolo malo claudus, aut aliter imbecillis, aut vociferationis tempore dormiens, non probetur.

TITULUS XXIV. KH (28).

De pena mulierum injuste conquerentium.

IDEM AUGUSTUS.

Pessimam et horrendam questus materiam (*a*), que hactenus in grave dispendium subjectorum nostrorum invaluit, resecantes; dum mulieres, que raptus injuriam vel violentiam passe non erant, de aliquibus per mendacium querebantur; et sic accusationis instituende vel institute timore, dum judiciorum strepitus vel eventus rei metuunt accusati, imparia matrimonia sortiuntur interdum; interdum etiam stipem turpem a reis velamento predicte accusationis acquirunt; volumus et mandamus, ut quecunque post hec de tali fuerit falsa delatione convicta, mortis laqueis irretita in foveam incidisse se sentiat, quam alterius casui preparabat, si ea que detulerat comprobasset. Que si supplicii tempore pregnans inveniatur, usque ad quadraginta dies, post partum ipsius, penam, humanitate suadente, volumus prorogari; et partum ex ea editum, si non habeat proximos, cognatos forsitan vel affines, quos ad nutriendum ipsum affectio proximitatis inducat, de bonis nostris, per officiales nostros qui tunc temporis in illis partibus preerunt, educari jubemus.

(*a*) Graece : *Pessimam et horrendam copulae causam.*

---

(1) Prima nunc de hac aurea moneta mentio. Eamdem tamen non ante mensem decembrem hujus anni 1231 memorat Riccardus de S. Germano, qui ita : « Nummi aurei qui augustales » vocantur de mandato imperatoris in utraque sycla Brundusii et Messanae cuduntur. »

Digitized by Google

TITULUS XXV. ΚΘ (29).

De violentiis circa possessionem admissis (a).

IDEM AUGUSTUS.

Violentias subjectorum nostrorum que turbationem desiderate pacis inducunt, inter utrumque jus, Longobardum scilicet et commune, viam mediam eligentes, pena legitima volumus coercere. Statuentes (*b*), ut si quis per violentiam destituerit aliquem rei immobilis possessorem, possessione cum legitimis obventionibus omnibus [primitus] restituta, violentum vel universalem successorem ejus in medietate estimationis rei, in qua violentiam commisisse probatur, mulctandum esse censemus. Derisorium namque credimus sex solidorum aliquem tantum pena damnari; tunc demum, quando suam rem violentus probare non posset, [et sic] possessorium petitorio [a quo separatum esse dignoscitur (*c*)] immiscere. Et illud etiam modeste ferre nequimus, ubi pro violentia aliqua in possessione commissa, proprietate rei sue in totum aliquis vel estimatione rei, si non esset res propria, privaretur; jure Francorum etiam quod certas penas in violentiis statuebat, in hac parte sopito. Raptorem autem rei mobilis juxta quod jure communi cavetur, in quadruplum computate rei damnandum esse censemus.

TITULUS XXVI. Α (30).

De restitutione possessionis (d).

IDEM AUGUSTUS.

Circa violentiarum penas, eas patientibus satis credimus constitutio-

(*a*) Graece fusius : *De poena violenter spoliantium aliquem immobilis rei possessione.*

(*b*) In latinis *statuimus ;* corrigimus ex graeco ὁρίζοντες.

(*c*) Haec parenthesis et praecedens [*et sic*] inepte in latino textu irrepserunt, dum sensum turbent apud codicem graecum omnino nitidum : *et tunc, quando suam rem esse violentus probare non posset, possessorium judicium judicio de dominio immiscere poterit.*

(*d*) Graece autem fusius : *De optione data spoliato agendi vel contra spoliantem vel contra possidentem.*

nibus predecessorum nostrorum et nostris esse provisum. Quemdam tamen juris rigorem circa destitutiones violentas (*a*) inductum, quod (*b*) destituto contra destituentem tantum vel ejus heredes restituende possessionis beneficio succurrebat, nec contra eum in quem ab ipso violento vel ejus heredibus transferebatur possessio, ad recuperandam eandem aliquod remedium inducebat, imperiali providentia lenire volentes, atque ipsius juris defectum congruo et necessario supplemento supplere; disponimus per violentiam destitutum non, ut olim, provisione carere, sed electionem habere, utrum ipsum destituentem vel ejus heredes, si (*c*) possessionem in alium transtulit, ad interesse convenire, prout predicto jure cavetur, vel detentorem, qui ab ejectore causam habet; per quascunque manus possessio ambulaverit, sive sciens, sive ignorans fuerit (*d*), possessionem recuperare velit amissam, condictione ex lege presenti ad recuperandam possessionem ipsam indulta. Sepe enim contingebat ut qui a possessione cadebat, dum vel probationes de dominio non habebat, vel cum dejector erat forsitan non solvendo (*e*), omni remedio se inveniebat (*f*) exclusum.

TITULUS XXVII. ΑΑ (34).

De maleficiis clandestinis puniendis (*g*).

IDEM AUGUSTUS.

Super incisionibus arborum et combustionibus domorum et ceteris maleficiis, que clam nocturnis temporibus committuntur, generalem con-

(*a*) Ita in cod. 4625 et in graeco. In editis omnibus *destitutores violentos*, minus recte.

(*b*) *Quod* refertur ad *juris*. Graece est ἥτις, quae refertur ad τραχύτητα.

(*c*) Graece εἴπερ ; unde bene interpretari licet *etsi* vel melius *etiam si*.

(*d*) In graeco autem clarius : *per quamcumque igitur manum possessio ambulaverit, sive quis sciens commissae violentiae sive ignorans illam receperit, a possessore spoliatus [qui] illam recuperare voluerit, conditione praesentis nostrae legis recuperet.*

(*e*) Graece : ἢ τὸν χρεωφειλέτην ἴσως ἀποροῦντα, *vel cum debitor in solvendo deficiebat.*

(*f*) Corrigendum proponit Carcani *inveniret.*

(*g*) Graece : *De factis occulte damnis.*

Digitized by Google

stitutionem nostris fidelibus promulgamus : ut si commissores inveniri non possint, aut, sicut multoties accidit, per locorum incolas occultantur, homines locorum ipsorum, in quibus maleficia committuntur, ad damnorum restitutionem integre coerceantur (*a*); qua restitutione tam illos, quibus pro nostris servitiis talia acciderint, quam reliquos, quibus hoc ex inimicitia seu aliquo odio evenerit, et frui volumus et gaudere. Nec minus Judeos et etiam Saracenos, quos christianis (*b*) secte diversitas reddit infestos omnique alio auxilio destitutos, protectionis nostre (*c*) potentia pati non possumus defraudari. Predicti autem clandestini et nocturni malefactores, si in ipso facinore deprehensi vel aliter legitime convicti fuerint, capite puniantur (1).

TITULUS XXVIII. AB (32).

De homicidiis et damnis clandestinis, quorum auctores inveniri non possunt (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Si damna clandestina patientibus, quorum actores per probationes

(*a*) In omnibus et ap. Carcani *arceantur*. Corrigimus ex Pecchia et ex graeco περιαφιγγίσθωσαν.

(*b*) Ap. Carcani *christianae*. Corrigimus ex cod. 4625 et ex graeco.

(*c*) Additur in graeco *et auxilii*.

(*d*) Graece multo brevius : *De homicidio clandestino*. In cod. 4624 A : *De homicidiis clam commissis et qualiter investigentur*.

---

(1) Exempli causa mandatum imperatoris addimus, quod inter epistolas Petri de Vineis cum hoc titulo : « *Eidem, ut fiat inquisitio de clandestinis damnis, illatis cuidam viduae* », inseritur (lib. V, c. LXIV). Quaedam in hoc mandato ex codice Guelferbitano correximus : « Querelam B. vidue mulieris de Ruppe, fidelis nostre, recepimus, continentem quod quidam malefactores, ad damna clandestina intrepide animati, ea absente et pro suis negociis » in curia nostra commorante, quandam suam vineam, cum arboribus in declivo sitam, ausu » temerario inciderunt. Nolentes igitur ut propter impunitatem excessuum crescat audacia » delinquendi, fidelitati tue precipiendo mandamus : quatenus contra malefactores eosdem, » ad quos inveniendos omnem quam poteris te volumus adhibere solicitudinem, inquisitionem

dilucidas inveniri non possint, imperialis provisionis remediis merito subvenimus, ut universaliter per possessores locorum, in quorum territoriis (*a*) hujusmodi scelera sunt commissa, eorum indemnitatibus consulatur; multo fortius illos expertes providentia nostra relinquere crederemus indignum, quorum patres, aut filii, cognati denique vel affines in locis aliquibus per homicidia perimuntur occulta, cum tam horribilis sceleris patratores investigatione qualibet, quamvis exactissima, nequeant reperiri. Presenti igitur saluberrima constitutione sancimus, ut si quando hujusmodi maleficia in quorumcumque territoriis locorum, quod abominamur, contigerit [in posterum] perpetrari, nec ipsorum commissor appareat, ita quod nullus de tali facinore ab his, qui defuncto attinuerint, vel a quolibet de populo arguatur; quo casu dive constitutionis nostre super furtivis et absconsis homicidiis (*b*) edite statuta servamus; tunc inquisitionem de predicto facinore fieri volumus diligenter, per quam si aliquid certum probatur, juxta probata inquisitionis ejusdem procedendum esse censemus. Quod si ex inquisitione ipsa leves persone alique de homicidio ipso notentur, licet per eam contra ipsos non probetur ad plenum, ad tormenta ipsarum personarum levium et vilium postremo decernimus descendendum; per que [omnia] si de delicto constare non poterit, quod confiteri per nimiam forsan et solitam potentiam (*c*) tormentorum intrepidi, quibus ingeruntur tormenta, non velint; vel si ob ipsorum impotentiam (*d*), prout accidere novimus in plerisque, ultramodum timidi fateantur, nec in confessione perdurent soluti tor-

(*a*) Graece κρατήμασιν; quod melius *tenimentis*, hujus aevi vocabulo, respondere videtur. Ita et infra.

(*b*) Sic etiam in graeco. Sed legendum *maleficiis*, cum de *homicidiis* in praecedenti lege nullum sit verbum.

(*c*) Scilicet *per robur in exsuperandis tormentis*.

(*d*) Scilicet *imbecillitas quae tormentis cedit*.

» facias diligenter : per quam si poterunt inveniri, procedas mediante justicia contra eos. » Ceterum si malefactores non poterunt inveniri, damnum eidem mulieri illatum ab univer» sitate ipsius terre, in cujus territorio damnum extitit perpetratum, secundum justiciam » facias emendari, ne ab hac iteratam querelam ulterius audiamus. »

Digitized by Google

mentis, que tamen non timeant iterari; tunc illius loci, in quo maleficium hujusmodi commissum esse dignoscitur, possessores (*a*), si quidem christianus fuerit qui reperitur occisus, centum augustalium mulcta feriendos esse jubemus; si vero Judeus aut Saracenus sit, in quibus prout certo perpendimus, christianorum persecutio nimis abundat [ad presens (*b*)], in quinquaginta augustalibus predictorum locorum incolas erario nostro applicandis damnandos esse censemus (1). Quem inqui-

(*a*) Graece vero *incolas*, κατοίκους.

(*b*) Deest in graeco, et certe aliena manu additum fuit.

---

(1) Rursus alteram exempli causa imperatoris sententiam addimus ex PETRI DE VIN., *Epist.*, lib. V, cap. CVIII; quam ex codicibus sub nitidiore forma exhibemus, ut sequitur : « Quia » constat nobis per inquisitionem factam per T. vicecomitem de mandato nostro, quoddam » homicidium fuisse commissum in territorio civitatis .... de quodam homine qui P. vocabatur, » pro eo quod homicida captus non fuit nec detentus juxta ordinationem factam per nos de » capiendis et detinendis homicidiariis et malefactoribus, ideo dictam communitatem et ho- » mines dicti communis autoritate officii nostri vobis commissi, in quinquaginta libris duximus » condemnandos, solvendis hinc ad diem decem M. receptori pecunie, vobis ab imperiali » celsitudine deputato, sub poena dupli; moderata poena centum talentorum indicta et impo- » sita per nos de condemnandis (*leg.* clandestinis) homicidiis, propter modicam quantitatem » hominum et eorum etiam paupertatem. » Vox *talenta* pro *augustalibus* accipitur, nisi de communitate agatur extra regnum Siciliae posita. Poena autem centum augustalium cuilibet universitati imposita tantum sub Carolo I Andegavensi in oppressionem multorum excrevit ut Carolus primogenitus filius ejus anno 1283 eam ad tenorem constitutionis veteris, scilicet Fredericianae, reduxerit, focularia distinguendo : scilicet pro mille focularis, centum augustales, pro quingentis et ultra quinquaginta, pro centum et ultra viginti quinque, etc. Unde in bulla Honorii IV anno 1285 circa reformationem regni edita, haec legimus : « In homi- » cidiis clandestinis providendo precipimus nihil ultra pene inferius annotate ab universita- » tibus exigendum, videlicet ut pro christiano quem clandestine occisum inveniri contingat » ultra centum augustales, pro Judeo vero vel Sarraceno ultra quinquaginta nihil penitus » exigatur; augmento quod circa eamdem penam idem rex (Carolus I) dicitur induxisse om- » nino sublato, presertim cum memorati rex et primogenitus dicantur idem per suas con- » stitutiones noviter statuisse; quas quoad hec statuimus inviolabiliter observandas, et hec » intelligi tantum in homicidiis vere clandestinis in quibus ignoratur maleficus nec aliquis » accusator apparet. Adjicientes quod non nisi tantum in locis magnis et populosis exigi possit » quantitas supradicta; in aliis vero infra quantitatem eamdem pro qualitate locorum exactio » temperetur. Eidem provisioni adjiciendo precipimus universitates ad emendationem furtorum » que per singulares personas contingit fieri, nullatenus compellendas. » (Ap. GATTOLA, *Access.*

sitionis et probationis ordinem, et tormenta etiam ultimo facienda, in aliis damnis clandestinis et nocturnis servari mandamus. Quod si constet universitatem eamdem occultare velle forsitan hujusmodi scelerum commissores, nec ipsos velle officialibus nostris querentibus exhibere, penam universitati ipsi, pro qualitate locorum et commissi sceleris, imponendam nostro judicio reservamus.

TITULUS XXIX. ΛΓ (33).

De subripientibus aliquid de naufragiis vel incendiis (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Rapinas eorum, qui de rebus naufragium, incendium, aut ruinas subitas patientium rapere, invitis dominis, tentaverint aliquid, tanto severius puniri censemus, quanto securius perpetrantur, dum domini personarum (*b*) periculis irretiti circa rerum custodias redduntur incauti, nec ab illis damna pati verentur, quos ad ipsorum desideratum auxilium et opem necessariam estimant concurrisse. Tales itaque in rapinis hujusmodi deprehensos aut sponte confessos capitali sententia feriendos esse censemus; ac de bonis ipsorum, que ad legitimos successores pervenire debebant, rapta in quadruplum restitui dominis debere mandamus. Huic etiam saluberrime sanctioni adjiciendum duximus, ut omnes, quibus facultas erit succurrere [talibus in tante necessitatis articulo constitutis, sine mora et occasione aliqua subvenire] cum his, que ad incidentes casus necessaria viderint, pro posse festinent (*c*). Negligentes

(*a*) In graeco *vel incendiis* deest. In cod. 4624 A : *De raptoribus rerum incendium, ruinam seu naufragium patientium.*

(*b*) In graeco *domini rerum ;* sed in latino *personarum* a *periculis* regitur.

(*c*) Graece brevius, omissa parenthesi : *ut omnes quibus facultas erit succurrere, cum utilia et necessaria ad incidentes casus viderint, pro viribus festinent.*

---

ad histor. Cass., pars II, p. 722.) Paulo ante in Sicilia per constitutiones in coronatione sua Panormi editas Jacobus I poenam de clandestinis homicidiis quasi iniquam et molestam omnino aboleverat. Cf. RAIMUNDETTA, *Regn. Sicil. capit.*, t. I, p. 43.

Digitized by Google

autem, si probata causa legitime se nequiverint excusare, unius augustalis pena mulctandos esse censemus.

TITULUS XXX. ΛΔ (34).

De injuriis curialibus illatis (a).

IDEM AUGUSTUS.

Ut participatio condecens honoris et oneris inducatur, statuimus ut si quando violentie vel injurie in rebus aut familiis eorum, qui de mandato nostro intra regnum vel extra regnum in exercitu, vel qui nobiscum, aut cum officialibus nostris in curia nostra commoraverint, ab aliquo inferantur, duplicatam penam, quam circa defensas, violentias et injurias et alia maleficia sacre constitutiones nostre vel jura communia induxerunt, a committente prestandam esse censemus.

TITULUS XXXI. ΛΕ (35).

De observatione justitie (b).

IDEM AUGUSTUS.

Non sine grandi consilio et deliberatione perpensa condende legis jus et imperium in Romanum principem lege regia transtulere Quirites, ut ab eodem, qui commisse sibi cesaree fortune fastigio per potentiam populis imperabat, prodiret origo justitie, a quo ejusdem defensio procedebat. Ideoque convinci (c) potest non tam utiliter quam necessario fuisse provisum, ut in ejusdem persona concurrentibus his duobus, juris origine scilicet et tutela, a justitia vigor, et a vigore justitia non abesset. Oportet igitur Cesarem fore justitie patrem et filium, dominum et ministrum : patrem et dominum in edendo justitiam, et editam

(a) Graece : *De posna injurias inferentium existentibus in servitio curiae.*

(b) In cod. 4624 A : *De origine juris et observatione justitiae ;* in graeco : *De Quiritibus legem condentibus et quod oporteat imperatorem illam servare et custodire.*

(c) Melius forsitan *evinci,* quum in graeco sit καταναοεῖσθαι, *intelligi.*

conservando; sic et in venerando justitiam sit filius, et in ipsius copiam ministrando minister. Hac igitur consulta ratione commoniti, qui de manu Domini sceptrum imperii et [inter alia regna] regni Sicilie moderamen accepimus, nostris fidelibus omnibus predicti regni nostre voluntatis arbitrio propositum nunciamus : quia nobis cordi est inter ipsos, absque acceptione qualibet personarum, universis et singulis, prompto zelo, justitiam ministrare, ut abunde ipsius copiam per officiales nostros, quibus ipsam commisimus ministrandam, undique valeant invenire. Ipsorum officia volumus esse discreta; civilibus questionibus alios, et alios accusationibus criminalibus preponentes (*a*).

TITULUS XXXII. Λς (36).

De cultu justitie (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Cultus justitie silentium reputatur. Eorum igitur insolentiis occurrentes, qui judiciorum ordinem tumultuosis clamoribus sepe perturbant, statuimus in posterum litigantes et quoslibet alios in judiciis existentes, cum reverentia magistratus jura reddentis, quietem justitie observare (*c*); nec priusquam licentiam ab eo, qui judicio preerit, consequantur, jura sua proponere audeant, vel pro alio postulare. Sic modeste partes volumus pro se vel pro aliis in judiciis perorare, ut etiam si advocato dicenti [coadvocatus (*d*) ejus vel pars principalis] aliquid ad memoriam vel de jure vel de facto reducat, in aure sine strepitu aliquo dicere

(*a*) In graeco sic concipitur : *Officia horum nostrorum officialium volumus esse discreta, criminalia civilibus ut majoris momenti praeponentes.* Quod multum abit a latino, non tamen a vero sensu abhorret, si conferas cum nova constitutione *Statuimus ut magnee* ubi legitur : *primum inquiri praecipimus si ad civiles judices in civilibus causis, vel de majoribus* (scil. *criminalibus*) *ad majores primum recursum habuerunt.*

(*b*) Graece autem : *De poena turbantium ordinem judicii.*

(*c*) In graeco magis praecise : *cum reverentia magistratui causas proponere.*

(*d*) In impressis *et advocati.* Quod ex codice 4625 correximus, loco paululum obscuro remanente. In graeco brevius : *ut si proprio advocato ad memoriam quid juris vel facti revocare voluerit.*

Digitized by Google

studeat quod intendit; nisi forte celeris protestationis necessitas, aut quod in continenti quis advocati corrigere velit errorem, interruptionem inducat, cum inferri sibi prejudicium aliquis ex taciturnitate veretur. Si quis autem, postquam ter [per intervalla aliqua] a bajulo vel a judice fuerit admonitus, et non tacuerit (*a*), vel si sit aliquis [prout assolet] judici et judicio tediosus, [qui semel, bis et ter, absque intervallis aliquibus] interdictus, tacere noluerit (*b*); si rusticus fuerit, unum augustalem; si burgensis, duos; si miles, quatuor; si baro, octo; si comes, sedecim augustales curie nostre componat; sciturus pro firmo quibuslibet officialibus nostris, quod si ob gratiam alicui penam istam dimiserint, nos de bonis suis propriis ipsam integre procul dubio prosequemur.

TITULUS XXXVI. AH (38) (*c*).

De officialibus reipublice (*d*).

REX ROGERIUS.

Officiales reipublice vel judices qui tempore administrationis pecunias publicas subtraxerint, obnoxii sint crimine peculatus ac capite puniantur, nisi eis regia pietate indulgeatur (*e*).

AZ (37) (*f*).

IDEM REX.

Officialis qui sua negligentia bona publica deperire vel minui permi-

(*a*) *Et non tacuerit* addimus e graeco.

(*b*) In graeco : *si quis autem postquam ter a bajulo vel a judice* [*sit*] *admonitus, tacere noluerit, seu quicumque alius sit in judicio et judici taedious et admonitus non tacuerit.* Plurima hic in latino infarciuntur quae desunt in graeco. Ad casus tamen distinguendos intervallorum notitia non absona fit.

(*c*) Nostrum ordinem ex codice latino 4625 et ex graeco sequimur, novis constitutionibus ad tempus omissis, generali tamen numero ad fidem editionum servato.

(*d*) Graece : *De poena officialium subripientium aliquid de publicis rebus.*

(*e*) In cod. 4625 : *nisi eis pietas regis indulserit*, quod propius graeco accedit.

(*f*) In graeco textu alter hic titulus cum hac rubrica : *De poena officialium qui negligunt res publicas*, priorem latini tituli partem antecedit.

serit, in persona propria et (*a*) rebus suis constituetur obnoxius, et hoc aspectu (*b*) regie pietatis.

TITULUS LXI. ΛΘ (39).

. . . . . (*c*).

REX GUILLELMUS (1).

Dohane de secretis et questorum magistri discretum officium ab aliis separantes, super quibus et de quibus [per se vel per alios quibus hoc specialiter destinant] se intromittere debeant, presentis constitutionis nostre tenore duximus advertendum (*d*) : in primis videlicet de thesauris inventis et de pecunia absconsa ab aliquo, quorum domini per probationes dilucidas reperiri non possunt. Item de his que de naufragiis curie nostre debentur, [cum ex naufragio quorum res sunt aliqui vel ex eis successores legitimi non supersunt, intromittere se debebunt (*e*)]. Preterea si aliquis clericorum qui hereditaria possederit [vel laicorum] de terra demanii nostri sine herede decesserit, nec filium vel filiam legitimam aut aliquem ascendentium vel descendentium aut ex latere venientium qui ad successionem ipsius ab intestato possit [de jure] venire, reliquerit, nec testamentum fecerit, cum ejus hereditas libera et absque servitio curie fuerit, cum omni juris solemnitate publice sub-

(*a*) Ap. Carcani *vel*; in codice *et*, quod bene graeco convenit.

(*b*) In codice *prospectu*; graece *ad discretionem regiae pietatis.*

(*c*) Graece rubrica adest : *De officiis secretorum et quaestorum.*

(*d*) Graece brevius : *praepositi secretis dohanarum et quaestorum magistri separatum officium ab aliis habentes, quae et quorum sint administraturi, specialiter constitutione praesenti definimus.*

(*e*) In cod. 4625 : *Item de aliis qui (que) ex naufragiis curie nostre debentur intromittere se debebunt.* Graece tantum : *Item de rebus quae ex naufragio curiae nostrae acquiruntur.*

---

(1) In quibusdam editionibus et etiam ap. Carcani Friderico imperatori titulus adscribitur. Codicem vero nostrum secuti, hanc et sequentes leges potius a Guillelmo emanasse arbitramur.

Digitized by Google

hastata vendatur, et tertia pars pretii pro quo vendita fuerit pro morientis anima pauperibus erogetur, et residuum per prenominati secreti et questoris officium nostre curie reservetur; nisi forte prenominatus secretus et questor nobis viderint expedire ut estimatione predicte tertie pro defuncti anima erogata, ipse res hereditarie in fisci nostri possessione serventur.

TITULUS XXXVII ET LXI. M (40).

De officio magistrorum camerariorum et bajulorum (*a*).

IDEM REX.

Justitiarios, camerarios, castellanos et bajulos esse volumus sollicitos et devotos, ut ubi necesse fuerit et pro commodis curie nostre per doane (*b*) de secretis et questorum magistros vel officiales alios extiterint requisiti, consilium et auxilium eisdem debeant impartiri.

TITULUS LXV. MA (41).

De officio bajulorum (*c*).

IDEM REX.

Locorum bajuli qui a magistris camerariis (*d*) [et a curia nostra quandoque] in credentiam vel in extalium bajulationem recipiunt, civiles causas, omnes reales videlicet et personales quo super feudis et rebus feudalibus minime moventur, ad jurisdictionem suam noverint pertinere. Super minimis [etiam furtis et aliis] offensis de quibus comprobati penam sui

(*a*) Graece : *Ut officiales secretis praestent auxilium.*

(*b*) Ap. Carcani *per dictum* [*de secretis*], sed alias, tit. XXXVII, *per dohanae secretos.* In cod. 4625 : *per dohanarum de secretis et questorum magistrum.* In cod. graeco : *per praedictos quaestores et alios officiales requisiti pro aliquibus servitiis.*

(*c*) In Sugan. et Venet. : *De cognitione causae coram bajulis curiae regiae.* In graeco *De his quae spectant ad officium bajulorum.*

(*d*) In cod. 4625 : *a magistris camerariis, camerariis et a curia nostra.*

corporis vel ablationem membrorum incurrere non deberent, audientiam suam impartiri debebunt.

TITULUS LXVI. MB (42).

De fure capto per bajulum justitiario assignando cum re furtiva (*a*).

IDEM REX.

Bajulus si furem ceperit, abire ipsum aliquatenus non permittat. Sed si quidem fur extraneus sit, ipsum cum toto suo et re furtiva (*b*) justitiariis nostris assignet. Si autem civis fuerit seu villicus, fur cum eo quod fuerit furatus justitiariis similiter nostris assignetur (*c*). Res autem mobiles ipsius furis quascunque habuerit per bajulos ejusdem loci fisci juribus vendicentur.

TITULUS LIX. MΓ (43).

De juramentis non remittendis a bajulis (*d*).

IDEM REX.

Crebra nostrorum fidelium excellentie nostre relatio patefecit quod quidam bajuli nostri usque adeo sue bajulationis extendunt officium quod sacramentales (*e*) quos pro causarum qualitatibus per sententiam judicum prestari contingit, bajuli ipsi interdum gratis (*f*) et sepius pecunia recepta remittunt. Quod reputantes iniquum in posterum prohibemus, penam unius libre auri in bajulum qui contra fecerit statuentes.

(*a*) Graece : *De bajulo capiente furem et quid sit facturus.*

(*b*) In codice *et rem furatam.*

(*c*) Ap. Carcani *assignet.* Corrigimus ex codice, ubi tamen inepte pro *similiter nostris* scribitur *si mulier est.*

(*d*) Graece : *De bajulis qui juramenta e sententia remittunt* (συμπαθοῦσι, forte pro συγχωροῦσι).

(*e*) Graece simpliciter : τοὺς ὅρκους.

(*f*) In edit. Veneta *de gratiis.*

Digitized by Google

TITULUS LXVII. MΔ (44).

De mutuatione et recommendatione pecunie (*a*).

IDEM REX (*b*).

Regie majestatis prudentia exigit regni subjectorum consuetudines supervacuas radicitus extirpare. Hac igitur edictali lege sancimus universos nostre jurisdictioni subjectos [qualiscunque sit], qui rem vel pecuniam mutuo acceptam vel apud se depositam commodatamque vel quamlibet aliam rem, [illis quorum res esse constiterit invitis (*c*)], ultra terminum vel legitimum tempus detinere tentaverit, creditore vel depositore sive commodatore illesis, ad tertiam partem (*d*) rei in causam deducte debere mulctari, et eamdem compendiis bajulationis nostre acquiri (*e*). Sane per presentis pragmatice sanctionis edictum nostris fidelibus duximus distinguendum quod si debitor non fuerit ad callida argumenta conversus et animum non habuerit creditorem suum credito vel debito defraudare, et sine dispendio creditoris et fatigatione aliqua in curia veritatem confessus fuerit, nulla alia (*f*) exactione debitorem pregravari jubemus. Si autem veritatem debitor negaverit et suis calliditatibus petitorem circumvenire voluerit (*g*), victus de toto eo in quo fuerit adversario condemnatus, [integram] tertiam curie nostre persolvat.

(*a*) Hanc rubricam Afflictus praefert : *De poena negantis depositum vel mutuum.* Graece : *De jure bajulorum.*

(*b*) In codice 4624 A legitur quoque REX GUILLELMUS.

(*c*) Ap. Carcani *invitus*. Clare tamen cum codice legendum *invitis*.

(*d*) Sic legimus cum graeco. Ap. Carcani *tertia rei*, subaudita *parte*.

(*e*) A verbo *mulctari*, haec desunt in codice, sed extant in graeco.

(*f*) In omnibus *varia*, sed ex sensu graeci textus corrigimus in *alia*.

(*g*) In codice *molitur*, quod propius accedit graeco διῃχυρίζεται.

TITULUS LXVIII. MZ (47).

De clericis conveniendis pro possessionibus quas non tenent ab ecclesia (*a*).

IDEM REX (1).

Si quis clericus de hereditate vel aliquo tenimento quod non ab ecclesia, sed a nobis vel ab alio aliquo per patrimonium [sive aliunde] teneat, appellatus fuerit, volumus ut de hoc in curia illius in cujus terra possessionem vel tenimentum habuerit, respondeat et quod justum fuerit faciat; non tamen ut persona sua exinde capiatur vel incarceretur (*b*).

TITULUS LX. ME (45).

De officio magistri camerarii et camerarii (*c*).

IMPERATOR FREDERICUS.

Officiorum periculosa confusio privatorum jura qui justitiam sitiunt plerumque confundit. Sane cum predecessorum nostrorum discreta provisio ad hec diligenter intenderit ut publicarum personarum officia segregaret (2), provisionem ipsorum effectu debito prosequentes, statuimus magistros camerarios seu camerarios qui a curia nostra officium in cre-

(*a*) In graeco : *De foro clericorum.*

(*b*) In codice 4625 : *verum tamen de persona sua exinde non capiatur vel incarceretur.* In graeco : *ejus tamen personam exinde capi vel incarcerari vetamus.*

(*c*) Graece : *De his quae spectant ad officium camerlingorum.* — In quibusdam editionibus : *De discreta cognitione causarum.*

---

(1) Minime dubitandum est quin recte lex ista regi Guillelmo secundo adscribi debeat, quum sit fragmentum privilegii ab ipso ecclesiae Panormitanae anno 1171 indulto, quod postea sub forma constitutionis generalis edidit. Ex eadem Guillelmi II constitutione emanarunt titulus *Ubi clericus in maleficiis*, etc., et alter *De adulteriis coercendis*. Cf. PECCHIA, *Stor. civ. e polit.*, t. I, lib. I, cap. XLI.

(2) Vide supra in constitutione Guillelmi, *Dohane de secretis*, p. 36.

Digitized by Google

dentiam recipiunt [vel in gabellis (*a*)], de causis civilibus tantum preterquam de feudalibus pro sua jurisdictione ad requisitionem bajulorum vel in defectu ipsorum posse cognoscere et ipsas rationabiliter definire; et causas quas inter bajulos et gabellotos sue jurisdictioni subjectos (*b*) oriri sepe contingit, ipsos audire volumus et sententialiter terminare (*c*). Appellationes etiam quas in causis civilibus in presentia [specialiter] bajulorum a sententiis judicum ordine judiciario cognoscentium ad ipsorum audientiam, [prout assolet], contigerit interponi, ipsos suscipere volumus; et susceptis eisdem, ad confirmationem vel infirmationem sententiarum earum, prout viderint de jure, procedant : [a quibus ad nos et non ad justitiarium, sicut olim, provocationes volumus interponi (*d*)].

TITULUS LXII. Mς (46).

De prestando sacramento [*a*] *bajulis et camerariis.*

IDEM AUGUSTUS.

Puritatem quam nos ipsi sectamur, ab officialibus nostris in judiciis maxime prestolamur. Et ut in penam eorum qui contra fecerint [ultionis divine] judicio nostre indignationis aculeos aggregemus (*e*), presenti lege sancimus ut omnes camerarii et bajuli, priusquam in gabellam vel credentiam bajulationes nostras administrandas susceperint, tactis [corporaliter] sacrosanctis evangeliis, [in publico] corporalia subeant sacramenta quod pure (*f*), sine fraude, [non amore], non odio, non prece,

(*a*) Desunt in graeco. In codice 4625 legitur : *vel ducunt cognitionem.* Rectius tamen ut opinamur ap. Sugan. et Venet. extat : *vel conducunt.*

(*b*) Graece : *quae inter bajulos vel suae jurisdictioni subjectos.*

(*c*) Sic ex codice 4625 corrigimus : ap. Carcani : *ipsas audiri volumus et finaliter terminari.*

(*d*) Hoc ultimum comma recentius additum videtur, dum desit tum in graeco textu, tum in latino 4625.

(*e*) Simplicius in graeco : *Et ut poenam iis qui hoc negligunt judicio nostrae indignationis exaggeremus.*

(*f*) Graece autem δικαίως, *juste.*

Digitized by Google

non pretio nec timore, omnibus conquerentibus absque personarum acceptione, prompto zelo justitiam ministrare curabunt, [et quod secundum constitutiones nostras et in defectu earum secundum consuetudines approbatas, ac demum secundum jura communia, Longobarda videlicet et Romana, prout qualitas litigantium exegerit, judicabunt (*a*)]. Curie nostre demania et jura quelibet illesa servabunt; et quod ipsa non negligant, nec ea in alios ullo alienationis vel locationis titulo transferant, nec per se occupabunt aut occupari permittant, sed occupata et detenta ab aliis nostre curie nunciabunt (*b*). Illud etiam in sacramento bajulorum expressim inserendum esse volumus ut penas seu mulctas nostris constitutionibus comprehensas ab his qui in eas inciderint, prout ad eorum officium seu cognitionem cause pertinere noscuntur, nulli omnino honori et gratie deferentes et sine diminutione requirant et recipiant requisita (*c*); nec a partibus [preter subscriptiones sententiarum infrascripta quantitate taxatas] plus recipiant (*d*), nisi quod est nostra constitutione provisum; [et jurare predicta faciant gabellotos suos quod nil ultra veterem formam et nova statuta requirent vel ab aliis extorquebunt, nisi quod eis constitutio regni et nostra permiserit].

TITULUS LXX. MH (48).

De numero bajulorum per loca (*e*).

IDEM AUGUSTUS.

Sepe contingit quod multitudo officialium qui de facili convenire non

(*a*) Hec omnia desunt tam in graeco quam in codice latino 4625.

(*b*) Hic additur in codice graeco : *neque quid amplius a partibus accipiant nisi quantum ipsis permisimus in nostra constitutione.* In cod. 4625 : *nec a partibus plus recipient nisi quod eis constitutione regia et nostra permisimus.*

(*c*) In graeco : *Et illud etiam sacramento bajulorum comprehensum esse volumus ut poenas et defensas nostris constitutionibus comprehensas ab his qui in eas inciderint, prout, etc., requirant et recipiant, nulli omnino honori et gratiae deferentes.* Quae plura sequuntur apud Carcani tum in graeco, tum in latino codice desunt.

(*d*) Ap. Lindebrog : *nec a partibus pro scriptura sententiarum praeter infrascriptas quantitates taxatas non plures* (plura) *recipiant.*

(*e*) Graece : *De numero bajulorum et qui fieri debeant.*

Digitized by Google

possunt, litigantibus (*a*) in ipsorum rationibus impedimentum inducat. Statuimus igitur ut tres tantummodo bajuli et non plures in locis quibuslibet statuantur, et ipsos etiam de demanio et homines demanii esse precipimus.

TITULUS LXXI.

Ut clerici vel judices non sint bajuli, et de pena facientium contra (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Clerici quos a forensibus negotiis ipse ordo clericalis excludit, ad administrationes bajulorum vel ipsorum officia nullatenus admittantur. Quod etiam ad judices extendentes, ipsos a bajulationibus et bajulorum consortiis privatis et publicis (*c*) removemus; eosdem etiam publicatione bonorum suorum si contra fecerint condemnantes; et bajulationes omnes ubique per regnum calendis septembris inchoari precipimus, sive ad extalium sive ad credentiam collocentur.

TITULUS LXXII. MΘ (49).

In quibus rebus petatur tricesima? (*d*)

IDEM AUGUSTUS.

Constitutionum (*e*) predecessorum nostrorum defectum necessario supplemento supplentes, que in certis tantum questionibus et personis, commodato videlicet, mutuo et deposito, bajulos tertiariam recipere statue-

(*a*) In codice 4625 : *multitudo officialium de facili convenire non possit et litigantibus*, etc.

(*b*) Tam in graeco quam in latino codice hic titulus praecedenti sine ulla divisione adnectitur.

(*c*) In codice latino *vel propriis;* graece ἢ χρυσίως.

(*d*) Graece : *De eo quod debent bajuli a partibus accipere.*

(*e*) In graeco *constitutionis;* unde infra *statuebat,* et *statuens.*

Digitized by Google

bant (1), nec de aliis aliquid sanctientes (*a*) ipsis non modicam malignandi materiam afferebant; statuimus ut de causis aliis tam mobilium quam immobilium et quarumcunque rerum que non cadunt in nomen contractuum predictorum, sed personali qualibet vel alia actione reali petuntur, tricesimam tantum quantitatis vel estimationis rei petite bajuli ipsi exigant et recipiant a damnato, cum causa per sententiam decidatur, sicut in judicibus novella nostri numinis constitutio introduxit. Si vero causa transactionis remedio decidatur, tunc ab utraque parte litigantium recipiant tricesimam supradictam. Bajulus autem contra predicta [vel aliquid supradictorum veniens] que in nostris et regum (*b*) assisiis continentur, preter perjurii penam [in articulis jurisjurandi contentam] de quo divina sententia condemnatur, duas libras auri [purissimi] erario nostro se noverit illaturum.

Circa tamen compalatios Neapolis et straticos Salerni scilicet et Messane, quibus cognoscere licet de criminibus de speciali et antiqua prerogativa et regni nostri observatione dignoscitur esse concessum, ordinatione constitutionis presentis nihil volumus innovari (*c*).

TITULUS XCI. N (50).

De officio castellanorum et servientium (*d*).

REX GUILLELMUS.

Castellani et servientes ab incarceratis qui eodem incarcerationis die quacunque hora extiterint liberati, nihil omnino recipiant. Si autem in eodem carcere noctem incarceratus fecerit, non plusquam dimidium tarenum pro liberatione ab incarcerato ipso volumus postulari.

(*a*) In omnibus *sanctiones*. Corrigimus ex codice latino 4625.
(*b*) *Et regum* deest in codice latino. In graeco καὶ τῶν ἡμετέρων προγόνων.
(*c*) Haec ab *Circa tamen* usque ad finem in cod. 4625 omnino desunt.
(*d*) Graece : *Quantum debeant castellani a carceratis exigere.*

(1) Vide supra tit. LXVII, ex graeca computatione 44.

Digitized by Google

NA (51).

De eodem (*a*).

IMPERATOR FREDERICUS.

Si quis castellanorum vel servientium ultra id quod ab incarceratis ipsis recipere regia constitutione permissum est, receperit, in nonuplum [id quod injuste perceperit] fisco nostro componat; [et simplum quod a predictis sic injuste receptum est ipsis omnimodo reddendo (*b*)].

NB (52). (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Custodes de quorum custodia captivi per negligentiam ipsorum evaserint, bonis suis omnibus publicatis, per annum squalore carceris decernimus macerari, ut carcerem incarcerati ipsimet non deserant (*d*) qui in carceratis custodiendis aliis negligentiam commiserunt. Hi autem qui per fraudem incarceratos abire permiserint, [juxta antiqua jura] capitali sententia feriantur (1).

(*a*) In graeco novus titulus efficitur cum hac rubrica : *De poena castellanorum ultra praescriptum exigentium.*

(*b*) In cod. 4624 A, legitur : *quod sic injuste* [*recepit*], *est ipsis omnimodo reddendum ;* melius.

(*c*) Deest rubrica ap. Carcani. In quibusdam editionibus legitur : *De custodia captivorum.* In graeco novus titulus efficitur cum hac rubrica : *De poena custodum carceratos relinquentium.*

(*d*) Graece aliter : ἵνα αὐτοὶ πεφυλαχωμένοι φυγὴν ἄλλοις οὐ συγχωρήσωσιν.

---

(1) Vide exempli causa quid narret Matteo de Giovenazzo (*Diurnali*, §§ 4 et 5) de supplicio gavarretti Barensis qui captivis sibi commissis fugam parare intenderat.

TITULUS XCII. NΓ (53).

De servientibus exeuntibus extra castrum sine licentia sui castellani (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Culpam non immerito reputantes aliquem immiscere se rei ad suum officium minime pertinenti, presenti constitutione [sancimus et] inviolabiliter prohibemus magistris castrorum, castellanis et servientibus eorumdem ut extra castrorum septa sine speciali conscientie (*b*) nostre mandato de nullo negotio terre ipsius in qua castrum situm est, se [aliquatenus palam] intromittere audeant (*c*) [vel occulte]. Si quis autem de predictis contra fecerit, ab officio ipso remotus pena quinquaginta augustalium fisco nostro inferenda mulctetur. Servientibus autem expressius inhibemus ut extra castrum non exeant sine licentia castellani, et cum ipsos de castellis (*d*) ob aliquam causam exire contigerit, plures quam quatuor insimul potestatem non habeant exeundi. Servientes autem contra predicta temere attentantes pena quatuor augustalium puniri volumus, aut si non habent de peculio aliquid, per dimidium annum ad opera publica deputari censemus.

IDEM AUGUSTUS.

Castellanorum civiles excessus per magistros camerarios regionum, criminales vero per provinciarum justitiarios, durantibus etiam ipsorum castellanorum officiis, audiri volumus et secundum justitiam emendari (*e*).

(*a*) Graece : *De officio castellanorum et servientium.*

(*b*) *Munificentie* in duobus codicibus.

(*c*) Graece ita sensus dividitur : *non licere castellanis eorumque servientibus castri propugnacula et aggeres transilire sine speciali mandato nostre celsitudinis, neque se intromittant causis ad terram spectantibus in qua castrum situm est.*

(*d*) In codice 4625, *ipsos de castellani licentia.*

(*e*) Licet hoc fragmentum in graeco et in latino codice desit, cum sit praecedentibus quasi annexum, retinuimus.

Digitized by Google

TITULUS XLIV. NΔ (54).

De officio justitiariatus (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Justitiarii nomen et normam jus et justitia contulerunt quibus quanto magis in nomine sunt affines, tanto eorum veri et solliciti debent esse cultores. Hinc est quod ipsorum judiciis cause capitales maxime reservantur et quod ipsorum officium debet esse gratuitum; nec ipsum licet alicui pretii venalitate mercari. Que igitur ad ipsorum cognitionem pertineant, predecessorum nostrorum assisiis comprehensa, apertius definimus, latrocinia scilicet, magna furta, fracture domorum, insultus excogitati, incendia, incisiones arborum fructiferarum et vitium, vis mulieribus illata, duella, crimina majestatis, arma molita (*b*), defense imposite [et contempte ab aliis vel pro aliis ab eisdem], et generaliter omnia de quibus convicti penam sui corporis vel mutilationem membrorum sustinere deberent. Magnum autem furtum accipimus ultra viginti augustales, etiamsi civiliter de furto ipso agatur, ut tamen etiam de quantitate minori coram justitiario [ad corporalem penam] criminaliter possit accusatio intentari (*c*). Cognitionem civilium etiam causarum in defectu etiam camerariorum et bajulorum ad officium suum pertinere cognoscant. Defectus vero in camerariis et bajulis tunc esse videtur, videlicet cum post duos menses a die proclamationis ad ipsos facte [cause eis a superiori commisse fuerint (*d*)], nec conquerentibus in ra-

(*a*) Graece : *De iis quae ad officium justitiariorum pertinent.*

(*b*) Sive *arma moluta, armes émoulues.*

(*c*) In graeco paulo aliter vertitur : *Magnum autem furtum accipimus ultra viginti augustales, magis adeo si civiliter de hoc furto agatur. De minori autem quantitate coram justitiario criminaliter agi poterit.* Quae sequuntur usque ad : *De feudis etiam* omnino desunt in cod. 4625.

(*d*) Desunt haec in graeco et, ut videtur, recte.

tionibus suis satisfaciunt ut tenentur et debent, nisi instructionis [desiderate] necessitas terminum exigat largiorem. Eodem per omnia observando in dominis de quibus constiterit infra predictum tempus ad requisitionem superioris vel mandatum nostrum, hominibus nolle facere justitie complementum. De feudis etiam et rebus feudalibus ipsi cognoscant, preter questiones de castris et baroniis et magnis feudis que in quaternionibus doane nostre scripta sunt : que omnia singulariter cognitioni nostre curie reservamus.

TITULUS XLV. NE (55).

Ubi clericus in maleficiis debeat conveniri (*a*).

REX GUILLELMUS (1).

De personis clericorum totius regni nostri volumus et jubemus quod si de aliquo foris facto de quo persona judicari vel condemnari debeat appellatus fuerit, non a nobis vel a curia nostra, sed ab ecclesia et in curia ecclesie de eo quod ad personam suam pertinet (*b*) judicetur et secundum canones et jus ecclesiasticum condemnetur; excepto si de proditione aliquis fuerit appellatus vel de alio magno hujusmodi maleficio, quod spectat ad majestatem nostram. Quod si acciderit, volumus et precipimus ut de hoc quod spectat ad curiam nostram in nostra curia judicetur.

TITULUS XLVI. Nς (56).

De prestatione sacramenti a magistro justitiario [*et justitiariis* (*c*)].

IMPERATOR FREDERICUS.

Inter cetera capitula que in sacramento prestando a magistro justitiario

(*a*) Graece : *De clericis quando criminaliter conventi fuerint*.
(*b*) Alias *spectat*.
(*c*) *Et justiciariis* deest in graeco.

(1) Cf. quid supra dixerimus de hac constitutione a Guillelmo II rege pro ecclesia Panormitana edita, p. 40, not. 1.

Digitized by Google

[seu justitiariis (*a*)] cum administrationem suscipiunt continentur, hoc specialiter et expressius volumus contineri ut Deum et justitiam habendo pre oculis, unicuique conquerenti justitiam faciant sine fraude, et quam citius poterunt litigantes expedire curabunt.

TITULUS XL, PARS II (*b*). NZ (57) (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Magne curie nostre magistrum justitiarium, velut justitie speculum in cognitionum nostrarum judiciis collocatum, non magis magisterii nomine justiciariis (*d*) ceteris prefici volumus quam exemplo : ut in ipso ceteri gradus inferiores aspiciant quod in se ipsis observent. Quedam tamen ejus in tantum specialiter sunt annexa judicio ut de eis absque delatione (*e*) [nostri nominis] speciali alius cognoscere non presumat (*f*); de comitatibus videlicet, baroniis, civitatibus, castris et magnis feudis, que in quaternionibus dohane nostre (*g*) baronum inveniuntur inscripta. Curialium etiam questiones qui a curia nostra discedere sine mandato nostro vel ordinatorum (*h*) nostrorum pro velle non possunt, qui tamen (*i*) im-

(*a*) In codice 4625 *a magistris justitiariis*, sicut in graeco.

(*b*) Haec constitutio quae *nova* dicitur, ap. Carcani titulo XL adnectitur, licet prima pars non adsit in graeco neque in cod. 4625. Unde ordinem textus graeci servantes, secundam hanc partem, nostro judicio prima vetustiorem, ad suum locum reponimus.

(*c*) Huic titulo graeca rubrica imponitur, scilicet : *De rebus pertinentibus ad officium magistri justitiarii.*

(*d*) Ap. Carcani *justitiarium*. Corrigimus tam ex codice 4625 quam ex graeco τοῖς ἄλλοις δικαιώταις.

(*e*) Verbi *delatione* sensus est *transpositione a magistro justitiario in alium judicem*; ἀνάθεσις enim apud Suidam est ὑπέρθεσις.

(*f*) In graeco : *Verumtamen sunt quaedam adeo specialiter horum jurisdictioni adnexa, ut sine suspensione* (transpositione) *speciali alius cognoscere non praesumat.* Unde liquet *specialius* quod ap. Carcani legitur, corrigendum esse *speciali alius*.

(*g*) In graeco *curie nostre*.

(*h*) Ex cod. 4625 et ex graeco τῶν παρ' ἡμῶν τεταγμένων, corrigimus *ordinariorum*.

(*i*) Hoc verbum *tamen* mala videtur interpretatio graeci ὅμως, quod legendum est ὁμῶς, *pariter*.

Digitized by Google

mediate nobis vel officialibus nostris non pro ipsorum servitiis, sed pro nostris assistant, [in aliquo forsan ab eis officio constituti], sive agant, sive conveniantur, magister justitiarius examinet et decidat (*a*); qui etiam prerogativa speciali letantur ut illic (*b*) adversarios suos in civilibus et criminalibus causis valeant evocare. Appellationes etiam et consultationes inferiorum judicum [seu etiam delegatorum a nobis], que ad nostri culminis audientiam deferuntur, dum nobiscum in nostra curia commoratur (*c*), pro jurisdictione sua suscipiat audiendas et fine debito terminandas (*d*).

[TITULUS XLI.]

[*De eodem magistro justitiario.*]

[IDEM AUGUSTUS.]

[Honorem debitum atque precipuum nostre curie reservantes, edicimus ut] si quando etiam predictus magister justitiarius civitatem quamlibet vel locum (*e*) intraverit, quousque in eodem loco magister justitiarius ipse una cum judicibus nostris curiam nostram tenuerit, justiciarius regionum qui illic inventus fuerit silere debebit, ut puta minori lumine per luminare majus superveniens obscurato.

(*a*) Ita ex cod. 4625 et ex graeco corrigimus pro *magistri justitiarii examinent et decidant.*

(*b*) Scilicet *ad magnam curiam*, ut in graeco.

(*c*) Sicut in graeco legimus *commoratur et suscipiat*, dum de magistro justitiario agatur.

(*d*) In cod. 4625, sicut in graeco, legitur : *immediate terminandas. Si quando etiam dictus*, etc. In duobus enim quae ap. Carcani novum titulum efficiunt, sine intervallo praecedenti titulo subnectuntur.

(*e*) In cod. 4625 additur *una nobiscum :* quod bene quadrat cum codice graeco Barberino ἐν τινι πόλει μεθ' ἡμῶν σύνεστιν.

Digitized by Google

TITULUS XLVII. NH (58).

De servando indemnitatem comitibus, baronibus et militibus (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Ut universis et singulis regni nostri nobilibus honor debitus integre conservetur, comitibus, baronibus ac ceteris militaribus viris eorum judicia sibi invicem reservamus; videlicet ut predicti criminaliter accusati vel etiam conventi civiliter nonnisi per comites et barones et eos qui a nobis tantum feuda in capite tenent, non qui comitibus et baronibus aliis teneantur, definitivas et interlocutorias sententias, etiam que principali negotio prejudicium possint afferre, recipiant cum proborum virorum judicio (*b*) et aliorum nobilium consilio proferendas et per eosdem comites et barones, interdum etiam de commissione ipsorum per curie nostre judices decidendas. Et quamquam omnes (*c*) aliquando examinationi totius negotii non intersint; auditam tamen causam et plene discussam justitiarii et judices nobilibus qui sententiam debebunt ferre, seriatim enuncient, ut sic (*d*) antedicti comites et barones secundum constitutiones sacras nostras aut in defectu ipsarum secundum consuetudines regni approbatas et demum secundum jura quibus constitutiones predecessorum nostrorum et nostre non obviant, ac denique recepto responso celsitudinis nostre si cause dubietas hoc requirat, causam secundum Deum et justitiam sententialiter terminare procurent. A quorum sententiis si contigerit ad audientiam superiorum judicum vel nostri culminis provocari, appellationis judex ordinarius vel delegatus a nobis qui comes similiter sit aut baro, de aliorum comitum et baronum ac judicum [et proborum virorum] consilio, [appellationis causas] honori

(*a*) In cod. graeco Paris. : *De foro comitum et baronum.* In codice Barb. : Περὶ τῶν ἀποφάσεων προσφερομένων κατὰ κομήτων καὶ βαρουνίων; rectius.

(*b*) In cod. 4625 *judicum*, quod propius graeco accedit.

(*c*) Ibidem et in graeco *omnes.* Unde correximus *comites*, quod sensui minus convenit.

(*d*) Ap. Carcani *sicut.* Graece tamen οὕτως, recte.

Digitized by Google

nostro et justitie deferentes (*a*), confirmando vel infirmando priorem sententiam, decidere procurent; quod non solum in judiciis cognitionum nostrarum, sed in aliis etiam generaliter [sive delegationis jure sive jure ordinario cognoscatur, inviolabiliter] volumus obtineri. Et ut omnis omnino ab antedictis judiciis (*b*) possit abesse dubietas, comites et barones et similes et (*c*) qui vel in magna curia nostra vel alibi debebunt de cetero interesse sententiis, corporalia volumus sacramenta prestare quod de pure conscientie gremio, nulli favori vel gratie deferentes, juxta sacratissimas predecessorum nostrorum [regum Sicilie] et nostri nominis sanctiones ac [deinde secundum regni nostri obtentas consuetudines et] jura et postremo de conscientie nostre consilio, sententias formare curabunt. Sententie tamen que ante tempora presentis legis [citra predictam formam] contra comites et barones [et similes] late sunt, in suo robore perseverent.

TITULUS XLVIII. NΘ (59).

De prohibita officialium nostrorum ordinatione (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Duram et diram penam et qualitati delicti minime congruentem regis Gulielmi dive memorie (*e*) predecessoris nostri constitutione contentam, qua ordinatores et ordinati in vicariatus (*f*) et justiciariatus officio (*g*) sine nutu et licentia regie potestatis capitali sententia feriuntur, imperiali

(*a*) Pluraliter, scilicet *judex appellationis et comites de consilio*. Graece ἀναφέροντες... προνοήσεται. Forsitan ἀναφερόντως adverbialiter, ut magis singulari conveniat.

(*b*) In graeco autem *judicibus*.

(*c*) *Et* deest in cod. 4625 et in graeco.

(*d*) In editis *occasione*, inepte. Carcanum secuti *ordinatione* admittimus. Graecus habet: *De poena constituentium vicarios in officio justitiariorum*. In Barberino: *De poena constit. vic. sine scientia regiae potestatis*.

(*e*) Graece: *In felici beatorum sorte regis Guilielmi*. Cf. λῆξις ap. H. Stephanum.

(*f*) In cod. 4625 *camerariatus*, minus recte.

(*g*) Graece melius: *ordinati et ordinantes vicarios in officio justitiarii*.

Digitized by Google

mansuetudine mitigantes, decernimus supradictos publicatis omnibus bonis suis ab officio quod sic illicite usurpaverant amoveri.

TITULUS XLIX. Ξ (60).

Quod nullus prelatus, comes, baro officium justitiarii gerat (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Ea que ad speciale decus et merum imperium celsitudinis nostre spectare noscuntur, per presumptiones illicitas volumus a nemine usurpari. Hoc igitur pie (*b*) nostre majestatis edicto in perpetuum valituro firmiter inhibemus prelatis ecclesiarum, comitibus, baronibus et militibus et locorum universitatibus ne justitiarii officium in terris suis gerere audeant vel gerendum alicui demandare (1), sed magistro justitiario et justitiariis (*c*) ab excellentia nostra statutis intendant. Contra presentem autem prohibitionem nostri culminis satagentes, tam statuentes justitiarios quam statutos, terre sue (*d*) publicatione mulctamus.

TITULUS L.

Qua pena universitates teneantur que creant potestates et alios officiales.

IDEM AUGUSTUS.

Cum satis abundeque sufficiant officiales a nostro culmine stabiliti ad

(*a*) Graece : *De poena gerentium officium justitiarii in propriis terris*, recte; non enim omnimodo ac penitus vetatur posse praelatum vel comitem officium justitiarii gerere.

(*b*) *Pie* deest in cod. 4625 et in graeco.

(*c*) Ap. Carcani : *sed de magistris justiciariis et justiciariis*. Corrigimus ex codice 4625 et ex graeco.

(*d*) Hic *totius* additur in cod. 4625.

---

(1) Cf. quid supra diximus de curia Capuana anno 1220, mense decembri, celebrata; t. II, p. 91, not. 1.

hoc ut tam in civilibus quam criminalibus causis unusquisque justitiam valeat invenire (*a*);

ΞA (61) (*b*).

usurpationem illicitam que in quibusdam partibus regni nostri invaluit abolentes, precipimus ut amodo potestates, consules seu rectores in locis aliquibus non creentur, nec aliquis sibi auctoritate consuetudinis alicujus vel ex collatione populi (*c*) officium aliquod aut jurisdictionem usurpet; sed officiales tantum a nostra majestate statutos vel de mandato nostro, scilicet magistros justitiarios, justitiarios, camerarios, bajulos et judices ubique per regnum volumus esse et tam jura nostra quam nostrorum fidelium ministrare. Quecumque autem universitas in posterum tales ordinaverit, desolationem perpetuam patiatur, et omnes homines ejusdem civitatis angarii in perpetuum habeantur. Eum vero qui aliquid de officiis supradictis susceperit, capite puniri censemus.

TITULUS LXXIX. ΞB (62).

De judicibus et notariis et eorum numero (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

In locis demanii nostri ubique per regnum judices non plures tribus et notarios sex volumus ordinari, civitatibus Neapolis, Salerni et Capue tantum exceptis, in quibus quinque judices et octo notarios esse volumus statuendos, in quibus [fere] contractus omnes coram judicibus et notariis celebrantur; quos non ut olim a magistris justitiariis vel camerariis, sed a

(*a*) Haec omnia ab *Cum satis etc.* κεφαλὴν Ξ in graeco absolvunt et claudunt. Et re ipsa non se minus juste praecedenti titulo accommodant, quamquam vice prooemii tituli L fungantur.

(*b*) Nunc adest in graeco rubrica ut sequitur : *De poena constituentium consules et gubernatores in civitatibus.*

(*c*) In cod. 4625 additur *vel electione*; graece συναινέσεως.

(*d*) Ap. Afflictum : *De judicibus annalibus, etc.;* in graeco : *De judicibus et notariis et qui debent constitui.*

Digitized by Google

nobis tantummodo ordinari sancimus, [preter judicem et actorum notarium quos, ut prescriptum est, poterunt magistri camerarii ordinare]. Quos omnes etiam sub tali cautela decernimus promovendos ut nullus judex vel notarius publicus, nisi sit de demanio et homo demanii (*a*), statuatur, ita quod nulli sit servitio vel conditioni subjectus, nec alicui alii persone ecclesiastice vel seculari, sed immediate nobis tantummodo teneatur. Predicti autem tam judices quam notarii cum litteris testimonialibus hominum loci ipsius in quo statuendi sunt, ad presentiam nostram vel ejus qui vicem nostram in absentia nostra in regno universaliter procurabit, accedant. Que littere testimonium fidei et morum judicis vel notarii statuendi continere debebunt, et quod in ipsius loci consuetudinibus sit instructus. Examinationem autem litterature et etiam juris scripti examini (*b*) nostre curie reservamus (1).

(*a*) In graeco brevius *nisi sit homo demanii nostri.*

(*b*) Addimus *examini* ex graeco textu.

---

(1) De forma ordinandorum judicum et notariorum tam intra regnum Siciliae quam extra, varia nunc exhibemus Friderici secundi mandata : primum scilicet ex MARTENE et DURAND, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1185, n° 70, coll. cum cod. Paris., 455, *Fonds S. Germ.*, pars V, n° 26 : « Fridericus, etc., justiciario, etc. Contingit interdum quod ex defectu judi- » cum in locis quampluribus claudicante justitia, nostrorum fidelium jura depereunt, ex- » cessibus aperitur audacia et servitia nostra remanent imperfecta, dum in celebrandis con- » tractibus haberi non potest copia jus dicentis. Volentes itaque super hiis efficaci consilio » provideri, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus incontinenti receptis presentibus, » singulis universitatum terrarum demanii nostri jurisdictionis tue firmiter ex parte nostre » majestatis injungas ut unum aut plures, prout cujuslibet loci qualitas exigit, annuales judices » fideles et probos, de aliis videlicet qui judicatus officium anno proximo precedenti non gesserint, » eligere debeant, et electos cum eligentium testimonialibus litteris ad curiam nostram pre- » mittant, provide celsitudinis nostre litteras recepturos. Datum, etc. » Secundum extat ap. PETR. DE VIN., *Epist.*, lib. VI, cap. XXIII, coll. cum diversis bibl. Paris. codicibus; ad ann. 1239 referendum esse videtur : « Notum facimus fidelitati vestre, quod nos confisi de prudentia et » legalitate A. concivis vestri, de cujus fide et sufficientia laudabile testimonium per literas » vestras recepimus, recepto ab eo in curia juxta nostram consuetudinem fidelitatis et officii » debito juramento, ipsum judicem vestrum per totam presentem duodecimam indictionem » duximus statuendum; fidelitati vestre mandantes, quatenus eidem fideli nostro in omnibus » que ad ipsius officium judicatus spectare noscuntur, ad honorem et fidelitatem nostram per » totam presentem duodecimam indictionem de cetero intendatis, tanquam judici per nos-

TITULUS LXXX. ΞΓ (63).

De instrumentis conficiendis.

IDEM AUGUSTUS.

Consuetudinem quam olim in aliquibus regni partibus audivimus obtinere, dilucida constitutione cassantes, decernimus instrumenta publica et quaslibet cautiones per litteraturam communem et legibilem per statutos a nobis notarios scribi debere, scribendi modo qui in civitate Neapolis, ducatu Amalfie ac Surrenti [atque per eorum pertinentias] hactenus servabatur omnino sublato (1). Volumus etiam et sancimus ut predicta instrumenta publica et alie similes cautiones nonnisi in per-

---

» tram excellentiam ordinato. » Tertium adest in bibl. Mus. Britann., cod. Vespas., fol. 111 recto-verso, ut sequitur : « Universis, etc. Per presens scriptum notum fieri volumus universis » imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos confidentes de prudentia et » fidelitate P. filii C. fidelis nostri de civitate Clusina, recepto ab eo juxta consuetudinem » fidelitatis et officii juramento, statuimus eum judicem ordinarium in imperio nostro ut amodo » ubique per imperium liceat, etc., *in solita forma*. » De ordinatione autem notariorum legitur apud Petaum de Vin., *Epist.*, lib. VI, cap. XXXII : « Notum facimus universitati vestre » quod T. Tauriniensis, fidelis noster, juxta sacrarum constitutionum nostrarum tenorem » examinatus, inventus fidelis, et de genere fidelium ortus, et sufficiens ad notariatus officium » exercendum, est per nostram curiam approbatus. Propter quod de ipsius prudentia et fide» litate confisi, statuimus eum publicum notarium Tauriniensem : ut amodo in terra ipsa » publice notariatus officium ad honorem et fidelitatem nostram debeat exercere; recepto ab » eo juramento fidelitatis de ipsius publici notariatus officio fideliter exercendo. Quare fideli» tati vestre mandamus, quatenus si in terra ipsa non est completus numerus statutus no» tariorum, nostris constitutionibus comprehensus, dicto T. fideli nostro, tanquam publico » notario ejusdem terre a nostra majestate statuto, de omnibus que ad ejusdem notariatus » officium pertinent, ad honorem et fidelitatem nostram de cetero intendatis. » Scriptum est simili modo, verbis competenter mutatis, hominibus Carcii (Carii?), ut patet ex ultima epistola codicis supra laudati 455, *Fonds S. Germ.*, in Bibl. Paris. « Federicus, etc., ballivis, judicibus » et universis hominibus Carcii fidelibus suis gratiam suam, etc. Notum facimus universitati » vestre quod M. de Carcio fidelis noster, etc., publicum notarium Carcii, etc., dicto M. fideli » nostro tanquam publico notario, etc. (*reliqua ut supra*). »

(1) Cf. quod supra notavimus de constitutionibus apud Capuam mense decembri 1220 editis, t. II, p. 91, not. 1, n° 5. Hic agitur de scribendi modo a curialibus usitato.

Digitized by Google

gamenis in posterum conscribantur (1). Cum enim eorum fides multis futuris temporibus duratura speretur, justum esse decernimus ut ex vetustate forsitan destructionis periculo non succumbant. Ex instrumentis in chartis papyri (*a*) [vel alio modo quam ut predictum est] scriptis, nisi sint apoche vel antapoche, in judiciis vel extra judicia nulla omnino probatio assumatur; [scripturis tantum preteritis in suo robore duraturis]. Que tamen in predictis chartis bombycinis sunt redacte scripture in predictis locis Neapolis, Amalfie et Surrenti (*b*), infra biennium a die edite sanctionis istius ad communem litteraturam et legibilem redigantur.

TITULUS LXXXI. ΞΔ (64).

De judicibus per imperialem celsitudinem promovendis (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Cum nova nostri nominis sanctione statutum sit ut judices de ques-

(*a*) Graece ἐν χαρτίοις βανβαχεροῖς. Unde chartae papyri vel bombycis idem sonant.

(*b*) Hic in graeco deest Σουρρέντου.

(*c*) In graeco autem et in cod. 4624 A rectius : *De non ordinandis adjunctis et admezatoribus.*

(1) Alteram ordinationis notarii formam nunc edimus, ubi chartae bombycinae usus quoque prohibetur, ex codice Bibl. Vindob. dicto *Philolog.* 427 (637), cui titulus *Guidonis epistole*, fol. 91 recto-verso : « [F]R. Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus atque (*sic*) » rex Cicilie. Imperialis majestas que orbem terrarum insuperabili potentia moderatur, justa » suorum fidelium tenetur precamina admittere et admissa legitimo robore premunire. Inde » est quod universis imperii fidelibus presentem paginam inspecturis facimus manifestum quod » dilectum nostrum fidelem J. *talis loci* investivimus de officio nostro (*leg.* notarii), dantes ei » auctoritatem per totum Romanum imperium conficiendi publica instrumenta, recipiendi » testes, publicandi confessiones et attestationes, et faciendi omnia que ad tabellionatus » officium pertinere noscuntur. Jubemus autem quod in carta rasa vel bombicina non scribat » publicum instrumentum, proposita non valeret (alteret?) ob alicujus odium vel amorem, nec » secreta debeat propter aliquorum dampna vel commoda revelare. Ut autem hujus privilegii » auctoritas majus robur suscipiat et favorem, nostri sigilli munimine jussimus roborari. » Non tamen usus pergamenae semper in ipsa Friderici curia severe fuit asservatus, dum publica instrumenta sub ejus nomine in bombycinis chartis scripta invenerimus et *Regesti* etiam coaevum quod superest fragmentum ex eadem charta confletur.

tionibus cognoscentes per nostram celsitudinem debeant promoveri, adjunctos et admezatores qui per privatorum consensus ad decidendas questiones (*a*) in predictis locis Neapolis, Amalfie et Surrenti [et in circumstantibus] eligebantur hucusque, qui nullam aliam jurisdictionem habebant nisi que ab eligentibus conferebatur eisdem, in posterum eligi prohibemus, sed per judices tantum a nobis statutos coram eorum bajulis et compalatiis (*b*) causas omnes examinari volumus et per sententiam terminari. A quorum sententiis appellationes non ad compares (*c*) vel adjunctos, ut dictum est, sed ad celsitudinem nostram vel ad officiales nostros, camerarios (*d*), justitiarios, magistros justiciarios, sicut in reliquis regni partibus, deferantur : arbitris super rebus de quibus potest de jure in arbitros compromitti, propterea non negandis.

TITULUS LXXXII. ΞΕ (65) (1).

De fide et auctoritate instrumentorum et quot testes debeant subscribere in instrumentis (*e*).

IDEM AUGUSTUS.

Instrumentorum robur et solempnitatem augentes ut de eorum fide nulla omnino in posterum dubitatio possit oriri, statuimus ut si quantitas que in contractu deducitur, infra libram auri subsistat de mobilibus vel

(*a*) Graece πρὸ τοῦ ἀποφῆναι τὰς ὑποθέσεις, *ante decidendas quaestiones*. Quod melius videtur, dum quaestio, ut docet Afflictus, tunc incipiat, cum facta sit litis contestatio. Facta enim contestatione, judices qui a principe jurisdictionem capiunt, non qui a partibus, quae nullam potestatem in adjunctos transferre possunt, sententiam juridice ferre queunt.

(*b*) In graeco : *coram compalatiis vel bajulo.*

(*c*) Ap. Carcani et etiam ex graeco *compalatios*. Nunc tamen cum codice palatino, cum Afflicto et codice 4625 melius *compares* legendum arbitramur.

(*d*) Ap. Carcani *vel officiales nostrae camerae*. Corrigimus ex graeco et ex codice 4625.

(*e*) Graece simplicius : *Quot testes debeant in instrumento subscribere.*

---

(1) Titulus iste inter illos quos Riccardus de S. Germano excerpsit, invenitur. Cf. GATTOLA, *Access. ad histor. Cassin.*, t. IV, p. 804.

Digitized by Google

immobilibus et quibuslibet rebus aut causis (*a*), in instrumento duo testes bone et probate opinionis subscribant preter judicem et notarium; si vero libram auri excedat, tres testes probate fidei, ut est dictum, preter judicem et notarium similiter [in eodem instrumento] subscribant, qui debent esse, ut dictum est, omni exceptione majores et scientes litteras in locis in quibus litterati poterunt inveniri; alioquin, alii etiam (*b*) assumantur. Contra predictam autem formam instrumenta confecta in posterum nullam habeant firmitatem; illo tenaciter observando ut in aliquo locorum nostri demanii clerici cujuscumque sint ordinis in judices et notarios nullatenus assumantur.

TITULUS LXXIII. Ξς (66).

De ordinandis judicibus et quando, et de quibus rebus possit peti tricesima (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Cum circa justitie tramites imperialis clementia oculos sue provisionis advertit, et sui regiminis extollit solium, armando legum munimine imperatoriam majestatem, et subjectorum gravamina et oppressiones relevat, qui sola post Deum magnificentie principis lenitate respirant. Discreta itaque vicissitudine temporum, dum post bellorum strepitus obtenta victoria succederet quies pacis, ad hoc se (*d*) principalis ingenii erexit provisio ut paci justitiam sociaret. Ad quod itaque dum perpense deliberationis consilio vacaremus, distincta (*e*) postmodum moderatione prescripsimus quot et quales [bajuli], judices [atque notarii] per urbes singulas justitiam ministrarent, videlicet his quos dudum invasorum regni nostri per diversas provincias creavit iniquitas penitus antiquatis, et in ipsorum loco de mandato nostro duobus aut tribus aut quinque in locis

(*a*) Apud Ricc. de S. Germ. : *de mobilibus et immobilibus rebus aut quibuslibet cauris.*

(*b*) Hoc additur verbum in cod. 4625 et ap. Ricc. de S. Germano.

(*c*) Simplicius in graeco : *De judicibus et salario ipsorum.*

(*d*) Post *se* delemus *nostri nominis* quod extat ap. Carcani, sed deest in duobus codicibus et in graeco.

(*e*) Alias autem *discreta.*

aliquibus [qui contractibus tunc intersint et una tantummodo cum bajulo causas examinent et decidant (*a*)] viris providis et fidelibus substitutis, ut in novi regis victoria novella justitie propago consurgat; qui juxta tenorem nostrarum constitutionum et jura et consuetudines approbatas causas audiant, [auditas examinent] et a [gratiarum et munerum] sordibus abstinentes, de pure conscientie gremio gratuitas sententias proferant, non venales, nihil omnino preter esculenta et poculenta semel tantum in causis [per se vel per alium] a litigatoribus capientes; sed de munificentie nostre gratia [salarium a curia nostra recipiant, prout unicuique predictorum in locis singulis per nostram excellentiam est provisum. Statuimus etiam ut] tricesimam partem quantitatis in petitione (*b*) deducte vel estimationis petite rei sub sacramento [partis] et taxatione, judices (*c*) ab utraque parte litigantium post definitive sententie calculum vel causas transactione vel amicabili compositione decisas pro judicaturis suis et subscriptionibus consequantur; [et statim oblato libello et parti porrecto in pecunia vel in pignore (*d*) pro curia nostra, pro se demum lata (*e*) sententia vel transactione finita, centesimam (*f*) inter ipsos equaliter dividendam bajulus, judex atque notarius pro scriptionibus et subscriptionibus suis consequantur; preterquam in actione injuriarum in qua de eo tantum quod in taxatione et condemnatione deducitur, vicesima persolvatur (*g*)]. Verum si possessionis in judicio sola restitutio postuletur, tunc sexagesimam tantum recipiant, reliquum (*h*)

(*a*) Ap. Carcani *et uno tantummodo qui una cum bajulo causas examinet et decidat.* Sensum ex cod. 4625 restituimus.

(*b*) Alias *in judicio*, graece ἐν τῇ ἀγωγῇ.

(*c*) Ap. Carcani *et taxatione judicum.* Lectionem *judices* ex graeco et ex codice 4625 praeponimus.

(*d*) Alias tamen *pignoribus.*

(*e*) Ap. Carcani *lite. Lata* vero quod in cod. 4624 A extat, magis se praecedentibus accommodat.

(*f*) Sic in plerisque, sed apud Afflictum et Cancianum *tricesimam.*

(*g*) Haec a verbis *et statim* omnino desunt in cod. 4625 et in graeco.

(*h*) Ita ex graeco τὸ ἐπίλοιπον; ap. Carcani *reliquam* [*tricesimam*], nostra sententia minus recte.

Digitized by Google

sub decisione plenissima in petitorio percepturi, estimatione possessionis cum sacramenti solemnitate prehabita, ut est dictum; ut sic cum qualitate cause vicissitudo salarii compensetur, et judices [curie] non cogantur (*a*) laboribus vacuis laborare. De compositionibus malefactorum etiam que privatis personis vel parti reipublice inferuntur, eamdem partem a partibus vel officialibus curie judicibus percepturis; circa quasi possessionem jurium his omnibus que in judiciis possessionum rerum corporalium ediximus, observandis : ad cujus salarii prestationem partes, aut sponte prestitis vel suffragio curie receptis pignoribus, protinus (*b*) arceantur (*c*).

TITULUS LXIV. ΞZ (67).

De foro competenti et de pena contemptorum (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Cum justitie copiam per officiales nostros cunctis regnicolis mandaverimus elargiri, penam in eos qui nostra jurisdictione contempta, ad forum aliud de his que ad curiam nostram pertinent convolaverint, constitutione presenti duximus statuendam : videlicet ut, sive sit clericus sive sit laicus, confiscatione bonorum mobilium et immobilium, sive sint patrimonialia sive feudalia, puniantur.

TITULUS LXXXIII. ΞH (68).

De advocatis ordinandis.

IDEM AUGUSTUS.

Advocatorum officium qui dubia dirimunt facta causarum, non tam

(*a*) Alias autem *et curia non cogatur.*

(*b*) *Protinus* deest in cod. 4625 et in graeco.

(*c*) Graece diverse concipitur : *Ad praedicti salarii praestationem, si partes sponte sua hoc facere detrectent, curiae suffragio receptis pignoribus coerceantur.*

(*d*) Graece : *De poena venientium in aliud forum.* Hic titulus in latinis editionibus plerisque post titulum LXXIV ejusdem libri, editur. Ordinem palatini codicis et Afflicti secutus est Carcanus.

utile quam necessarium reputantes, nostris constitutionibus duximus inserendum; quos sub tali cautela volumus ordinari ut nonnisi examinati per judices curie nostre et per nostram celsitudinem approbati in eadem curia nostra audeant postulare. Coram justitiariis similiter regionum per judices qui eis pro tempore assidebunt, examinari, et per eosdem justitiarios postea approbari debebunt.

TITULUS LXXXIV. ΞΘ (69).

De prestatione sacramenti ab advocatis.

IDEM AUGUSTUS.

Advocatos tam in curia nostra quam etiam coram provinciarum justitiariis et bajulis statuendos necnon et per partes singulas regni nostri, ante receptum officium tactis sacrosanctis evangeliis corporalia volumus sacramenta prestare : quod partes quarum patrocinium susceperint cum omni fide et veritate (*a*) sine tergiversatione aliqua adjuvare curabunt, ipsas de facto non instruent, contra veram conscientiam nullatenus allegabunt, et quod causas non recipient desperatas, et si quas forte receperint partis fortasse mendaciis coloratas, que juste sibi in principio videbantur, et in processu judicii vel de facto vel de jure compareant ipsis injuste, ipsarum patrocinium incontinenti dimittent; sprete parti, prout priscis legibus est statutum, licentia convolandi ad alterius patrocinium deneganda. Jurabunt etiam quod augmentum salarii in processu judicii non requirent nec de parte litis ineant pactiones; quod sacramentum non tantum semel prestitisse sufficiat, sed coram magistro justitiario et justitiariis regionum anno quolibet renovabunt. Si quis autem advocatorum contra predictam formam et sacramentum venire tentaverit in aliqua causa parva vel magna, ab officio cum perpetue infamie nota remotus, tres libras auri purissimi fisco curie nostre componat. Denique clericos in secularibus causis et judiciis omnibus prestare patrocinia prohibemus, preterquam in causis suis propriis, consanguineorum vel affinium; item

(*a*) Graece καὶ δυνάμεως, *et facultate*, scilicet pro viribus.

Digitized by Google

in causis ecclesiarum ac miserabilium personarum, ita ut sine pretio valeant postulare. Quisquis autem nostrorum [fidelium] officialium advocatum ipsum admiserit, presenti nostra constitutione contempta, libram unam auri sacro erario nostro se illaturum agnoscat : advocato nihilominus qui illicitum patrocinium recipere presumpserit, eadem pena mulctando.

TITULUS XCVI. O (70).

De exordiis et preparatoriis judiciorum (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Si quem nostrorum fidelium ad proclamationem (*b*) de aliquo coram magistro justitiario curie nostre vel regionum justitiariis necessitas forte compulerit [vel voluntas]; si quidem adversarium suum in curia ipsa repererit quem ob aliam specialem causam et justam non venisse constiterit [vel quod ibidem ea perfecta subsistat,] de ipso recepturus justitiam protinus conqueratur. Ob aliam autem causam veniens, sive civiliter sive criminaliter impetatur, revocandi domum jus poterit impetrare; verumtamen recepto prius termino peremptorio quam recedat, in quo se debeat curie presentare. Cujus spatium, ut omnis omnino frustrationis occasio a judiciis excludatur, presentis legis serie jussimus annotari et pro locorum diversitate distingui : ut si conventi domus a curia distet per octo dies aut pauciores octo, tanti temporis dilatio concedatur quod per sex dies domi moratus, dietis competentibus numeratis pro qualitate itineris et persone, ad curiam revertatur. Si autem per decem dietas domicilium ejus a curia distare noscatur, per predictum modum dinumeratione dierum et dietarum habita diligenti, tantum temporis impetret ad regressum quod deducto tempore itineris et reversionis ad curiam, per novem dies (*c*) domi valeat commorari. Ceterum si ultra decem dietas distat a curia domicilium fugitivi, quantacunque distantia allegetur,

(*a*) Graece : *De illo qui nescit se in curia accusari.*

(*b*) Alibi tamen *ad proclamandum.*

(*c*) Sic palat. et graecus; alibi tamen et etiam apud Afflictum *per octo dies.*

dinumeretur tempus ad iter et reditum competens, ut est dictum; quo studiose et diligenter diverso (*a*), dato prout predictum est peremptorio [pro reditu] tam in casu presenti quam in omnibus supradictis, domi sibi liceat per dies duodecim (*b*) commorari. In quibus omnibus dilationibus si venire contempserit [impetitus (*c*)], contra ipsum ex peremptorio, quantum de jure procedi poterit, procedatur.

TITULUS XCVII. OA (71).

De litteris citatoriis.

IDEM AUGUSTUS.

Edictorum ordinem priscis legibus stabilitum ad breviorem modum reducere cupientes, ut ex eis in posterum nulla questionis materia possit oriri, apertissima constitutione sancimus ut citatorie littere per justitiarium et bajulum destinande, non ut olim ad ipsum eumdem qui citandus fuerit ab aliquo per adversarium suum transmittantur, sed per aliquem bonum virum qui in illis partibus ubi reus degere dicitur, commoratur, assignentur (*d*) eidem; vel per specialem citantis nuncium eedem littere destinentur, vel [per] quodlibet edictum aliud citatorium etiam sine scriptis [fiat]. In quibus litteris debet dilucide contineri coram quo et a quo et de qua re ac cujusmodi querimonia deferatur, et tempus expressum in quo per se tantum, si criminalis sit actio, [vel per se vel per alium, si civilis questio moveatur,] citatus debeat in curia comparere. Citatio fiat una pro omnibus, que peremptorium continebit et terminum triginta dierum [ad plus] a die citationis recepte continue numerandorum, in quacunque parte regni citandus manere dicatur. Plerumque etiam brevius spatium indicetur ex qualitate temporum et proximitate loco-

(*a*) Legendum tamen potius *discusso* vel *dimenso*, cum sit in graeco ψηφισθέντος, *dinumerato*.

(*b*) In graeco *decem*, quod rectius videtur.

(*c*) Hoc est *reus conventus*, et recte. Perperam autem in Palat., Lindebr., Sarayna, et etiam Afflicto legitur *impeditus*.

(*d*) Forte *consignentur*. Graece παραδιδόσθωσαν.

Digitized by Google

rum, vel si causa sit urgens, propter quam tam longum tempus concedi non possit. Si vero extra regnum is qui citandus est degat, sexaginta dierum spatium citatio continere debebit. In termino autem peremptorio citatus comparere tenebitur per se vel per alium, si civilis est questio; et legitime in principali causa defendi (*a*) aut pro ipso excusatio legitime allegata probari debet, propter quam in termino predicto sibi dato non potuerit vel non debuerit in curia presentari.

TITULUS XCVIII. OB (72).

De assignatione litterarum citatoriarum (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Citationis littere [tam per justitiarium quam per bajulum] transmittende ipsi eidem qui citandus fuerat, [si ejus copia haberi poterit], sub publice persone testimonio vel presentia duorum vel trium testium assignentur. Quod si ubi sit qui citandus fuerit ignoretur vel inventus haberi ad se aditum non permittat, sufficere volumus quod denunciatio domi fiat in qua uxor ejus vel filii vel alia specialis ipsius familia commoretur, [recepto a familiaribus sacramento quod citationem factam quam primum poterunt ad notitiam citati perducant]. Si vero domus non aperiatur citare volenti, litteras citatorias in limine domus poni jubemus sub testimonio supradicto, et ex tunc triginta vel sexaginta dierum tempus quod in se littere continent, continuum numeretur. Que omnia per eum cui fuerit commissa citatio, volumus expediri et seriatim citanti rescribi, illa in posterum dubietate submota quod is cui facienda citatio extiterit denunciata, mandatum ipsum tam per se quam per alium fide dignum [cui specialiter hoc commiserit], exequatur; cum hic non ut judex cause, sed ut quilibet minister alius ad faciendum aliquid assumatur, nec cause (*c*)

(*a*) Alias *defendendi* seu *deferendi*, male.

(*b*) Graece : *Quo loco litterae inquisitionis deponi debeant, si is qui inquiritur non comparcat.*

(*c*) Hic nonnulla desunt in graeco ab *judex causae* usque ad *cognitionem*. Carcanus credit primum ὑποθέσεως cum posteriore ὑποθέσεως graeco scriptori imposuisse, qui intermedia verba penitus omiserit.

Digitized by Google

cognitionem hoc contineat quod mandatur, ut per libellum non valeat expediri : que omnia volumus in posterum obtinere, sive civiliter quis sive criminaliter impetatur. Predictis autem modis [vel quolibet predictorum citatus], si per se non compareat nec ab alio legitime defendatur vel pro ipso legitima excusatio proponatur, a judicibus contumax reputetur.

TITULUS XCIX. ΟΓ (73).

De pena contumacie in civilibus causis (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Penam novem unciarum auri et tertie que in contumaces hactenus in judiciis obtinebat a nostra republica proscribentes, contumacem [cujuscunque conditionis sit] conventum civiliter vel criminaliter accusatum tertia parte bonorum mobilium nostro erario inferenda in posterum mulctari censemus. Sic enim et judiciorum vigor augebitur et personarum competens discretio inducetur. Plerumque etenim contingebat aliquem vilem et pauperem in predictis novem unciis condemnari, qui non tantum [aliquando] et aliquando amplius non habebat. In quo mulcta predicta nedum fines modestie, sed severitatis etiam terminos excedebat. Contingebat interdum nobilem aliquem et in facultatibus opulentum penam ipsam eludere, dum nihil fere diminui de patrimonio providebat; sed quota detracta mobilium equalem pro qualitate personarum contumacibus penam imponit (*b*). [Civilibus autem causis coram bajulis agitandis citatus contumax, pro qualibet contumacia et per quemlibet mensem quo in ipsa duraverit, augustalem unum curie nostre persolvat.]

(*a*) Graece simpliciter : *De poena contumaciae*, et rectius, dum haec constitutio praeter ultimam partem quae novum in graeco titulum praefert, tam criminales quam civiles actiones complectatur.

(*b*) Paulo aliter haec in graeco leguntur, sed sensu plane eodem : *Contingebat interdum nobilem aliquem atque opulentum hujusmodi poenam nihili facere, quandoquidem non sentiebat imminui paternam substantiam, detracta aliqua portione mobilium rerum. Aequalem igitur pro qualitate personarum poenam imposuimus.*

Digitized by Google

OΔ (74) (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Contumacem civili et personali actione conventum ex nova constitutione nostra tertia mobilium parte mulctatum, antiqui juris regulis inherentes, ante litem contestatam missionem in bonis pro mensura debiti declarati quod ab ipso exigitur pati censemus. Si tamen contumax hereditariarum rerum et feudalium possessor extiterit, in possessionem hereditariarum primitus, deinde feudalium actorem inducendum (*b*) esse censemus.

TITULUS C. OE (75).

De pena contumacie post litem contestatam in civili actione (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Si quis post litem super personali actione in civili judicio contestatam contumax fuerit, si quidem judici ex his que coram eo acta sunt possit de causa liquere, ad definitivam sententiam contra contumacem vel pro eo, prout qualitas questionis exegerit, procedatur; ei qui predictis modis contumax fuerit, quos nova nostri nominis constitutio introduxit, appellationis remedio juxta divorum principum predecessorum nostrorum placita (*d*) denegando. Si vero ex his que acta sunt ad definitivam sententiam procedi non possit, secundum ordinem proxime constitutionis nostre, in possessionem bonorum contumacis pro modo debiti declarati missione secuta, liceat petitori judicem competentem [qui edictum citationis emisit] adire et de adversario suo qui ad judicium venire contempsit latitationem probare, [videlicet quod se specialiter animo et proposito

(*a*) Graece rubrica adest: *De immittendo actore in possessionem bonorum contumacis.*

(*b*) In cod. 4624 A *mittendum.*

(*c*) *In civili actione* deest in graeco. In cod. 4624 A legitur *in personali actione.*

(*d*) Graece: *juxta placita praedictorum divorum augustorum.* Quod refertur ad praecedentem constitutionem ubi dicitur *antiqui juris regulis inherentes.*

subterfugiendi judicium absentaverit] (*a*) : quo probato, venditionem rerum hereditariarum a judice, quas pro predicta contumacia possidebat, poterit impetrare. Quod si de latitatione probare actor non velit forte nec possit, sed absentiam tantum contumacis incusat, tunc usque ad annum integrum a die commisse contumacie ipsum precipimus expectari : quo transacto, venditionem hereditariarum rerum a judice, quas ob adversarii sui contumaciam predicto modo possederit, impetrabit. In feudalibus autem, cum hereditaria non supersunt, [sive contra latitantem statim latitatione probata, sive post annum contra contumacem tantummodo distrahendis], nostre celsitudinis conscientiam et mandatum, si nobis hoc mandare placuerit, requiri censemus (*b*); ita ut predicta feudalia ex decreto nostro tantummodo, non alterius judicis distrahantur. Eadem censura que contra latitantes inventa est de venditione bonorum [latitatione probata] continuo facienda, servanda contra evidentem et expressum contumacem qui ad judicem aperte dicat se venire omnino non velle; ita ut nihilominus etiam, si judex viderit commode fieri posse, per eumdem reipsa et personaliter (*c*) venire ad judicium compellatur. Captus autem per judicem modo predicto in contemptus sui penam in tantum debet custodie carceris mancipari, quamdiu instantia cepti judicii quo impetitur perseveret. Contra predictam autem formam venditionem tam rerum hereditariarum quam feudalium per obreptionem vel gratiam impetratam, ipso jure nullam esse censemus.

(*a*) Haec desunt in graeco, et certe glossema videtur esse. Cf. AFFLICT., rubr. 97, n° 6.

(*b*) Graece aliter concipitur : *voluntatem nostrae celsitudinis et mandatum, si velint, requirere jubemus.*

(*c*) *Reipsa et personaliter* desunt in graeco, sed horum vice legitur : δι' αὐτοῦ τοῦ ἀπαιτουμένου πράγματος.

Digitized by Google

TITULUS CI. Oς (76).

De fide nobilium et ignobilium super declaratione debiti facienda (a).

IDEM AUGUSTUS.

Questiones juris peritorum super declaratione debiti facienda competenti moderamine decidentes, sancimus si quando declaratio debiti, pro cujus mensura missio in possessionem bonorum contumacis est facienda, petatur, justam (*b*) considerationem haberi volumus personarum necnon etiam et quantitatis in judicio declarande (*c*). Nam si quidem comes fuerit qui quantitatem ipsam debeat declarare, sacramento ipsius comitis usque ad quantitatem centum unciarum [auri] credatur; baroni autem de quinquaginta; simplici militi de vigintiquinque; burgensi autem bone opinionis et diviti de libra auri una; aliis autem usque ad tres uncias (*d*) jurantibus tantum, nulla alia [in posterum] probatione quesita, volumus esse credendum. Ultra autem predictas singulas quantitates, ab actoribus communis juris probatio exigatur per authentica instrumenta videlicet vel per testes (*e*) fide dignos et omni legitima exceptione majores.

TITULUS CII. OZ (77).

De resignanda possessione et de rei vindicatione (f).

IDEM AUGUSTUS.

Rei vendicatione conventus, lite nondum in judicio contestata, si contumax fuerit, preter predictam penam tertie partis mobilium curie nostre

(*a*) In Graeco et in cod. 4624 A brevius concipitur : *De declaratione debiti.*

(*b*) Alias *juxta* et *mixtam*, male et pejus.

(*c*) In graeco additur μεθ' ὅρκου, *cum juramento;* quod etiam Afflicti aetate legebatur.

(*d*) Hic in graeco punctum adest, novaque sententia incipit : *Jurantibus autem haec, nulla alia,* etc.

(*e*) Sic legimus una cum Pecchia et cod. 4625. Graece simpliciter : δι' ἐγγράφων μαρτύρων, etc.

(*f*) Graece : *De contumace ante litis contestationem.*

Digitized by Google

debitam, item missionem (*a*) in possessionem rei petite adversario assignandam causa custodie patietur; ita videlicet ut anno transacto actor verus et perpetuus possessor per lapsum temporis spatium efficiatur. Lite vero contestata super actione reali, si de causa non liquet, rei petite possessio petitori vera et perpetua assignetur. Ceterum si de causa sit liquidum (*b*), prout in personalibus cautum est, judex ad decisionem cause, prout viderit, de jure procedat.

TITULUS CIII. OH (78).

De perceptione fructuum (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Sive reali sive personali actione conventus et contumax reputatus, si infra legitima tempora possessionem rerum feudalium ob suam contumaciam assignatam recuperare voluerit, tantum minus nomine fructuum a possessore requirat quantum pro servitio quod curie nostre de re possessa debetur possessor exsolvit. Ad hec enim ut servitiorum nostrorum exactio non frustretur, ab illis feudorum servitia debita volumus exigi qui feuda ipsa quolibet titulo detinere noscuntur. [Illud nihilominus presenti conjungimus sanctioni quod possessionem citatus et contumax nullo modo recuperet assignatam, nisi prius augustali vel augustalibus debitis pro contumacia jam contracta curie nostre solutis. Et si quid de his bajulus citato dimiserit, de proprio suo curie nostre componat (*d*).]

(*a*) In cod. 4624 A diverse concipitur : *Si contumax fuerit, predictam penam tertie partis mobilium vel augustalis unius curie nostre debitam solvat. Item missionem*, etc. In cod. 4625 *predictam penam augustalis unius*, etc.

(*b*) In aliis : *si de causa non liquidum* vel *non liquet*, perperam.

(*c*) Alias : *De contumace convento reali seu personali actione.* Melius in graeco : *De contumace recuperante possessionem bonorum feudalium.*

(*d*) Quae hic uncis includuntur, apud codicem 4624 A in praecedenti constitutione inseruntur post verbum *efficiatur*, ante *Lite vero.*

Digitized by Google

TITULUS CIV. OΘ (79).

De contemptu termini constituti (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Contingit interdum actorem simul et reum in civilibus causis, recepto ab eis termino vel per curiam sibi dato, ad judicium non venire; qua fit ut eorum dispendium judicii processum impediat et honori et auctoritati judiciali illudat. Igitur manifestius definimus utrumque, scilicet actorem et reum, in decima parte mote litis [pro equalibus portionibus] esse mulctandos, si vel expresso consensu sine licentia curie terminum prorogaverint vel non veniendo [tantummodo] desides arguantur.

TITULUS CV. Π (80).

De pactionibus inhibitis et de volentibus a lite discedere (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Sponte volentibus a lite discedere, pacta etiam vel transactiones inire post citationem emissam ante litem contestatam, tantum in civili judicio, absque ullius contumacie pena licentiam partibus non negamus; post contestationem vero litis habitam, sine licentia et jure curie expressius hoc partibus inhibemus. Quod si hoc facere in fraudem juris nostri tentaverint, ejus tertiam quod pro transactione actori exsolvit conventus, absque diminutione aliqua fisco nostro componat. Si autem reus aliquid actori [pro predicta occasione] dederit, et nihil aut minus se dedisse in dispendium curie mentiatur, in ejusdem inficiationis penam duplum tertie supradicte quam confessus dare debuisset, exsolvat. Que omnia diligenter per officiales nostros inquiri volumus, ut sicut cuilibet jus suum inviolatum servamus, sic in jure nostro defectum perpeti non possimus.

(*a*) Graece : *De poena imposita actori et reo* [*non*] *convenientibus.* In quibusdam : *De tractu seu tractatu termini,* minus recte. In aliis : *De partibus prorogantibus terminum sibi datum a judice.* In cod. 4624 A : *De actore et reo non comparentibus in judicio et de contemptu termini statuti.*

(*b*) Graece additur *ante litis contestationem.*

TITULUS CVI. ΠΑ (81).

De privilegiis eorum qui citati extra civitatem non veniebant et de privilegiorum irritatione (a).

IDEM AUGUSTUS.

Privilegia quibusdam locis a nobis vel predecessoribus nostris indulta, necnon consuetudines in locis ipsis obtentas, veluti Messane, [Neapoli], Averse, [Salerni] vel aliis quibuscumque, per que citati a curia nostra vel a justiciariis regionum super causis que ad eorum jurisdictionem spectare noscuntur, se hactenus tuebantur, ne extra loca ipsa tenerentur exire ad justitiam faciendam; ac propterea citationibus spretis penam contumacie evitabant, et sic licentius maleficia committebant, presenti constitutione irrita et inania esse censemus. Sed omni omnino discretione submota, quicunque et undecunque fuerit a judice competente citatus, si contumax sit in civilibus vel in criminalibus causis, penis subjaceat nostris constitutionibus introductis.

TITULUS CVII. ΠΒ (82).

De contumacia alicujus universitatis.

IDEM AUGUSTUS.

Dubitationem jurisperitorum non tam benigna quam necessaria legum interpretatione tollentes, statuimus si quando universitas aliqua regni nostri personaliter et civiliter conventa [et citata] contumax apparuerit, nec inveniatur commune ejus aliquid quod propter ipsius contumaciam ab adversario valeat possideri vel super quo definitiva sententia valeat executioni mandari, singulos de universitate predicta ad collectam compellendos esse jubemus, qui in collecta ipsa conferant pro modo facul-

(a) Graece : *De abolitione privilegiorum quibus nonnulli ad non prodeundum se tuebantur.*

Digitized by Google

tatum suarum; ut sic ex eo quod ex collecta ipsa redactum in commune fuerit, interlocutorie vel definitive sententie satis fiat. Circa penam etiam contumacie curie nostre debitam hanc formam in universitatibus volumus observari ut contumacia ab universitate contracta, pro dinumeratione cujuslibet focularis dimidium augustalis nostre curie debeatur; [ita videlicet ut si mille focularia ipsa universitas habeat, quingentos augustales pro pena contumacie universitas tota fisco nostro persolvat (1)]. Que quantitas inter habitatores loci ipsius pro modo facultatum proportionaliter dividetur (*a*), sicut in collectis aliis hactenus fieri consuevit. Quod etiam in criminalibus causis locum habere censemus, tam circa contumacie penam quam etiam circa definitivas sententias proferendas in causis ex quibus condemnatis pecuniaria pena [ex earum qualitatibus vel ex nostro judicio] irrogatur.

(*a*) Graece aliter, dum ordinem suum sequatur : *debeatur. Si vero universitas foculari destituitur, inter habitatores loci pro modo*, etc. : unde suspicandum est verba uncis inclusa postea in textum irrepsisse.

---

(1) Vide supra quid notaverimus super tit. XXVIII, p. 31, not. 1.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SECUNDUS IMPERIALIUM CONSTITUTIONUM.

TITULUS I. A (1).

De pena contumacie in criminalibus causis (*a*).

IMPERATOR FREDERICUS, SEMPER AUGUSTUS.

Grandis utilitas et necessitas evidens nos inducunt ut accusationum ordinem priscis legibus institutum, maleficiorum crescente nequitia, in eadem parte potissime corrigamus, qua malefactores interdum contemptus et contumacie vitium vel penam patratis sceleribus aggregantes, sine temporis prefinitione vagari in ipsorum etiam plerumque dispendium et aliorum injuriam permittebant, defensionem eisdem nullius temporis spatio precludentes; quo fiebat ut ipsi purgare suam innocentiam non curarent et accusatores arguere eorum nocentiam non valerent. Hac igitur edictali lege nostri nominis titulo presignata prosequimur contumaces, et qualiter contra ipsos in judiciis criminaliter et capitaliter accusatos, qui sui copiam in jure non faciunt, procedatur, manifestissime declaramus. Eos namque in primis tertia parte bonorum mobilium, sicut in nostris constitutionibus est expressum, mulctandos esse jubemus [quam sacri erarii nostri compendiis aggregamus]. Bona reliqua juxta antiquam formam, que contra absentes requisitos est prodita, volumus annotari; que anni circulo a die annotationis (*b*) elapso, cum per annotantis litteras publice innotuerit, fisci nostri commoditatibus acquirantur, si non habeat liberos annotatus. Ipsos denique per magistrum justitiarium et justitiarios quibus de contumacia eorum contracta (*c*) liquebit, banniri mandamus et divulgari publice fore bannitos. Bannum etiam et causam banni pro qua bannitus aliquis fuerit et diem bannitionis etiam in presentia magistri justitiarii et judicum curie nostre in actis volumus contineri; si

(*a*) Graece : *De bannitis.*
(*b*) Alias et in Palat. *citationis.*
(*c*) In cod. 4625 *certa.*

quando per magnam curiam nostram citatus et contumax bannitionis penam incurrit. Humanitatem tamen antiquis legibus annotato servatam a nostra celsitudine volumus non negari, ut eis scilicet infra annum predictum redeuntibus bona recuperare liceat annotata, tertia tantum parte mobilium in omnem eventum apud nostram curiam remanente, ut impunitam fore contumax suam contumaciam non letetur.

TITULUS II. B (2).

Ut universitas accusata et mulieres conjugate in criminalibus causis possint ordinare procuratorem (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Generalia jura condentes, tam in causis que contra singulares personas quam in his que contra universitates moventur interdum, nostre celsitudinis studium excitamus. In criminalibus igitur causis et capitalibus accusationibus quas contra universitates locorum a privatis personis vel ab universitatibus contra universitates alias vel privatas personas moveri contingit, altercationem jurisperitorum in perpetuum decidentes, syndicos (*b*) quemadmodum in civilibus causis permittimus et precipimus etiam ordinari, juris civilis rigore in perpetuum quiescente quod in publicis judiciis procuratorem frustra intervenire debere prescripserat; nam difficultate et impossibilitate quadam interveniente, dum universitas tota per se sine ingenti periculo convenire vel conveniri non possit, de necessitate oportebat inferri quod maleficia contra ipsam vel ab ipsa commissa impunita manerent : quod nec honori nostro nec subjectorum nostrorum commodis dignoscitur expedire. Hujus etiam nostre humanitatis gratiam ad mulieres conjugatas extendimus : ut in criminalibus et capitalibus (*c*) causis per maritos et alios quos voluerint procuratores legitimos et suffi-

(*a*) Graece : *Ut universitates in actionibus suis aut defensionibus syndicos ordinare possint.*

(*b*) Ita in graeco et in cod. 4625, vice *syndicum*, quod admisit Carcanus.

(*c*) In codice 4625 additur *et civilibus*; male.

cienter instructos, si hoc elegerint, valeant in judiciis comparere; sive ipse accusent suam aut suorum injuriam prosequentes, sive ab aliis accusentur. Sententia tamen in criminalibus tam in presenti quam in casu prescripto (*a*) contra ipsas principales personas effectum debitum sortiatur.

TITULUS III. Γ (3).

De forbannitis et forjudicatis.

IDEM AUGUSTUS.

Penam eorum qui in contumacia perseverant dignis dispendiis prosequi cupientes, statuimus si quis infra annum a die banni editi numerandum coram magistro justitiario vel justitiario qui eum banniverat minime comparuerit vel etiam coram successore ejusdem, bonis suis ut prescriptum est infiscatis, post ipsius anni decursum per bannitorem eumdem forjudicari debebit, nulla omnino licentia postea remanente se super principali causa criminis defendendi; sed perinde habeatur ac si confessus de crimine de quo accusatus fuerit, esset per definitivam sententiam condemnatus : sic forjudicatus habebitur, prout in aliquibus nostri imperii partibus nuncupatur, quasi foris omnem aditum judicii constitutus. In tantum (*b*) sibi judicii limina precludentur quod se contumacem etiam fuisse negare non possit, qui nec per se tanto tempore comparuit nec per alium pretendentem legitimam causam sue absentie et probantem extitit excusatus. Nulla sibi appellationis seu supplicationis remedia forjudicatus superesse cognoscat, quoad omnia fere pro mortuo habeatur et hostis publicus reputetur, sic ut ab omnibus offendatur impune; adeo ut si ipsum occiderit aliquis, nullam proinde calumniam vereatur, sed premium a gratia serenitatis nostre expectet : videlicet ut si occiderit aut ceperit bannitum vel forjudicatum (*c*), si quidem ipse bannitus aut forjudicatus fuerit qui bannitum aut forjudicatum predictis

(*a*) Graece : *Sententia autem tam in criminalibus causis quam in praesenti casu*, etc.

(*b*) In editis *interim ;* corrigimus ex graeco et ex cod. 4625.

(*c*) Graece : *videlicet si ceperit comitem* (scilicet *socium*) *forjudicatum vel occiderit :* quod propius latino codici respondet.

Digitized by Google

modis offenderit (*a*) aut detexerit latitantem, bannitionis vel forjudicationis penam quam incurrerat in premium sue fidei et probitatis evitet. Secus autem, si forjudicatus bannitum tantum ceperit : quo casu, quia eum qui minori vinculo tenebatur offenderit, majorem penam, forjudicationis sententiam scilicet, non evitet. Sed in casu presenti pro comite quem ceperit aliquis qui forjudicatus vel bannitus non fuerit. centum augustales; pro barone, quinquaginta; pro milite simplici, vigintiquinque; pro burgensi, duodecim; pro rustico, sex (*b*), de liberalitate nostri culminis consequetur; offensionis vel occisionis etiam, ut dictum est, capienti licentia non negata. De licentia namque legis offenditur qui subterfugiendo judicium legis precepta contempserit; quod si forte motus clementia qui forjudicatum ceperit offendere vel occidere noluerit eumdem, sed ipsius mortem judici cujus audientiam penam fugiendo promeruit, reservare voluerit, justitiario qui ipsum banniverat et forjudicaverat assignet eumdem. Quod si alii justitiario vel etiam magistro justitiario assignatus fuerit, vel si ipse magister justitiarius aut justitiarius eum ceperit, remittatur ad eum justitiarium sub fida custodia puniendus, qui in ipsum bannitionis et forjudicationis sententiam promulgavit. [Forjudicari autem bannitus debebit per justitiarium qui bannitionis et forjudicationis penam edixit]; vel si ad ipsum justitiarium ex locorum forte distantia non possit facilius haberi recursus, auctoritatem istam nostre preeminentie reservamus ut a nobis vel ab eo cui vices nostras [propter absentiam forte nostram gerendas] commiserimus, forjudicationis possit sententia impetrari (*c*), [ut tamen ad ordinarium, ut dictum est, recursus primitus habeatur]; simili pena bannitionis aut forjudicationis in receptatores aut occultatores eorum [qui tales occultasse dicantur procul dubio] imminente, si reos hujusmodi exhibere non curaverint requisiti. Quod si universitas aliqua hoc fecerit, nostro judicio reservetur ut ex qualitatibus perso-

(*a*) In codice 4625 *ostenderit*; graece κρατήσας, *ceperit*.

(*b*) In cod. 4625 et in graeco additur : *prout quilibet predictorum bannitus aut forjudicatus fuerit*.

(*c*) In cod. 4625 *licentiam impetrare;* in graeco τὴν ὀφειλομένην κόλασιν ὑποστῇ.

narum et locorum ipsorum, in universitatem ipsam justitia previa procedatur.

TITULUS IV. Δ (4).

De redimendis captivis (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Clementie imperialis vestigiis inherentes, presentis legis auctoritate bannito concedimus potestatem infra duos menses a die bannitionis continuo numerandos absque alicujus offensione libere et auctoritate propria magistro justitiario vel justitiario qui eum banniverat se conspectui presentare; omnibus regni nostri fidelibus expressius inhibentes quod infra predictum (*b*) tempus in persona vel rebus ipsum offendere non presumant; quod qui contra fecerit, pro qualitate delicti perinde puniatur ac si quemlibet alium qui subjectus banno non esset per injuriam offendisset. Post predictum vero temporis spatium, liceat bannito intra reliquam partem anni denunciare cuicumque officiali nostre curie [et officium quodcumque gerenti, cujus opportunitatem majorem habere potuerit et] cui magis elegerit nunciare, quod paratum se offerat accusatori suo in judicio respondere; per cujus officialis litteras hec omnia curie nostre vel justiciario qui eum bannitum bannierat nuncientur, sub expensis tamen banniti predicti; et sic postea per magistrum justitiarium vel justitiarios litteris securitatis obtentis ac ei qui predicta sibi denunciaverit destinatis, receptis [prius sub certa forma (*c*)] de facienda justitia fidejussoribus [idoneis] a bannito per officialem predictum, qui nunciaverat omnia supradicta, quorum nomina et fidejussionis forma per eumdem magistrum justiciarium vel justitiarios (*d*) rescribentur, vel in defectu fidejussorum sub fida custodia bannitus prefatus secure

(*a*) Melius tamen in antiq. codd.: « *Ut bannito liceat intra duos menses redire et se justiciario assignare.* » Graece: *De expectato tempore banniti.* Cod. 4624 A: *De bannito quando justitiario se presentat.*

(*b*) In cod. 4625 additur *bimestre.*

(*c*) Sic cod. 4625 pro *pena* quod apud Carcani extat.

(*d*) Ap. Carcani *justitiae* perperam. Graece ἢ τοῖς ἄλλοις δικαιώταις.

Digitized by Google

redeat ad justitiam faciendam; dum tamen antequam ejus defensio admittatur, accusatori satisfaciat in expensis et damnis omnibus eidem (*a*) vitio contumacie ejus inflictis, sacramento [accusatoris] ipsius cum taxatione judicis declarandis.

TITULUS V. E (5).

De exhibendis (*b*) *malefactoribus et suspectis.*

IDEM AUGUSTUS.

Cordi nobis est per universas partes et singulas regni nostri viros bone opinionis agnoscere et non ignorare notatos. Ideoque omnibus justitiariis nostris per diversas provincias constitutis presentis constitutionis nostre programmate nunciamus, eisdem sub interminatione gratie nostre firmiter injungentes ut quoties ipsos contigerit aliquos ob ipsorum contumaciam banniri facere, banniti nomen atque cognomen, banni editi causam, formam et tempus curie nostre per eorum litteras, notarii manu scriptas ac judicis [qui ei assederit] subscriptione notatas necnon sigillorum suorum impressione munitas, mora qualibet et occasione cessantibus, debeant nunciare. Eodem (*c*) etiam observando quoties aliquos in eorum contumacia perdurantes forjudicaverint, [juxta nuper edite nostre constitutionis tenorem;] quod si forte de banno bannitos infra legitima tempora duxerint extrahendos, hoc ipsum per eorum litteras sub forma prescripta confectas nostre curie nuncietur; simili forma per omnia observanda, si quando per definitivas sententias infamie macula notaverint aliquos aut ipso jure vel pene macula pronunciaverint (*d*) esse notatos. Nos etiam magistro justiciario magne curie nostre firmiter

(*a*) Sic cod. 4625; ap. Carcani *ejusdem*.

(*b*) Apud Afflictum *De notificandis*; quod propius graeco accedit περὶ τοῦ γνωρίζεσθαι τῇ κόρτῃ. In cod 4624 A : *De scribendis bannitis per justiciarium*.

(*c*) In cod. 4625 *Eadem*.

(*d*) Sic cum Pecchia pluralem admittimus, dum verbum ad justiciarios referatur. Ap. Carcani *notaverit*, *pronuntiaverit*.

dedimus in mandatis ut de his specialiter specialia acta prescribi faciat (*a*) quibus bannitorum vel forjudicatorum [vel quomodolibet notatorum] nomina [et eorum etiam filios, si] quos per inquisitionem a se vel a justiciario factam reos aut suspectos invenerit, scribi faciat et in archivo nostre curie fideliter custodiri; ut quoties de alicujus fama, vel exigente judicii strepitu vel conscientia serenitatis nostre querente, fuerit forte tractatum, non tam per probationes extrinsecas que moram judiciis et difficultatem inducunt, quam per monumenta publica curie nostre et ordinatorum nostrorum fide firmata probatio efficax et dilucida possit assumi.

TITULUS VI. ς (6).

De fisco succedente forjudicatis (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Forjudicatorum bona veluti damnatorum, si liberos vel parentes usque ad tertium gradum non habeant, fisci nostri commodis volumus vendicari, nisi feuda sint filiis ex concessione nostra vel alio justo titulo acquisita, in quibus ascendentes et liberi non succedunt. Si autem liberos ante [bannum editum aut] forjudicationem emissam vel jam natos habeant vel conceptos, persona forjudicati liberis connumerata pro rata et numero liberorum, ad bona ipsa fiscum nostrum volumus advocari; ita videlicet quod si unicum filium tantum habeat, bona predicta inter fiscum et ipsum pro equalibus portionibus dividantur : si autem duos filios habeat, fiscus noster in tertia admittatur, et sic per consequens, si plures sint liberi, eadem censura servetur; electione nostre curie reservata, utrum partem bonorum ipsorum habere voluerit vel estimationem ipsius partis, si estimatio offeratur.

(*a*) In cod. 4625 : *Specialia jura conscribant*[*ur*]; quod optime graeco convenit : ἰδικαί δίκαια καταγράψῃ.

(*b*) Graece : *De successione forjudicatorum.* Cod. 4624 A : *De bonis forjudicatorum.*

Digitized by Google

TITULUS VII. Z (7).

De [pena forjudicatorum et] balio dando filiis eorumdem.

IDEM AUGUSTUS.

Si quando aliquem forjudicari contigerit, qui liberos habens inveniatur feudale aliquid possidere, siquidem liberi ejus vel eorum aliqui in pupillari (*a*) etate consistant, qui protectione balii indigere noscantur, ipsorum balium cum administratione bonorum eos contingentium curia nostra suscipiat, quemadmodum in casu mortis balium ipsum habere deberent; eis autem pubertatis tempus excedentibus et in tutelam propriam venientibus, fructus partis illius que viventem patrem, licet pro mortuo habitum, secundum predictum modum dinumeratione liberorum attenta, si res acquisita de feudo foret dividua (*b*), contingere debuisset, patre ipso adhuc superstite, curiam nostram percipere volumus et habere : pro ea tantum parte de servitio nobis pro feudo ipso debito diminuto, pro qua curiam nostram fructus percipere vel percepisse constabit. Patre autem forjudicato nature debitum exolvente, pars illa cujus fructus curia nostra perceperit ad integritatem feudi libere revertatur. Sane si forjudicatum a comite vel barone feudum habere contigerit, ipso parentes vel liberos non habente, feudum ad eum a quo ipsum forjudicatus tenebat sine contradictione aliqua redire debere censemus. Fructus tamen partis contingentis forjudicatum de eo quod ab illo tenetur (*c*), si liberos habeat, pro numero liberorum, forjudicato vivente, curia nostra perci-

(*a*) In codice 4625 *puellari*, minus recte.

(*b*) In cod. 4625 : *si res acquisita foret de feudis, si restaret dividua*, quod et Palatina admisit editio; sed obscure. Nam sensus videtur tum partem feudi ad fiscum spectare, si feudum sit divisibile, hoc est si feudum sit jure Longobardorum. Forsan *si restaret* glossema e margine in textum a graeca versione ἀπίμεινεν adscitum erit; sed quid sibi velit ἀπίμεινεν? Nonne potius ἀπένειμεν? Unde legendum : *si quid feudale possederit dividuum :* notandum tamen quod Graecus *dimidium* pro *dividuum* legens τὸ ἥμισυ verterit.

(*c*) In codice 4625 *ab alio tenet;* recte et graeco respondet.

Digitized by Google

piat; [secundum modum superius declaratum quemadmodum et alia]; bona mobilia damnatorum secundum generalem assisiam regni nostri (*a*) ad curiam nostram spectant. Sed comiti et baroni a quo feudum tenetur (*b*), nullum omnino volumus prejudicium generari.

TITULUS VIII. H (8).

De uxoribus forjudicatorum et parentibus.

IDEM AUGUSTUS.

Pena carere volentes innoxios et punire nocentes, generali lege sancimus forjudicatorum uxores et matres in earum rationibus, dotibus, donationibus propter nuptias, quarta atque dotariis, occasione forjudicationis aut damnationis predicte nullam omnino molestiam sustinere, sed eas integre habeant et ab omni inquietatione securas; ita tamen ut persone predicte et etiam forjudicatorum filii seu parentes forjudicato quem egere volumus nec sustentationem ab aliquo prestolari (*c*), de bonis ipsius eisdem pietatis nostre lenitate servatis (*d*) in nullo penitus providere presumant. Quod si fecerint, gratia qua videntur abuti ipsos privari censemus et bona ipsa nostro erario applicari.

TITULUS IX. Θ (9).

Ut pater forjudicati ex delicto filii non teneatur.

IDEM AUGUSTUS.

Ob filiorum culpas innocentes patres arceri non tam injustum quam

(*a*) Afflictus hoc loco annotat *secundum generalem observantiam regni.*

(*b*) In codice 4625 : *si homo alicujus comitis vel baronis a quo feudum teneat*, male.

(*c*) Ap. Carcani *non sustentationem ab aliquo postulari.* Sensum corruptum ex cod. 4625 restituimus; graece autem paulo diverse : *ita tamen ut praedictae personae. . . . forjudicato dare aliquid non praesumant, quem egere volumus et indigere et non ab aliquo sustentationem accipere de bonis*, etc.

(*d*) Sic in cod. 4625, recte. Ap. Carcani : *de bonis ipsius ejusdem pietatis nostrae lenitatis servatis*, perperam.

Digitized by Google

impium reputantes, presenti nostre pietatis decreto decernimus patrem superstitem ex delicto filii in nullo prorsus affligi vel puniri debere. Mortuo vero patre, si liberos alios preter forjudicatum non habeat, bona que ei ex successione patris mortui deberent deferri, fisci nostri juribus vendicentur. Si autem liberos alios habeat, siquidem res tales sunt que dividi possint, hereditarie vel feudales, in parte contingente forjudicato pro numero liberorum fiscus noster succedat; si quidem fratrem forjudicatus vel sororem denique in capillo non habeat, in bonis ipsis fiscum nostrum esse decernimus successorem, omnibus que super criminibus lese majestatis veteres juris auctores tam contra ipsos reos quam successores eorum specialiter induxerunt, in suo robore duraturis.

TITULUS X. I (10).

De his qui fidejussores dare possunt ne incarcerentur.

IDEM AUGUSTUS.

Humanitate nobis suggerente sancimus quod si quando accusatus vel delatus super criminalibus et capitalibus causis fidejussores dare paratus sit, si pro qualitate criminis et persone nec minus facilitate conveniendi sufficientes et idonei reputentur, tradi militibus vel squalore carceris macerari non volumus accusatum; nisi crimen adeo vel confessione sua vel ipsa flagranti deprehensione sit evidens aut publice facta inquisitione sit publicum aut notorium habeatur ut jam constet reum ad nihil aliud inficiari proposita, nisi ut penam differat quam levis et infamate persone temeritas et proposite qualitas accusationis exposcit. Ab hujus autem nostre sanctionis humanitate precludimus accusatos vel delatos criminis majestatis [contra personam nostram seu nostrorum collateralium satagentes]; quos velut suspectos (*a*) interdum nos ipsi ante supplicium car-

(*a*) Ex cod. 4625 et ex graeco : *Quos quemadmodum et alios fortasse suspectos*, rectius. Caeterum totus hic locus additamentis depravatus, ut nos Carcanus monet, ex graeco juvabitur parenthesi, sic : *Ab hujus autem, etc., delatos criminis majestatis (quos quemadmodum et alios fortasse suspectos nos ipsi ante supplicium in custodia detineri ex-*

cerali custodia specialiter et expressim detineri mandamus : vel justiciariorum nostrorum aliquis hoc injungat, cum vel persone levitas et immanitas criminis istud exegerit, quod contra salutem nostram aliquid attentasse dicatur. Quod si fidejussorum committeretur custodie, non tanti haberet fidejussores relinquere pene quanti quod pro commisso facinore penam debitam posset evadere aut non commissum aliquando facinus, quod esset acerbius, consummaret; [vel nisi levis conversationis et vite per publicam famam vel inquisitiones de eis aliquando factas accusati forte extiterint aut delati, aut aliquando quod sui copiam judicii subtraxerint forbanniti]. Predictis autem cessantibus, de regulari et communi jure sufficientium fidejussorum fidei committi decernimus accusatos, ut non incarcerentur propterea quod accusati sunt tantum qui in nullo forsitan deliquerunt, et incarcerati etiam qui incarcerationis tempore fidejussores idoneos dare non poterant, datis fidejussoribus liberentur. Contingebat enim aliquando quod ob timorem carceris accusati etiam innocentes se a judiciis subtrahebant, et pene nocentium qui carcerali custodia tenebantur, differebantur interdum, dum causam ex vinculis non dicebant. Contingebat hoc sepe propter accusatorum absentiam, qui ad victoriam sibi abunde sufficere credunt quod adversarios suos faciunt carceri mancipari. Illud etiam presenti adjungimus sanctioni ut si quando accusatus vel delatus propterea in carcere teneatur quod fidejussores dare non possit et se defendere sit paratus, [solutus vinculis in judicio presentetur ne ex vinculis causam dicat, et deinde post instantiam soluti judicii ad vincula deducatur]. Accusatores instanter accusationem volumus prosequi institutam. A qua si forte in odium incarcerati destiterint ut supplicio carceris affligatur, desistentie penam nostris constitutionibus stabilitam ipsos decernimus sustinere. [Custodiantur autem in curia justiciarii incarcerati sub expensis suis vel si nimium pauperes sint, sub expensis curie. In utroque casu cuilibet custodi per diem XIII grana secundum assisiam curie tribuantur, ut pro captivorum custodiis, sicut hactenus, homines non graventur]. Eorum tamen causas quos de con-

pressius injungimus [vel] ubi nostrorum justitiariorum aliquis hoc injungat, cum vel personae, etc.) quando contra salutem nostram aliquid attentatum esse dicatur.

Digitized by Google

scientia nostra capi et detineri mandamus, inconsultis nobis examinari non volumus nec decidi. Maluimus enim aliquando reum criminis carcere detineri quam perdere, et vidimus aliquos juste captos et deinde misericorditer liberatos postea factos bonos et frugi, [dum ipsis vexatio prebuit intellectum. Ab illo potissime justitiarii nostri prorsus abstineant ut unum pro alio, velut patrem pro filio vel e converso seu fratrem pro fratre vel quamcumque conjunctam personam pro reo, fidejussores forsitan non prestante, carceri non intrudant].

TITULUS XI. IA (11).

De eo qui post crimen adulterii intentatum uxorem recipit.

REX ROGERIUS (*a*).

Qui post crimen adulterii intentatum uxorem acceperit, destitisse videtur, ideoque suscitare questionem ultra non poterit.

TITULUS XII. IB (12).

Si quis petierit aliquem citari et citatus in termino sibi dato comparuerit, accusatore non comparente, condemnatur in sexta parte mobilium accusator (*b*).

IMPERATOR FREDERICUS.

Accusatorum temeritatem antiquis legumlatoribus odiosam tanto magis nos (*c*) ipsi persequimur, quanto in nostra republica ipsam magis invenimus abundare. Hac igitur sacra constitutione sancimus ut si quis a curia nostra vel justiciario regionis aliquem citari petierit, et (*d*) citatus

(*a*) Sic in duobus codicibus et recte, licet ap. Carcani legatur IDEM, scilicet Fredericus.

(*b*) In cod. 4624 A: *De pena accusatoris in peremptorio termino non parentis.* Graece etiam brevius: *De accusante et in judicium non veniente.*

(*c*) Ap. Carcani *non*, male.

(*d*) *Et* sensui necessarium ex cod. 4625 addimus.

tanquam obedientie filius in peremptorio sibi dato compareat accusatori suo legitime responsurus, accusatore in accusati dispendium et in delusionem curie nostre non comparente; accusatorem in sexta parte (*a*) mobilium bonorum mulctari censemus, expensis nihilominus accusato sacramento suo cum taxatione judicis declarandis integre restitutis; que omnia per eum qui reum ipsum coerceri mandaverit, perfecte executioni mandentur. Abolitionem namque accusator, si voluerit (*b*) ab accusatione desistere, a nobis potuit impetrare, quam justa de causa petitam nostra serenitas non negasset.

TITULUS XIII. ΙΓ (13).

De accusatore post litem contestatam publice non comparente (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Accusatorem post litem super criminali (*d*) accusatione in judicio contestatam si in termino peremptorio sibi dato non venerit, accusationis (*e*) solemnia impleturus, tertia parte bonorum mobilium decernimus esse mulctandum. Et si in edicto alio (*f*) sibi denuo destinato inchoatam accusationem detrectaverit exequi, contumaciam contumacie aggregando, quia secundum veterum legum scita destitisse videtur, in centum augustales condemnetur; quam penam loco quinque librarum auri in quibus desistentes hactenus damnabantur, succedere debere censemus. Eadem mulcta fortius obtinente, si accusator [expressim] accusationi renuntiaverit institute.

(*a*) Graece *in tertia parte;* forsan melius, ut apparet ex initio sequentis constitutionis.

(*b*) Sic in cod. 4625. Ap. Carcani : *si volebat.*

(*c*) In cod. 4624 A : *De pena accusatoris post litem contestatam ab accusatione desistentis;* rectius.

(*d*) In cod. 4625 additur *vel civili.*

(*e*) Ibid. pro *accusationis* legitur *ad curiam.*

(*f*) Graece ἐν τῇ ἄλλῃ διορίᾳ, *in alio termino.*

Digitized by Google

TITULUS XIV. IΔ (14).

De pena calumnie contra calumniantes stabilita.

IDEM AUGUSTUS.

Penam calumnie contra calumniantes antiquis sanctionibus provide stabilitam et de consuetudine quadam abolitam innovantes, universis judicibus ad quorum cognitionem criminales cause spectare noscuntur injungimus ut [ad accusandum vel etiam defendendum accusatores vel delatores aliquos non admittant, nisi primitus cingulum inscriptionis arripiant accusatores vel etiam deferentes quo se ad penam obligent per calumniam non probantes, quam exposcunt accusatis aut delatis infligi. Judices autem hujusmodi judiciis presidentes] (*a*) nulli omnino gratie vel potentatui deferentes, accusatores vel delatores quos in evidenti caumnia deprehenderint eadem pena condemnent quam accusatis imponi si intentata probassent objecti criminis qualitas requirebat; ita tamen ut non ex hoc solo quod accusantes in probatione defecerint, calumniantes ipsos esse presumant. Subesse namque potest causa probabilis propter quam speratas probationes inducere nequeat accusator. Sed ut dictum est, calumniam evidentem exigimus ut accusator temerarius arguatur. Quanto enim durius nocentes persequimur, tanto libentius absolvimus innocentes.

TITULUS XV. IE (15).

Accusator et reus, si dolo vel fraude dato sibi termino a judicibus non comparuerint curie, penam sustineant (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Sepe contingit accusatorem cum accusato colludere, ut non in totum ab accusatione discedant, sed ut terminum judicii prorogent, sine licentia

(*a*) Haec omnia tum in graeco, tum in cod. 4625 desunt.

(*b*) Graece : *De accusatore et reo si dolose colludant.*

Digitized by Google

curie neutro ad judicium veniente; quem terminum ante vel ipsi sponte receperant vel quem ipsis auctoritas judicialis indulsit. Nolentes igitur lites fieri aliquorum machinationibus immortales, statuimus utrumque scilicet accusatorem et accusatum pro equalibus portionibus eamdem penam in casu prescripto subire centum augustalium, scilicet nostris utilitatibus applicandam, quam alter eorum (*a*) subire deberet, si in statuto sibi termino prosecuturus accusationem non venisset ad curiam.

TITULUS XVI. Ις (16).

Lite non contestata in criminali judicio an possint actor et reus inter se componere, non dato termino aliquo vel retento (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Post citationem emissam, lite nondum in criminali judicio contestata nec aliqua partium comparente (*c*), si accusatus et accusator voluerint inter se componere, transigendi eis licentiam impartimur. Quod si aliquid ut ab accusatione desistat accusator acceperit, quia sine licentia curie hoc presumpsit, duplum ejus quod proinde eum accepisse constabit, [et absque diminutione aliqua curie nostre] solvat; [nisi forte pro estimatione damni commissi accusatorem aliquid accepisse constiterit,] cum damnum rei familiaris instituenda accusatio continebat. Quod si usque adeo sit processum ut ex citatione facta partes in judicio sint presentes, sine licentia et mandato curie componendi partibus non concedimus potestatem. Contra quod si factum fuerit, accusator X augustales fisco nostro componat; post litem vero contestatam si transigant aut componant, XXIV augustales accusator et accusatus erario nostro se noverint illaturos; causa nihilominus suo ordine peragenda, si transac-

(*a*) In cod. 4625 additur *scilicet actor*.

(*b*) *Non dato termino*, etc., in graeco desunt.

(*c*) In graeco additur : μήτε τινὸς τιμήματος περὶ τούτου ἐπαγγελλομένου ἢ δεχομένου, *nec aliquo termino propterea emisso vel recepto;* in cod. 4625 : *nullo promisso propterea vel recepto,* minus recte.

Digitized by Google

tionem aut compositionem eamdem curia non acceptat. Que omnia in illis criminibus locum habere censemus que sanguinis penam imponunt, in quibus transactiones vel pactiones fieri vetera jura permittunt; aliis que sanguinis penam non irrogant, excepta falsi accusatione, in suo robore duraturis.

TITULUS XVII. IZ (17).

De jure Francorum in judiciis sublato (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Speciale quoddam Francorum jus, imo ut proprius loquamur injuriam que in judiciis tam civilibus quam criminalibus hactenus obtinebat, de medio tollere cupientes, presentis nostre sanctionis programmate cunctis regni nostri fidelibus volumus esse notum quod nos qui singulorum jura justitie libra pensamus, in judiciis aliquam discretionem haberi non volumus personarum, sed equa lance (*b*), sive sit Francus sive Romanus aut Longobardus qui agit seu qui convenitur, justitiam sibi volumus ministrari. Cavillationes et captiones antiquas jure Francorum, quinzanas (*c*) et momenta temporum que inter Francos litigantes in judiciis hactenus servabantur, necnon quasdam alias subtiles observationes tam in civilibus quam criminalibus causis submovemus. Penam etiam per quam Francus ante litem contestatam contumax bonis mobilibus omnibus privabatur, in penam tertie partis mobilium nostra constitutione contentam volumus esse transfusam. Illud nihilominus (quod acerbius reputamus) presenti lege corrigimus, videlicet quod Francus lite cum eo in pecuniaribus litibus vel in causis criminalibus contestata contumax, bonam vel malam causam habeat, ipsam amittat. Hoc enim et ab omni justitie tramite discrepat et

(*a*) Graece : *De abolitione poenae contumaciae a Francis positae.* In cod. 4624 A minus apte : *De non habenda discretione personarum in judiciis.*

(*b*) Ita in cod. 4625 ; ap. Carcani *aequalitatem*, minus recte.

(*c*) Sic in cod. 4625. In graeco κουιντζάνας, ex voce gallica *quinzaine.* In Palat. *quinzencias* ; in Suganap. *quingenties;* unde per corruptionem *noscentias ;* quod in recentioribus editionibus admissum frustra Cangius interpretari nisus est, dum se ad v. *nascentias* referat.

Digitized by Google

omnis ab hoc ratio equitatis abhorret ut propter alicujus absentiam que Dei debet repleri presentia, [firma justitia] vel in sui perpetuitate deficiat vel in constantia varietur. Predicto igitur tempore Francus contumax non ut olim causam amittat, sed juxta nuper editam nostri nominis sanctionem, vel possessionem et vendicationem bonorum aut perpetue possessionis jacturam vel decisionem principalis cause, remedio appellationis excluso, secundum jus et justitiam patiatur.

TITULUS XVIII. IH (18).

De dilationibus et exceptionibus in judicio precedentibus breviandis (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Dilationes in judiciis hactenus observatas, que non tantum jura nostrorum fidelium differebant, verum etiam perimebant, precidere disponentes, precipimus, utraque parte presente, quocunque jure agatur, sive etiam quis criminaliter [privato aut publico] judicio accusetur (*b*), statim oblato libello quem in judiciis omnibus offerri volumus, prout actionis qualitas vel accusationis forma deposcit, nisi causa valde sit modica infra duos augustales scilicet, [que ipsum non desiderat offerendum], litis contestationem que in principalibus personis per negationem vel confessionem, in procuratoribus et defensoribus aliorum per ignorantie verbum fieri potest, sequi debere : ut tamen in causis civilibus que coram bajulis vel locorum dominis aguntur, [pridie antea] futurus reus citari debeat, et in ipsa citatione contineatur expressim a quo et de qua re et de quo etiam impetitionis genere impetatur, nisi dilatoria competens exceptio opponatur; deliberatoriis tamen judiciis omnino sublatis, sed incontinenti guadiis datis in civilibus judiciis, ut est juris, declaretur (*c*) [et fidejussoribus] post triduum [prestitis]; nisi conventus possessor rerum immo-

(*a*) Graece : *Pro qua pecuniae quantitate libellus non dari debeat.* Cod. 4624 A : *De libelli oblatione et forma oblationis.*

(*b*) In graeco : *sive quis civiliter vel criminaliter judicio accusetur.*

(*c*) Hoc verbum addimus ex cod. 4625 ; forsitan *deliberetur*. Graece ἀπολογηθῆναι.

Digitized by Google

bilium inveniatur, quo casu fidejussoriam cautionem judicio sisti cessare debere censemus, in ipso loco judicii cum amicis et advocatis suis super principali causa conventus deliberet responsurus. [Mobilium etiam rerum possessor, si fidejussores dare nequiverit, cautioni juratorie committatur, nisi pauper aliquis aut gyrovagus injuriarum aut de quolibet alio maleficio cujus cognitio spectat ad bajulum, impetitus fidejussores dare nequiverit, qui usque ad finem litis per bajulum carceris custodie mancipetur.]

TITULUS XIX. IΘ (19).

De exceptionibus et dilationibus proponendis in judicio.

IDEM AUGUSTUS.

Exceptiones dilatorias, prout communis juris regulis est introductum (*a*), in ipso judicii exordio proponendas infra triduum a die oblati libelli vel in civili vel in criminali judicio objici posse censemus (*b*) : in quibus si de eis incontinenti constare non possit, sed dilationem requirat is qui eas objicit, sacramento prius si hoc judex decreverit prestito, quod non [tantum] causa differendi [vel frustrandi] judicii ipsas conventus opponat, sed quod eas ad levamen cause sue se probare posse confidit ; ad probandum eidem octo dierum terminus concedatur, nisi reus in longinquis probationes se habere juraverit : quo quidem casu consideratis locorum distantiis, causarum qualitatibus et conditionibus personarum, terminus longior debebit et poterit indulgeri (*c*). Et si in eorum probatione reus defecerit, in omnes expensas sacramento actoris cum taxatione judicis declarandas, ab eo occasione predicte dilationis factas, ipsum decernimus condemnari.

(*a*) In cod. 4625 : *prout communi jure etiam regulariter est inductum.*

(*b*) In cod. 4625 additur : *quasi similiter preceptoriis et angali vel angarii? pene subjectus.* Sed quid sibi id velit omnino nescimus.

(*c*) Totus hic locus in graeco multo brevior diverse concipitur : *et sic brevissimus terminus ad probandum ipsi concedatur, consideratis locorum distantiis, qualitatibus causarum et conditionibus personarum.*

Digitized by Google

TITULUS XX. K (20).

De exceptione hostici ponenda.

IDEM AUGUSTUS.

Hostici exceptionem quam in judiciis nostris frequenter audivimus, determinare volentes, statuimus si quando submonitus ad exercitum citatus extiterit, exceptionem predictam per se vel per alium coram eo qui ipsum citavit opponat : qua opposita et probata, quindecim diebus antequam iter arripiat et quindecim postquam reversus fuerit immunitatem responsionis habebit ; ita quod nulli per se vel per procuratorem [quem teneatur relinquere,] respondere cogatur. Quod inviolabiliter obtinere censemus, etiam cum litis contestatione secuta, submonitione facta reum reipublice causa predicto modo abesse debere contingit. Si tamen ambe partes, actor scilicet et reus, in exercitu inveniantur, exceptionem hostici alter alteri non opponat, dum tamen is (*a*) qui voluerit alterum in exercitu convenire, munitus sit in exercitu competentibus equis et armis et aliis omnibus opportunis et necessariis que opportunitas et necessitas more exercitali inducunt. Illo etiam non omisso ut si conventus in exercitu per se et suis expensis militat, is qui eum impetit, ut adversarium possit hostici exceptione privare, eodem modo et suis expensis militare debebit, ne alterius podio (*b*) sub cujus expensis et necessariis fuerit in exercitu sustentatus, eum qui cum expensis suis nobis laudabiliter servit, impugnet (*c*); que omnia per marescalcum nostrum vel per alium qui exercitui de mandato nostro pro tempore preerit, cui omnes qui ad exercitum venerint absque discretione aliqua volumus presentari, probari debebunt. Tamen si eorum am-

(*a*) Sic Palat., Lindeb. et graecus. In Sugan. vero et aliis contrarium : *exceptionem... opponat, dum tamen non is.*

(*b*) In omnibus et ap. Carcani *ne alterius taedio;* quod omni sensu caret. Corrigimus ex cod. 4625, ubi tamen minus recte pro *ne* legitur *ut*. *Podium* autem sumitur in usum gallicae vocis *appui.*

(*c*) Graece : *ne sustentatus impensis alterius alicujus in exercitu, impugnare praesumat qui cum expensis suis laudabiliter servit nobis.*

Digitized by Google

borum conditio sit equalis, ut ambo scilicet alienis expensis in exercitu commorentur, alter alteri tenebitur respondere : ut tamen occasione tam inchoati quam inchoandi litigii, etiam si peremptorium fuerit emissum, a servitio speciali quod ei per nos vel per prefatum marescalcum nostrum in exercitu (*a*) fuerit injunctum, is qui citatus est nullatenus avocetur. Bannitos et forbannitos etiam secure in exercitu et absque alicujus offensione volumus commorari; adeo etiam ut dum in exercitu sint, privilegium hostici habeant commune cum ceteris, quod a nemine valeant conveniri. Banniti tantummodo, non forjudicati, ab accusatoribus suis et his qui eodem modo muniti equis et armis scilicet in exercitu fuerint, infra annum juxta pridem a nobis statutum modum poterunt conveniri. In forjudicatis autem id circo hoc non concedimus, quia cum ipsis nulla sit reservata defensio, non esset aliud eos conveniri permittere quam suspendi mandare. Salvis per omnia his que in exercitu contrahuntur aut committuntur, ad que presentem non extendimus sanctionem, sed ea juxta exercitalem ritum volumus terminari.

TITULUS XXI. KA (21).

De litis contestatione in criminali vel in civili ab adversario prosequenda (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Si civiliter agens ab adversario criminaliter accusetur vel criminaliter accusans ab adversario similiter de majori crimine impetatur, non ut olim litis contestationem vel processum judicii volumus impediri, sed absque prejudicio aliquo in utraqua causa similiter (*c*) procedendum esse censemus, etiam si crimen majestatis fuerit objectum; et in utroque judicio secundum quod juris est et causarum qualitas exegerit, procedatur. Evidens enim videtur esse accusantis nequitia et frustratio manifesta, quod non prius adversarium suum voluerit accusare vel de majori

(*a*) In cod. 4625 et in graeco : *vel per prefectum exercitus.*

(*b*) Graece : *De civiliter agente et criminaliter accusato.* In cod. 4624 A : *De ordine judiciorum et reconventionibus.* In Afflicto et alias etiam variat rubrica.

(*c*) In cod. 4625 *simul.*

crimine convenire, nec etiam crimen quod majestatem nostram leserit, zelo fidelitatis accensus proponere voluerit, quam esset ab eo qui jura vel injuriam suam prosequitur, in judicio lacessitus. Eadem censura (*a*) servanda in quibuslibet prejudicialibus aliis causis, etiam si tales sint ex quibus probatis nullum retro judicium redderetur (*b*) : dummodo peritorum juris varietate decisa super principali causa tantummodo definitiva condemnationis vel absolutionis sententia proferatur. In emergentibus tamen questionibus, veluti super incompetentia judicis allegata aut super dilationibus dandis vel super personis testium qui interdum a dicendo testimonio repelluntur, et similibus questionibus (*c*) terminandis, in quibus communis juris altercatio conquievit, presenti lege nihil volumus innovari.

TITULUS XXII. KB (22).

De accusato coram justitiario (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Contingit interdum aliquem de crimine capitali coram regionum justitiario accusatum, pendente causa ipsa, per magistrum justitiarium magne curie nostre citari de pari crimine vel minori aut etiam de questione civili castrorum vel aliorum feudalium quorum cognitio specialiter ad curiam nostram spectat; sicque prerogativa majoris auditorii, causa que aliquando coram justitiario usque ad calculum definitive sententie jam devenerat, necessario prorogatur, nec innocens absolvendus detegitur nec puniendus debita pena damnatur. Sancimus itaque priorem causam coram justitiario motam terminari debere; que omnia, scilicet cause qualitas et in quantum sit in questione processum, per litteras justitiarii magistro jus-

(*a*) In cod. 4625 *mensura.*

(*b*) Ibidem : *etiam si talia sint ex quibus probatis nullius judicium lederetur,* minus recte.

(*c*) Ibidem *primitus* vice *quaestionibus.* In graeco fusius concipitur : *et in similibus quaestionibus prius citari debent; in quibus autem, etc.*

(*d*) In cod. 4624 A : *De prerogativa majoris audientie.*

Digitized by Google

titiario patefiant. Ac tunc demum si hoc eventus prioris judicii patiatur, puta quod ex priori sententia non sit mortuus accusatus, (quo casu jam penam aliam sufferre non potest), citatus ad curiam nostram venire debebit. Ceterum si de majori crimine per magistrum justitiarium citabitur accusatus, privilegio majoris auditorii [cum majoritate judicii concurrente], nisi coram priori judice usque ad definitivam sententiam sit perventum, citatus si contumax videri noluerit, coram magistro justitiario se presentet. In omnibus [superioribus] crimina lese majestatis excipimus, de quibus convicti et damnati vitam cum bonis amittant, in quibus quovis alio capitali crimine coram justitiario accusati, citati per superiorem judicem ad evitandum contumacie penam, sui copiam facere non detrectent.

TITULUS XXIII. ΚΓ (23).

De lite contestata non retardanda exceptionis objectu (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Exceptione filiationis, generis sive gentis et quod heres non sit qui actionem vel accusationem intendit tam in civilibus quam in criminalibus causis, contestationem litis continuo faciendam nolumus retardari; sed eis propositis in causa principali nihilominus procedatur, eo quod ipsas opponit ad probationem; admissio cujus probationis eventus judicii qualiter in causa procedere debeat, demonstrabit (*b*).

TITULUS XXIV. ΚΔ (24).

De processu judicii (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Lite legitime contestata [sacramentum de calumnia volumus abutraque

(*a*) In cod. 4624 A : *De exceptione generis vel gentis.*

(*b*) In Sugan. et in cod. 4625 : *eo quod ipasas, etc., admisso; cujus probationis eventus judici, qualiter, etc., demonstrabit.* Ex graeco quoque sic emendandum videtur.

(*c*) Graece : *Quod accusator et reus actionem aut defensionem intra tres dies proferre*

parte prestari juxta divales veterum principum sanctiones : quo irremissibiliter subsecuto, principalis] actoris aut accusatoris persona simul omnia que ad probationem seu adminiculum sue probationis (*a*) faciunt, per se vel per advocatum suum offerat aut eodem die vel sequenti ad plus proponat in scriptis; ulterius autem de communi jure nullatenus audietur, nisi persone minoris aut mulieris privilegium vel causa alia superveniens allegetur. Reus similiter principaliter conventus aut accusatus defensiones omnes sibi de facto (*b*) competentes in judicio proponere studeat simul et semel, aut in scriptis per se vel per advocatum suum in predicto spatio [curie] dare procuret; eumdemque terminum ad oblata probanda recipiant ambe partes. Quod si per procuratores aut defensores [in iis in quibus intervenire possunt] cause agantur, ea jura procurator alleget aut defensor illas defensiones opponat, que principali parti competere non ignorat. Ceterum si ignorantiam forte pretendat, jura sua principalis partis conscientie poterit reservare; [ut] tamen infra predictum terminum quem ambe partes ad probandum acceperint, [procurator (*c*) tam ea que primo opposuit probet quam ea que per dominum postea ad ipsius scientiam (*d*) pervenerunt.] Terminum autem ad probandum [in omnibus supradictis et aliis que judiciorum natura requirit], quantum sine cause periculo et rerum dispendio fieri potest, per judices qui cognitionibus president, in causis omnibus breviari jubemus.

TITULUS XXV. KE (25).

De exceptionibus malitiose oppositis.

IDEM AUGUSTUS.

Si exceptio peremptoria, [replicatio vel triplicatio etiam] opponatur,

debeant. In cod. 4624 A : *De probationibus et defensionibus in judicio insimul ostendendis.*

(*a*) Aptius tamen ex graeco videtur legendum : *quae ad constitutionem et probationem suae causae.*

(*b*) Alias *de jure ;* minus recte.

(*c*) In Palat. *per curiam* vice *procurator,* male.

(*d*) Ibi *vel notitiam* additur in cod. 4625.

Digitized by Google

que ex qualitate persone opponentis vel cause judici (*a*) malitiosa vel frivola videatur; non prius objicientem ad eam probandam admittat quam sacramentum prebeat corporale quod non malitiose nec causa tantum prorogandi judicium eas opponat, sed quod ipsas pro firmo se credat posse probare; quas postea si non probaverit ad terminum sibi datum, opponentem ad expensas omnes sacramento partis cum taxatione judicis declarandas condemnandum esse censemus.

TITULUS XXVI. Κς (26).

De interrogandis litigatoribus a judice (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Partes in judicio litigantes tam ante litem contestatam quam post, prout juris ratio et equitas judicem moverit, de facto interrogari posse decernimus et interrogatos per se vel per alium cum advocatorum consilio respondere. Plerumque etiam vel pro qualitate persone vel cause, vel si judex quod falsum respondeat suspectum habeat respondentem, ad sacramenti religionem adducere eum posse censemus.

TITULUS XXVII. ΚΖ (27).

De fide instrumentorum et testium (*c*).

REX GUILLELMUS (1).

Instrumenta de donationibus aut concessionibus vel quibuscunque

(*a*) In Palat. *vel esse judicii;* diverse tamen apud graecum *vel ex causa judicii.*

(*b*) Graece additur : *de facto.* Cod. 4624 A : *De judicis repulsa suspecti,* obscure.

(*c*) Graece : *De his in quibus continetur nomen alicujus hostis aut proditoris imperatoris.* Cod. 4624 A : *De cassatione instrumentorum a proditoribus procedentium.*

(1) Quum in editis haec constitutio Friderico adscribatur, putavit Pecchia eamdem ann. 1220 in curia Capuana publicatam, postea mitigatam fuisse ex altera, scilicet ex titulo XXVIII qui sequitur. Quaestio tamen exsolvitur auxilio duorum Parisiensis bibliothecae codicum, qui ambo regis Guillelmi nomen proferunt.

Digitized by Google

contractibus, in quibus nomen alicujus hostis vel proditoris nostri et generaliter cujuslibet invasoris regni nostri scriptum sit, cassa et inania reputantes, nullam ex eis volumus in judiciis vel extra judicia probationem assumi, sed ea igni cremari mandamus.

TITULUS XXVIII. KH (28).

De revocatione privilegiorum (a).

IMPERATOR FREDERICUS.

Privilegia et instrumenta proditorum nostrorum aut invasorum regni nostri quorumlibet nomina continentia, et que a judicibus factis ab eis aut tabellionibus scripta et subscripta inveniuntur, usque ad annum a die insinuationis constitutionum nostrarum declarari et renovari decernimus ac appositione nostri nominis roborari (1); nulla ex instrumentis

(a) Graece : *De declarandis praedictis instrumentis ad curiam.*

(1) Non dubitandum quin haec constitutio infra terminum praefinitum executioni demandata fuerit, cum inter alia plura nunc instrumenta exhibeamus, sicut reperiuntur in *Addition. ad tabul. Cavens. mon., dictionn.* verb. *Constitutio* : « Ex instrumento anni 1232 quod incipit : In » nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione ejus » MCCXXXII et XII° anno imperii domini nostri Frederici gloriosissimi Romanorum impe» ratoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis, et XX° anno regni domini nostri Henrici » regis Sicilie et Italie, ejus charissimi filii, mense julii, V indictionis, ante me Landulfum » judicem, presentibus testibus subscribendis et ad hoc specialiter rogatis, venit Fr. Bar» tholomeus, monachus Cavensis monasterii, et pro parte ipsius monasterii ostendit quoddam » instrumentum quod, *remotis per me nomine et tempore hostis supradicti domini nostri* » *serenissimi imperatoris et invasoris regni ejusdem*, taliter continebat : In nomine Domini » Dei eterni, etc. Cum autem ipsum instrumentum ostensum et lectum fuit, quia in constitu» tione supradicti domini nostri serenissimi imperatoris Melfie promulgata cautum est ut » instrumenta quelibet invasorum regni vel proditorum suorum nomina continentia, seu con» fecta a judicibus et tabellionibus factis ab eis, usque ad annum a die insinuationis constitu» tionis predicte declarari et renovari deberent et appositione sui felicis nominis roborari ; » idcirco ipse monachus pro parte supradicti monasterii, quia instrumentum ipsum nomen » hostis supradicti domini nostri et invasoris regni ejusdem continebat aperte, meum requi» rendo officium mihi preces effudit quatenus instrumentum ipsum juxta decretum constitu-

Digitized by Google

predictis ex presenti jussione nostra non declaratis, in judiciis aut extra judicia fide in posterum assumenda.

» tionis predicte declararem et renovarem; ut apposito in declaratione ipsius instrumenti » nomine imperatoris celsitudinis majestate regnantis, ipsum instrumentum robur et fidem » assumeret, omni de eo in posterum in judiciis vel extra judicia dubietate sublata. Cujus ego » preces admittens instrumentum ipsum, sine nomine et tempore predicti hostis et invasoris » regni, appositis in declaratione ipsius felici nomine supradicti domini nostri et aliis solem- » nitatibus sicut superius continetur, declaravi et renovavi. Que omnia ego Mattheus publicus » Salerni notarius, qui predictis rogatus interfui, in publicam scripturam redegi et signo meo » munivi. » *Locus signi.* (*Arc.* 69, n° 297 et n° 308, et *Arc.* 87, n° 31.)

Ex alio ejusdem anni : « Ante me Lucam judicem et testes ad hoc specialiter convocatos » venit D. Jacobus Cavensis monachus et prior Sancti Matthie de Tusciano et ostendit mihi » unum instrumentum quod, *amotis nomine et tempore hostis et invasoris regni*, erat continentie » talis, etc. Cum autem ipsum instrumentum ostensum et lectum fuit, ipse prior me requi- » sivit et deprecatus est quod, quia in ipso instrumento continebatur nomen et tempus hostis » supradicti domini nostri Friderici serenissimi imperatoris et invasoris regni ejus, ipsum » instrumentum secundum formam imperialis constitutionis noviter edite et Melfie promulgate » declarandum et renovandum admitterem, » etc., *ut supra.* (*Arc.* 69, n° 292.)

Ex alio ejusdem anni, mense augusti : « Ante me Matheum judicem venit Romoaldus judex » qui dicitur Guarna et ostendit quoddam instrumentum quod, *remotis per me nomine et tem-* » *pore hostis domini nostri imperatoris et invasoris regni ejusdem*, taliter continebat, » etc. (*Arc.* 82, n° 31.)

Ex alio ejusdem anni : « Ante me Landulfum judicem, » *ut supra in primo.* (*Arc.* 83, n° 203).

Ex alio ejusdem anni, ut in praecedenti. (*Arc.* 82, n° 39.)

Ex alio ejusdem anni, ut in praecedentibus. (*Arc.* 60, n° 300.)

In archivo monasterii Montisvirginis (*Reg.* XLIX, n^is^ 27 et 28) extant quoque duo instrumenta, mense augusti 1232, indictione V, redacta de mandato Johannis judicis Casertae et Lauri, eamdem fere formulam exprimentia, « per sacrarum constitutionum domini nostri im- » peratoris edictum, ... *sublato nomine et tempore invasoris regni.* » Legitur denique apud Pecchia (*Stor. civ. e polit. del regno*, t. II, p. 249) alia venditionis charta, 7 junii 1214, Ravelli confecta, cujus ad calcem : « Quia igitur edicto imperialis culminis per novas consti- » tutiones manavit ut instrumenta tempore hostium et invasorum regni confecta per publicam » scripturam sub suo felici nomine debeant innovari, ideo suprascriptum instrumentum, etc., » non in aliqua parte sui vitiatum, *amotis tempore et nomine invasoris*, per manum publicam » fideliter rescriptum est et renovatum, anno dominice incarnationis MCCXXXII, mense maio, » indictione quinta, imperii vero domini nostri Friderici, etc. »

Digitized by Google

TITULUS XXIX. KΘ (29).

De privilegiis a curia Capuana tempore turbationis indultis (1).

IDEM AUGUSTUS.

Cum concessiones et privilegia omnia tam a divis augustis parentibus nostris quam a nobis ante curiam Capuanam indulta, que per nos post eamdem curiam confirmata non essent, nec non ea que proxime turbationis tempore post transfretationem nostram usque ad festum Purificationis beate Virginis (2) a nobis aut a Raynaldo duce Spoleti concessa fuerint, mandaverimus revocari (3), edicto presentis legis edicimus predictis privilegiis et concessionibus nullam omnino fidem haberi; sed malivolum eorum propositum qui ipsa post prohibitionem nostram retinent, prosequentes, jubemus predictos omnes in tanta estimatione damnari nostre camere (*a*) applicanda, quanta id quod concessum fuerat dignoscitur extitisse.

TITULUS XXX. Λ (30).

In quibus casibus audientia testium committatur, et de pena contravenire volentium, et de dolo ejus cui audientia committitur (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

In pecuniariis litibus omnibus, preterquam in questionibus castrorum et feudorum, que specialiter in curia nostra tractantur, audientiam tes-

(*a*) In graeco : τῇ ἡμετέρᾳ κόρτῃ, sicut in antiquis codicibus et in Palatino *nostre curie*.

(*b*) Graece simpliciter : Περὶ τοῦ ἐν ποίοις θέμασι ἡ τῶν μαρτύρων ἀκρόασις ἀνατίθεται.

(1) Haec rubrica falsa admodum et mendosa est, cum tantummodo de curia apud Capuam celebrata ann. 1220 in constitutione agatur. Multi tamen auctores ista rubrica delusi curiam Capuanam quoddam esse tribunal assidue ibidem sedens perperam crediderunt, ut monuit Vargas, *Esame delle carte Norm.*, p. 455. In cod. 1624 A multo melius : *De privilegiis ante curiam Capuanam et a tempore perturbationis impetratis*. Graece : *De poena eorum qui instrumenta ipsorum ad curiam non declarant*.

(2) Scilicet 2 februarii 1231.

(3) Cf. supra Ricc. de S. Germ., ad ann. 1231, mense januario, t. III, p. 252.

Digitized by Google

tium permittimus delegari. In criminalibus autem et predictis civilibus causis, testes in curia nostra precipimus presentari, nisi testes adeo senes et valetudinarii sint quod sine ipsorum periculo curie presentari non possint; quo quidem casu ipsorum audientia judicibus electis a partibus vel datis a curia committatur, qui eos tantum testes recipient quos ad curiam viderint venire non posse. Contra quos auditores scilicet per electionem partium vel a curia approbatos probationes in contrarium nullatenus admittantur, videlicet si pars receptos testes sanos et juvenes fore contendat. Sane si in termino ad probandum dato pars que probare debuerat in probatione deficiat per defectum testium qui sibi venire promiserant, vel ipsius judicis aut coactoris alleget nequitiam atque propterea terminum exigat prorogari; [non aliter ad hoc ipsum audiri decernimus quam si infra predictum terminum hoc alleget quod infra eumdem diem judex (*a*) vel coactor alius dari poscatur, tunc] postquam parti alteri fuerit per cognoscentis litteras intimatum, ex justa causa et necessaria prorogatio termini poterit impetrari. Is tamen cui commissa est audientia [seu coactio] testium predictorum, si in commisso sibi officio dolosus aut negligens inventus fuerit, curie nostre in tertia parte mobilium condemnetur, et nihilominus parti lese in omnem damni estimationem satisfacere teneatur. Eadem pena testibus irroganda si per cognoscentem (*b*) admoniti venire detrectent, nisi certa pena ab eo cui hoc commissum fuerit testibus sit indicta, que predicta pena sit major : quo casu pena imposita exigetur. Hec in civilibus causis vendicant sibi locum; in criminalibus autem in quibus aliquando, videlicet cum quis capitaliter accusatur, estimatio cause haberi non potest, pena tertie partis mobilium omnino curie nostre soluta, testes aut judices impetratos (*c*) parti lese in viaticis et sumptibus litis sacramento suo cum taxatione judicis declarandis, volumus esse damnandos; prin-

(*a*) In cod. 4625 ita concipitur : *decernimus, sed tantum predictum terminum hoc alleget quod in curia dictus judex, etc.* Non tamen liquidius.

(*b*) Sic se ipsum emendat Carcanus pro *cogentem*, ex graeco τοῦ διαγινώσκοντος.

(*c*) Graece : *exsolvatur. Judices autem et testes volumus*, etc. Cod. 4625 : *Testes autem a judicibus impetrati.*

Digitized by Google

cipali causa nihilominus, non obstante lapsu termini, suo ordine peragenda. Eodem etiam obtinente in civilibus causis, [si testes aut coactores eorum non solvendo fuerint, ut parti lese per restituende cause beneficium succurratur (*a*).]

TITULUS XXXI. AA (31).

De legibus paribilibus sublatis (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Leges que a quibusdam simplicibus sunt dicte paribiles, que nec rerum naturam respiciunt nec veritatem attendunt, nos qui veram legum scientiam perscrutamur et aspernamur (*c*) errores, a nostris judiciis separamus; presentis nostri nominis sanctionis edicto in perpetuum inhibentes omnibus regni nostri judicibus ut nullus ipsas leges paribiles, que absconse (1) a veritate deberent potius nuncupari, aliquibus fidelibus nostris indicet, sed communibus probationibus sint contenti, tam antiquis legibus quam nostris constitutionibus introductis. Eorum etiam (*d*) sensum non tam corrigendum duximus quam delendum (*e*), qui naturalem candentis ferri calorem tepescere, immo [quod est stultius] frigescere nulla justa causa superveniente confidunt, aut qui reum criminis constitutum ob conscientiam lesam tantum asserunt ab aque frigide elemento non recipi, [quem submergi potius aeris competentis retentio non permittit] (2).

(*a*) In cod. 4625 : *si testes ante accusationes eorum non solvendo fuerint aut parti lese per restituende cause beneficium subtrahatur.*

(*b*) Cod. 4624 A : *De cassata probatione ferri candentis et aque frigide.*

(*c*) Hoc verbum, graece ἀποσοβοῦμεν, sensui valde necessarium et in omnibus latinis omissum, restituimus ex cod. 4625.

(*d*) In cod. 4625 *etenim.*

(*e*) Sic legimus ex codice latino et ex graeco. Ap. Carcani *deridendum*, minus recte.

(1) Legis paribilis igitur etymon inde est quod apparere facit veritatem; nam *paribilis absconsae* opponitur. CARCANUS *in notis.*

(2) Huc omnino convenit epistola Innocentii tertii seu potius decretalis episcopo et custodi

Digitized by Google

TITULUS XXXII. AB (32).

De pugnis sublatis (a).

IDEM AUGUSTUS.

Prosequentes benivolum nostre voluntatis propositum quo pugnas a nostra republica, preterquam in quibusdam paucis admodum casibus preexceptis, previdimus submovere, ingerente se casus presentis materia circa Francos qui personarum suarum plurimumque rerum suarum omnium aut majoris partis earum fortunam in monomachiam, que duellum vulgariter dicitur, reponebant (*b*), quid de eis celsitudo nostra proviserit statuendum, constitutione presenti manifestissime declaramus (*c*). Predictum ergo probationis modum per pugnam videlicet, quo jure Francorum viventes hactenus utebantur tam circa principales personas [eam sibi invicem offerendo] quam circa personas testium invicem productorum (*d*), tam in civilibus quam in criminalibus causis de cetero volumus esse sublatum. Sed si Francus aliquis a Franco vel etiam Longobardo super aliqua questione civili vel etiam criminali extiterit impetitus, per probationes testium vel instrumentorum et similium per quas posset plene probari veritas, convincatur. Probationes verumtamen testium pro personarum qualitatibus videlicet et causarum, volumus esse amodo

(*a*) Graece : *Quomodo probare oporteat contra comites et barones.*

(*b*) Graece ἀντώθουν, *rejiciebant.*

(*c*) In omnibus *declarantes*; corrigimus ex graeco et ex cod. 4625.

(*d*) In cod. 4625 *producendorum.*

---

ecclesiae Argentinensis missa, ubi legitur : « Licet apud judices seculares vulgaria exerceantur » judicia, ut aque frigide vel ferri candentis sive duelli, hujusmodi tamen judicia Ecclesia non » admisit, cum scriptum sit in lege divina : Non tentabis Dominum Deum tuum. » Laterani, 9 jan. 1212, ap. BALUZE, *Epist. Inn. III*, ann. XIV, 576. Adest tamen ap. GREGORIO, *Consid. sopr. la stor. di Sicil.*, lib. II, c. III, not. 14, cujusdam missalis libri mentio apud Panormum asservati, in quo mos ecclesiasticus continetur procedendi in judiciis per aquam calidam seu bullientem, per ferrum candens, per panem et caseum. Ibidem memorantur imperator et imperatrix Constantia, non addito utrum haec fuerit Friderici secundi mater an uxor.

pinguiores (*a*). Prestituentes in primis (*b*) quod nullus angararius vel villicus (*c*) [seu quicunque villanus] qui in villis [et casalibus] habitat et [postremo] nullus vilis conditionis contra comites aut barones aut etiam simplices milites capitaliter accusatos vel de persone conditione, utpote de homagio, aut de omnibus bonis seu majori parte eorum vel etiam de uno castro conventos, in testem possit induci; aut inductus contra predictos fidem aliquam in judiciis vel arbitriis vel extra judicia [in contractibus seu quasi contractibus] fidem aliquam faciat, sed perinde habeatur ac si non esset inductus. Sed contra prenominatas personas milites tantummodo et burgenses bone et honeste opinionis inducantur in testes, contra quos nulla omnino pugna de cetero offerri valeat ab eisdem. Numerum etiam testium in prescriptis personis et causis volumus esse majorem : videlicet ut contra comitem criminaliter accusatum, vel de statu persone aut de omnibus bonis suis vel de majori parte bonorum seu etiam de castro conventum, duo comites fidem faciant vel quatuor barones aut octo milites et sic per consequentiam XVI burgenses probationem plenam inducant. [Et sic gradatim] contra baronem duo barones aut loco duorum baronum quatuor milites et vice quatuor militum octo burgenses; et idem in milite, prout inferioris gradus se habeat conditio, inducatur in testes (*d*). Pauciores autem numero in personis predictis et causis nullam omnino fidem inducant, et contra predictos aut plures nulla omnino pugne probatio vendicet sibi locum. In omnibus tamen predictis crimen lese majestatis excipimus, in quo omnium accusatorum et testium sit conditio exequata. Militaribus tamen privilegiis in omnibus supradictis et aliis causis et casibus in quibus prerogative militum aliquid indulgetur, eos tantummodo milites uti volumus qui honorem dignitatis militaris et onus decenter observant, in equis et armis videlicet et aliis militaribus signis quibus barones et milites condecet deco-

(*a*) Graece ἀφθονοτέρας. In codice autem latino *pugnatores*, minus recte.

(*b*) In cod. 4625 *Preconstituentes in primo.*

(*c*) Graece ἐναπόγραφος, *ascriptitius.*

(*d*) Graece nitidius : *Item et contra militem, prout, etc., admissionem testium induci volumus.*

Digitized by Google

rari. Consuetudinem autem que in quibusdam regni partibus obtinebat, per quam hii qui Franci non sunt, sed jure communi censentur, testibus contra se productis in quocunque judicio possint pugnam offerre, funditus extirpamus; sed personarum et causarum distinctione servata, in eorum causis juxta nove constitutionis nostre statuta, justitia previa et equitate servata, ad definitivam sententiam procedatur.

TITULUS XXXIII. ΑΓ (33).

In quibus casibus pugna locum habeat.

IDEM AUGUSTUS.

Monomachiam que vulgariter duellum dicitur, paucis quibusdam casibus preexceptis, inter homines (*a*) regni nostre ditioni subjectos in perpetuum volumus locum non habere : que non tam vera probatio quam quedam divinatio dici potest; que [nature non consonat], a jure communi deviat, equitatis rationibus non consentit. Vix enim aut nunquam duo pugiles inveniri poterant sic equales ut [vel in totum] non sit alter altero fortior, vel in aliqua parte sui vigore majori et potentiore virtute vel saltem ingeniis alter alterum non excedat. Ab hujus autem sanctionis humanitate precludimus homicidas qui veneficio vel quolibet genere furtive mortis aliquem alium extinxisse dicuntur; in quibus etiam a pugne probatione non permittimus inchoari, sed per probationes ordinarias, si supersint alique, procedi primo debere jubemus, et denique officio curie subtili prius inquisitione premissa, si per probationes aliquas vel per inquisitionem plene non poterit facinus comprobari, tunc demum ad pugne judicium indiciis precedentibus (*b*) descendatur : que omnia per officium judicis provide cognoscentis volumus explicari, ut inquisitionis probata cauto et diligenter discutiat. Et si probatum non invenerit, ut est dictum, offerendi pugnam licentiam tribuat accusanti, nullo ex eo quod ipse in officio suo fecit accusatoris (*c*) juri prejudicio generato.

(*a*) In editis *barones*. Ex graeco et cod. 4625 corrigimus.

(*b*) Graece aliter : τοῦ δικαστηρίου ἔτι ἐπιῤῥέποῦς ὄντος.

(*c*) Sic in omnibus, sed in utroque graeco *accusationis*, et fortasse melius.

Digitized by Google

Si tamen accusator [in crimine] prius offerat se probare per testes, et si in eorum probatione deficiat, tunc inquisitionis et pugne probatione minime locum habente, reus qui nocens non convincitur [et presumitur innocens] absolvatur : quod jus inter omnes tam Francos quam Longobardos et in causis omnibus volumus esse commune. Satis enim militibus et nobilibus regni nostri per probationum impugnationes (*a*) providimus et aliis etiam qui poterant pugnam offerre, prout novella constitutione nostra evidentius est statutum. Crimen etiam lese majestatis excipimus in quo [infra scriptis capitulis (*b*)] pugne judicium reservamus. Nec mirum si lese majestatis reos, homicidas furtivos atque veneficos pugne subjicimus [non tam judicio quam terrori]; non quod in ipsis nostra serenitas justum estimet quod injustum in aliis reputavit, sed quod in eorum penam et aliorum exemplum, publice in conspectibus hominum sub tremenda probationis specie tales constitui volumus homicidas, qui occultas atque furtivas insidias vite hominum, quos sola potest creare divina potentia, parare minime timuerunt. Eos enim extra omnes modestie terminos stabilimus, qui adversus securitatem nostram per quam omnibus aliis prestatur securitas, moliri aliquid non verentur.

TITULUS XXXIV. ΛΔ (34).

De causa depositi (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

In causa depositi, in qua olim pugna locum habebat, pugne prorsus interdicimus facultatem; sed ut de ea dubietas oriri non possit, sub tali cautela volumus depositum amodo celebrari : videlicet ut in deposito cujus quantitas infra unam libram auri subsistit, tres testes fide digni et omni exceptione majores debeant interesse. Ultra libram autem auri si consistat depositum, debet fieri publicum instrumentum per manus tabel-

(*a*) Graece elegantius : *per probationum citra pugnae aleam certamen.*

(*b*) Haec tam in cod. 4625 quam in graeco desunt.

(*c*) Graece : *Quomodo fieri debeant deposita.*

Digitized by Google

lionis qui intersit ipsi deposito, non qui jussione judicis instrumentum fecisse se dicat, et trium judicum in depositione presentium subscriptione signatum; vel si unus judex tantum intersit, simul cum eo debent interesse tres testes, qui specialiter una cum judice et tabellione predictis se in instrumento subscribant.

TITULUS XXXV. ΛΕ (35).

De probationibus et testibus ante litem contestatam producendis.

IDEM AUGUSTUS.

Probationum cursibus competenti remedio succurrentes, permittimus, lite etiam nondum in judicio contestata, testes valetudinarios et senes, de quorum proxima morte futura timetur, vel eos de quorum peregrinatione et longa absentia dubitatur, ab eo qui sibi per depositiones eorum cavere desiderat posse produci; presente tamen eo qui adversarius futurus speratur, si ejus presentia facile (*a*) possit haberi; vel eo se per contumaciam absentante, omni jure ei qui presens non fuerit contra personas et dicta productorum testium reservato. Quarum depositionum vigorem intra annum tantum valere disponimus et non ultra annum extendi, cum litis contestatio non intercesserit, nec presens fuerit adversarius, vel absenti parti denunciari potuerit ut receptioni testium interesset.

TITULUS XXXVI. Λς (36).

Quae probationes in causis homagii exigantur.

IDEM AUGUSTUS.

Probationum defectum in causis quas super homagiis movere contigerit, competenti munimine fulcientes, statuimus si quando aliquis fuerit ab aliquo de homagio impetitus, ipse autem hominem nostrum immediate se esse contendat; siquidem per privilegia predecessorum nostrorum aut nostra vel alia legitima et authentica instrumenta sive per testes fide

(*a*) Alias *facilis*, sive *de facili*. Graece ἀκινδύνως, *sine periculo*.

dignos et omni exceptione majores, [qui forte concessioni interfuerint] probari possit qualiter petitor aut predecessores sui hominis petiti dominium vel predecessorum suorum adepti fuissent; si nullas exceptiones conventus opponat et probet, per quas possit se ab ejus dominio liberare, pro actore judex competens ferre sententiam non moretur. Quod si probationes legitime de dominio haberi non possint, sufficiat petitori probare quod homo petitus temporibus regum predecessorum nostrorum predecessoribus suis vel sibi fidelitatis et homagii prestiterit sacramentum, [et quod ut vassallus ejus ei servierit in omnibus et per eum in curia sua de persona conventus justitiam fecerit] conquerentibus, et quod predictorum regum tempore usque ad ea tempora quibus de homagio retulerit questionem, terram ab actore tenuerit, ne alias (*a*) recommendatus presumatur potius quam vasallus. Que omnia in militibus et baronibus de vasallagio conventis volumus observari. Predictis autem omnibus vel aliquo predictorum cessantibus, conventus immediate majestatis nostre communi dominio relinquatur. In omnibus tamen predictis libertatis favorem ac (*b*) interpretationem benignam pro libertate in dubiis faciendam, prout veteribus legibus est indultum, integre reservamus.

TITULUS XXXVII. AZ (37).

Qualiter campiones tenentur pugnare (*c*).

REX GUILLELMUS (*d*).

Nullus campio si devictus fuerit, [ad faciendum bellum] (*e*) denuo pro aliquo admittatur, nisi pro se, non cum ipse impetit alium, sed cum fuerit ab aliquo impetitus. Statuimus preterea ut amodo campiones habeant

(*a*) In cod. 4625 *vel*, forsitan *velut*; quod propius graeco accedit.

(*b*) In cod. 4625 *ad*; sed in graeco καὶ.

(*c*) Graece : *De devictis campionibus.*

(*d*) Sic in duob. codicibus Paris., et recte.

(*e*) In cod. 4625 : *Nullus campio de campionibus qui semel in campo devictus fuerit ad faciendum duellum, etc.*, rectius.

Digitized by Google

clavas equales, non spinosas, nec cum aguzonibus (*a*), nec habentes cornua (*b*), [nec ex parte fustis ad modum unguis].

TITULUS XXXVIII. AH (38).

De sacramento prestando a campionibus.

IMPERATOR FREDERICUS.

Presenti lege decernimus ut campiones amodo, postquam circulum pugnatorium fuerint prout est moris ingressi, corporalia subeant sacramenta quod juxta probabilem credulitatem eorum credunt dominos pro quibus pugnam intraverint, veritatem fovere, et non per calumniam seu per astum ad accusationem propositam vel defensionem adhibitam processisse, et quod cum omni virtute et potentia, studio et vigore partes pro quibus pugnaverint adjuvabunt. Pugilibus (*c*) etiam [expressius] inhibemus quod se non debeant invicem affidare quod manibus vel dentibus et modis quibuslibet poterunt alter alterum non offendat, immo unus ad confusionem (*d*) alterius ex toto posse conetur.

TITULUS XXXIX. AΘ (39).

De fraude et dolo campionum.

IDEM AUGUSTUS.

Summo periculo quod ex pugilum fraudibus, inertia [vel levi timore] hactenus contingebat, provisione necessaria succurrentes decernimus ut si ei (*e*) qui pugne pro tempore prefuerit videatur cum aliorum consilio qui tunc temporis inveniantur esse presentes, quod campio in pugnando

(*a*) Cod. 4625 *agucionibus*.

(*b*) Qualitates autem armorum graece ita exprimuntur : *habeant virgas ferreas, non vero asperas neque habentes cornua neque in acutum hastile desinentes.*

(*c*) Pro campionibus et pugilibus uno ac eodem verbo graecus utitur πολεμάρχοις.

(*d*) In cod. 4625 *confessionem. Confusio* tamen magis ad graecum καταλυσιν accedit.

(*e*) In caeteris *is* , male. Cod. 4625 *ei*.

fraudem adhibeat aut segnitiem manifestam, vel quod melius potuerit se defendere nec tam cito in recredentis (*a*) vocem erumpere debuisset : si quidem is pro quo pugnat accusatus extiterit, cum si pugne succumbat mori debeat, ut pote reus habitus criminis majestatis vel de homicidio absconso convictus, campio similiter periculum mortis incurrat. Ceterum si is pro quo pugnat accusat, quia dolorem justum prosequitur pater forte vel mater aut filius de morte suorum, qui succumbit in pugna mori non debet, cum nec ad pugnam fuisset admissus nisi quia ipsum justi doloris impetus et indiciorum precedentium probatio admiserunt. Campio tantum manum amittat, quam exigente legitima pena perjurii, quilibet alius scienter perjurus amittat. Videbatur etenim impium in casu presenti capitali supplicio subjacere campionem, cum is cujus causam principaliter agit, per casum suum periculo capitis non succumbat. In crimine tamen lese majestatis accusatorem etiam qui in pugna succumbat, sicut et reum si succubuisset in ea, ultimo supplicio subjugamus.

TITULUS XL. M (40).

De qualitate et etate pugnatorum (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Consuetudinem pravam et a tramite rationis cujuslibet alienam, que in regno nostro obtinuit hactenus, funditus extirpantes, statuimus ut is qui alii pugnam obtulerit, in his casibus in quibus est pugne judicium reservatum, juxta conditionem et qualitatem illius pugnare debeat quem convincere per oblatam pugnam intendit, non ut olim ad electionem illius qui ipsam pugnam obtulerit fieri debere. Premeditari namque debet primitus accusator et secum perpensa deliberatione pensare quis et qualis conditionis existat is cui pugnam intendit offerre, et reus qui favorem a jure promeruit et preter spem omnem ad pugne dispendium advocatur,

(*a*) Cod. 4625 *in recedentis*, minus recte. Quid sit *recredere* in monomachia, vide CANGIUM ad verb.

(*b*) Graece : *De jure accusati eligendi modum defensionis, quando pugna impetitur.*

Digitized by Google

cum se defendat ab alio propulsatus, sue defensionis modum non debet amittere per eum qui antequam veniret ad pugnam, consilio forsitan fraudulento tractaverat qua impugnationis specie (*a*) contra omnem veritatem aliquando confundere valeat accusatum. Sed si miles fuerit is qui pugna impetitur et eques se voluerit defendere, adversarius ejus quamvis miles non sit, eques similiter ipsum impugnet. [E contrario si pedes fuerit qui se defendere nititur, licet is qui pugnam obtulerit fuerit miles, non ut miles, sed ut quilibet alius pugil accusatum impugnet.] Defendentis se namque debet esse electio qualiter melius se defendere valeat ab alio impetitus. Illud etiam presenti sanctioni duximus adnectendum ut [si is qui pugnam obtulerit, lesus fuerit in aliqua parte sui corporis, propterea is qui pugna impetitur, in nullo sue defensionis auxilium minorabit. Ceterum] si impetitus forte sit lesus in quacumque parte corporis que necessaria sit ad pugnandum, is qui eam obtulit in ea parte se debilitare debebit in qua debilitatus est is cui duellum offertur; veluti si unum tantum oculum habeat impetitus, is qui pugnam offert aliquibus diebus antea illum oculum apposito aliquo sibi claudet, in quo pati dignoscitur accusatus. Similiter et in digitis et in membris aliis hoc volumus obtinere, juxta proborum virorum consilium et discretionem providam judicantis. Nec illud pretermittendum vidimus (*b*) quod necessario gratiam nostre benignitatis exposcit : ut qui etatis annum sexagesimum [tetigerunt] et qui nondum XXV annorum curriculum impleverunt, per se pugnare minime teneantur, sed possint ad defensionem suam, non cum alios impetunt, subjicere campiones; ne vel etatis (*b*) [in altero] naturali frigescente calore, vel juvenilis virtutis [in altero] robore non impleto, non tam incerto quam periculoso pugne judicio, quod esset asperrimum, relinquamus.

(*a*) Sic corrigimus ex cod. 4625. Ap. Carcani *tractaverat impugnationis speciem*, sensu multo minus nitido.

(*b*) In cod. 4625 *volumus*.

(*c*) Sic corrigimus ex eodem codice. Ap. Carcani *aetates*.

TITULUS XLI. MA (41).

De restitutione mulierum (*a*).

REX ROGERIUS.

Mulieribus ubi non modice lese sunt propter fragilem sexum, legum equitatem sectantes, tam per nos quam per officiales nostros [visceribus pietatis] subveniendum esse decernimus, sicut decet et quatenus oportet.

TITULUS XLII. MB (42).

De restitutione minorum.

IMPERATOR FREDERICUS.

Minorum jura qui in judiciis vel extra judicia [immodice] lesi probantur, precipimus inviolata servari, quibus in illis casibus tantum succurrimus beneficio in integrum restitutionis indulto, in quibus eisdem leges veteres succurrebant : videlicet si facilitate sui, vel tutorum, curatorum, [baliorum seu etiam procuratorum] fraude vel negligentia aut dolo adversariorum suorum lesi probantur. Eis autem [delinquentibus] si delictum procedat ex animo, nisi quatenus miseratio etatis judicem moverit, minime subvenimus. Illud etiam [expressim] constitutione presenti duximus admittendum (*b*) ut in causis non tantum civilibus, verum etiam [criminalibus et] publicis, tutorum vel curatorum seu bajulorum auctoritas ipsis assistat. Abundantiorem etiam providentiam de sinu gratie nostre [pupillis] volumus impartiri (*c*) ut causas criminales et

(*a*) Graece : *De subveniendo mulieribus propter naturae fragilitatem.*

(*b*) In cod. 4625 *adnectendum*, quod etiam graeco convenit.

(*c*) Totus hic locus diverse in graeco concipitur : *ut non solum in judiciis civilibus sed et in publicis, non suffragante tutorum aut curatorum aut baliorum auctoritate, abundantiorem providentiam a nostra majestate praeberi velimus; ita ut causas criminales, etc.* Quum enim prius solae universitates et mulieres ex titulo II hujus libri essent exceptae a comparendo in judicio criminali, demum post editam hanc constitu-

Digitized by Google

publicas etiam per tutores aut curatores eorum [ad lites datos] in judicium deducere valeant, dum suam vel suorum injuriam prosequuntur, sive accusent sive ab aliis accusentur; penis [ex accusationibus] debitis constitutionibus nostris et antiquo jure statutis personis principalibus infligendis. Minores autem tam masculos quam feminas intelligimus eos easve qui vel que nondum etatis sue decimum octavum annum excesserint : quo completo, ipsos tam in contractibus quam in judiciis et in omnibus perfecte etatis volumus reputari.

TITULUS XLIII. ΜΓ (43).

De restitutione reipublice.

IDEM AUGUSTUS.

Beneficium restitutionis [in integrum] nostre reipublice in judiciis et contractibus antiquis legibus reservatum, non ipsi precidimus, sed illud nobis integre reservamus (*a*), [sanctioni presenti manifestius inserentes] ut ad petendam restitutionem eamdem speciale mandatum, quod in minoribus et mulieribus exigitur, quorum (*b*) procuratores et defensores restitutionem implorant, a procuratoribus statutis a nobis vel a magistro justitiario nostro aut regionum justitiariis, quibus in causis nostris civilibus et criminalibus statuendi procuratores et defensores concedimus facultatem, nullatenus exigatur.

TITULUS XLIV. ΜΔ (44).

De [in integrum] restitutione mulierum.

IDEM AUGUSTUS.

Obscuritatem legis divi regis Rogerii (*c*) avi nostri de restituendis mu-

tionem, beneficium comparendi per procuratores cum minoribus communicatum fuisse videtur.

(*a*) Graece : *sed eo usque reservamus ut ad petendam, etc.*, quod melius sonare Carcanus dicit.

(*b*) Graece *pro quibus*.

(*c*) In graeco Γουλίελμου, male. Vid supra, tit. XLI.

Digitized by Google

lieribus editam declarantes, mulieres Longobardorum seu Francorum jure viventes [in judiciis tantum] restituendas esse sancimus, cum per negligentiam vel fraudem mundualdorum seu procuratorum suorum [enormiter] lese probantur, et adversus predictos [mundualdos vel procuratores], dum forte non sint solvendo, indemnes servari non possunt. Item, si propter nimiam simplicitatem ipsorum enorme damnum incurrant. Nam licet [prescriptorum] simplicitas ipsos excuset, simplicitas tamen eorum in damnum mulierum reverti non debet. In contractibus autem in quibus non tam ipse presentes esse possunt quam et aliorum presentiam judicum et mundualdorum atque procuratorum habere, ipsis non vidimus succurrendum, nisi forte per circumventionem aut fragilitatem sexus immoderatam dotem ultra [patrimonium vel ultra] vires patrimonii sui (*a*) promisisse vel constituisse probentur. Casus etiam in quibus antiqua jura mulieribus jus ignorantibus (*b*) succurrebant, in suo robore reservamus : videlicet si per errorem, non precio accepto (*c*), ab accusatione desistant; si incestus crimen per ignorantiam juris committant; [vel si instrumenta edenda per fragilitatem sexus ignorantes non edant.] Succurritur etiam eis si in satisdationibus in judiciis prestandis per juris ignorantiam inveniantur esse decepte; item si solverint ex intercessione, ignorantes se beneficio Vellejani munitas. Quos omnes et si quos alios probata juris antiquitas introduxit, in suo robore volumus remanere.

TITULUS XLV. ME (45).

De alienationibus rerum in judicio deductarum (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Eorum fraudibus occurrentes qui res mobiles vel immobiles seu etiam incorporales ante litem contestatam vel etiam ante citationem factam in

(*a*) *Videlicet* quod hic in editis additur, deest in cod. 4625 et juste.

(*b*) Graece ἀπατωμέναις, sc. *deceptis*.

(*c*) Graece omnino diverse : *per deceptionem praetii accepti*.

(*d*) Graece : *De his qui in potentes judicia transferunt*.

Digitized by Google

alium [quomodolibet] potentiorem transtulerint causa mutandi judicii, decernimus ipsos non ut olim tantum ad interesse, cujus probatio est difficilis et incerta, sed in tertia estimationis rei quam transtulerit condemnari, quam sacro nostro erario precipimus applicari. Quod si post litem motam res in judicium litigiosi (*a*) cadentes aliquis scienter transtulerit ut processum judicii valeat impedire, venditor pretio rei vendite, emptor etiam sciens alio tantum pretio (*b*) [rei vendite, utroque fisco nostro applicando] mulctetur. Si autem sciens emptor probari non possit, cum presumatur ignorans propter bonam fidem suam, pretium recuperare volumus quod exsolvit, et de toto (*c*) pretio in quo venditor qui semper sciens (*d*) invenitur, ut prediximus, est damnandus, quartam lucri facere volumus ignorantem emptorem, aliis tribus partibus fisci nostri juribus sociandis. Que omnia non tantum in venditionibus, sed in quibuslibet contractibus locum habeant. Contractus tamen transactionum, dotium et donationum propter nuptias, necnon divisionum [rerum hereditariarum et alienationum], legati vel fideicommissi causa factos excipimus, tenore etiam veteris legis exceptos.

TITULUS XLVIII. Mς (46).

De appellationibus (*e*).

IDEM AUGUSTUS.

Appellationum tempora per quas definitive sententie suspenduntur certo dierum spatio jussimus limitari, statuentes ut in quacunque parte regni sententia extiterit per quoscunque officiales seu judices prolata, delegationis jure vel ex officio ordinario cognoscentes, a qua fuerit ad audientiam nostri culminis appellatum, quinquaginta dierum spatia a

(*a*) Ap. Afflictum *in vitium litigiosi*. Ita in cod. 4625, nisi quod post *litigiosi* additur *contractus*.

(*b*) Graece *alio tanto praetio*, ἀλλῷ τοσούτῳ τιμήματι.

(*c*) Cod. 4625 *de tanto*.

(*d*) Pro *semper sciens* in cod. 4625 *prescius*.

(*e*) Graece : *De termino dato appellantibus*.

Digitized by Google

die appellationis interposite habeat appellator, infra quod processum judicii et appellationis nostre curie representet. Et ut omnis omnino allegande difficultatis occasio in posterum conquiescat, appellationes ipsas magistro justitiario seu judicibus magne curie nostre sufficiat presentari. Ceterum si ad alios majores judices a minorum sententia fuerit appellatio interjecta, qui non (*a*) nobiscum in curia commorantur, tunc pro locorum distantiis et causarum qualitatibus necnon et personarum, a pronunciantibus judicibus presentandarum appellationum tempora prestitui volumus appellanti, dummodo predictorum quinquaginta dierum spatium non excedat indulta dilatio. Que omnia in ipso appellationum (*b*) tenore volumus contineri. Illud etiam presenti conjungimus sanctioni quod si post appellationem presentatam, appellator sine licentia judicis ad quem appellavit discesserit, nec instanter instet ut responsum debitum consequatur quasi nunquam appellaverit, rata sententia permanebit, nisi ipso jure nulla a judice superiore dicatur.

TITULUS XLIX. MZ (47).

De causis in judicio cito dicendis (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Universos et singulos judices regni nostri volumus cum voto nostro concurrere; ut causas in eorum examine ventilatas cito decidant, advocatorum allegationibus qui philacteria sua perorando dilatant, nisi quatenus desiderate instructionis necessitas exegerit, nullatenus indulgentes. Sed post dicta testium publicatorum in judicio et ex eis rubricas assumptas, in qualibet causa duorum dierum spatium tantum habeant advocati ad disputandum de jure et concludendum in causa. Quorum segnitiem si judex [cause forte] repererit evidentem, expensas omnes

(*a*) Addimus *non* ex utroque graeco et ex cod. 4625.

(*b*) In omnibus editis *apostolorum*. Quod ipse ex graeco emendat Careanus.

(*c*) Graece : *Ut judices non indulgeant advocatis causas prolongare.*

Digitized by Google

quas parti propter tarditatem ipsorum afflixerint (*a*), [cum integritate] persolvant. Quod si per advocatos forte non steterit, sed per partes que concludere forte non volunt, expensas omnes similiter pars conclusionem et renunciationem differens adversario suo in utroque casu sacramento partis cum taxatione judicis manifestandas exsolvat. Partibus autem concludentibus, judices ad decisionem negotii secundum Deum et justitiam instanter ad pronuntiandum (*b*) intendant; quibus propter causarum multitudinem certum pronunciandi tempus nequimus definire (*c*); [ita quod infra decem dierum spatium a die conclusionis numerandum salubri (*d*) nostre constitutionis provisione judicibus prestitutum, causam studeant sententiali calculo terminare.]

TITULUS L. MH (48).

De pena judicis qui male judicavit.

REX ROGERIUS.

Si judex fraudulenter atque dolose contra leges sententiam protulerit, ab auctoritate judiciaria irrecuperabiliter cadat, notetur infamia, rebus suis omnibus publicatis. Quod si ignorantia juris in sententia oberraverit, pro simplicitate animi manifesta pro nostre voluntatis arbitrio puniatur.

MΘ (49) (*e*).

IDEM REX.

Judex si accepta pecunia reum aliquem criminis et mortis fecerit, periculo capitis subjacebit.

(*a*) Melius in cod. 4625 concipitur : *expensas omnes parti quam propter tarditatem ipsorum afflixerint.*

(*b*) Addimus *ad pronuntiandum* tam ex cod. 4625 quam ex graeco.

(*c*) Haec a *quibus propter*, licet sint in graeco, in cod. latino desunt.

(*d*) In cod. 4625 additur *novella.*

(*e*) Graece rubrica adest : *De judicibus munera accipientibus et aliquem reum mortis facientibus.*

TITULUS LII. N (50).

De probationibus in appellationibus producendis (*a*).

IMPERATOR FREDERICUS.

Jurisperitorum altercationes determinare volentes, sancimus si quando testes in principali causa producti fuerint et etiam publicati, super eodem articulo a producente vel ab adversario testes [amodo] produci non posse, propter falsi fabricandi materiam (*b*), propter cujus timorem post publicationem testium testes produci denuo jura in principalibus judiciis vetuerunt, in appellationibus etiam removentes. Quod si nulli testes fuerint in causa principali producti, ita demum in appellationum judiciis eos appellanti producere liceat, si is qui terminum ad probandum in principali causa receperit, justa ex causa impeditum se doceat propter quam speratos testes producere nequisset. Alioquin, ad probandum denuo nullatenus admittetur. Presenti etiam sanctioni illud edicimus adscribendum (*c*), si quando in causis appellationum probationes inducende sunt vel interrogationes [et confessiones] fieri desiderantur, in eis ambe partes necessario sint presentes ut eis cominus constitutis, causa plenius instruatur. Quod si in termino peremptorio pars appellata citata non venerit, nihilominus appellatore presente, altera parte contumaciter absente (*d*), ad confirmationem (*e*) sententie secundum jus et justitiam procedatur.

(*a*) Graece : *De non producendis testibus post publicationem testium in eodem articulo.*

(*b*) Graece : δι' αἰτίαν τοῦ μὴ ἐποικοδομῆσαι ψευδές τι.

(*c*) In cod. 4625 et in graeco simpliciter : *illud adjicimus.*

(*d*) Haec desunt tam in cod. 4625 quam in graeco, ubi legitur *secundum unam partem*, κατὰ τὸ ἓν μέρος.

(*e*) Additur in cod. 4625 *vel infirmationem* : quod tamen deest in graeco.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER TERTIUS IMPERIALIUM CONSTITUTIONUM.

TITULUS I. NA (51) (*a*).

De juribus rerum regalium (*b*).

REX ROGERIUS.

Scire volumus principes nostros, comites, barones, archiepiscopos, universos episcopos et abbates (*c*), quod quicunque de regalibus nostris magnum vel parvum quid tenet, [nullo modo, nullo ingenio] possit ad nostra regalia pertinens alienare, donare vel vendere, [in totum vel in partem minuere], unde jura nostra regalia minuantur (*d*) [aut subtrahantur aut damnum aliquod patiantur.]

TITULUS II. NB (52).

De vasallis non ordinandis (*e*).

IDEM REX (*f*).

Adscriptitios sine voluntate et assensu eorum quorum juri subditi sunt et potestati, nullus episcoporum ordinare presumat (*g*). [Hi quorum ad-

(*a*) Ordo enim titulorum libri secundi in codice graeco prorogatur usque ad titulum XX libri hujus, secundum latinorum ordinem tertii.

(*b*) Graece : *Ne quis regales res alienare possit ad diminutionem juris aulae regiae.*

(*c*) Graece ἡγουμένους, scilicet *praelatos* quocumque censeantur nomine.

(*d*) Constitutio glossematibus purgata ita se habet in graeco : *Scire volumus principes nostros, etc., praelatos et quicumque, quae de nostris regalibus ad nostrum demanium pertinent, vel parva sint vel magna, possidet, non posse a quoquam alienari nec vendi ad nostrorum jurium detrimentum.*

(*e*) Graece : *De non ordinandis villanis absque consensu dominorum.*

(*f*) Ita legimus ex Palat. et Lindebr., quibus accedit cod. 4625. Carcanus ex plerisque editionibus retinuit IMPER. FRED., nostra sententia minus recte.

(*g*) Hic in graeco additur : *ita ut per ordinationem jus eorum circumscribatur.*

Digitized by Google

scriptitii sunt, si quod premium ob licentiam ordinandi vel consecrandi suscepisse convicti fuerint, jus adscriptitium perdant, et] qui dederit pecuniam, ab ordine motus fisco nostro cum rebus omnibus suis vendicetur. Ne tamen sinistrum aliquod aliquando possit nostris constitutionibus obviare, si forte in rure vel in vico ecclesia constituta assignatos habuerit sacerdotes, quibus decedentibus sint aliqui (*a*) subrogandi, et pertinaces domini ruris vel vici super adscriptitiis fieri subrogationem negaverint; presertim cum ex ipsis adscriptitiis persona idonea sacerdotio ab episcopo expectetur, dignum clementie nostre videtur atque justissimum ad justam petitionem ecclesie adscriptitiorum dominum jure cogendum. Filii vero adscriptitii [memorati et] ordinati ad adscriptitiorum conditionem redeant, omni occasione remota.

TITULUS III. NΓ (53).

De his qui debent accedere ad ordinem clericatus.

REX GUILLELMUS (*b*).

Errores eorum qui villanos quoslibet sine licentia dominorum ad ordinem clericalem (*c*) accedere regia constitutione dicunt esse prohibitos, interpretatione benivola corrigentes, decernimus eos tantum villanos predicta constitutione intelligi fore prohibitos clericari, qui personaliter, intuitu persone sue scilicet, servire tenentur, sicut sunt adscriptitii et servi glebe et hujusmodi alii. Qui vero respectu tenimenti vel alicujus beneficii servire debent, si voluerint ad ordinem (*d*) clericatus accedere, liceat eis sine voluntate etiam dominorum, prius tamen his que tenent a dominis suis in eorum manibus resignatis.

(*a*) Ita quoque in cod. 4625, sed in graeco *alii*.

(*b*) Ita in cod. 4625 et recte: Guillelmus enim praedecessoris sui Rogerii constitutionem elucidat. Apud Carcanum tamen REX ROGERIUS.

(*c*) In cod. 4625 *ad ordinationem clericatus*.

(*d*) In cod. 4625 *ad honorem*.

Digitized by Google

TITULUS IV. NΔ (54).

De jure suo curie observando (a).

IMPERATOR FREDERICUS.

Dignum fore credimus et consentaneum rationi ut nos qui justitie solio presidemus et constanter atque perpetuo jura sua quibuslibet conservamus, rationum nostrarum non simus immemores, sed eas ab aliis temeritate quadam [et, ut loquamur apertius, illicita presumptione] detentas ad dominium nostrum atque demanium revocemus. Hujus igitur legis edicto inviolabiliter observando regni nostri [Sicilie] omnibus fidelibus nostris edicimus ut omnes civitates, castra, munitiones, casalia, villas et quicquid in eis intus aut foris esse [demanium vel] de demanio consuevit, in nostras manus integre debeant (*b*) resignare. Reditus etiam et servitia nobis debita detineri ab aliquibus [amodo] vel supprimi prohibemus; scituris firmiter cujuscumque conditionis hominibus regni nostri [fidelibus] universis quod qui de predictis tenuerint aliquid, de quo non habeant privilegium divorum regum Rogerii et Guillelmi primi aut secundi [predecessorum nostrorum] aut oraculum nostre celsitudinis speciale, a nobis ex certa nostra scientia impetratum vel indultum a predecessoribus nostris divis augustis (*c*) parentibus nostris et ex certa scientia nostra confirmatum, et usque ad festum Nativitatis proximum in manus nostras vel ordinatorum nostrorum irrequisiti etiam non resignaverint, quadruplum [etiam] (*d*) fructuum vel redituum seu cujuscunque utilitatis quod de detentis sic injuste perceperint, procul dubio curie nostre cum integritate persolvant.

(*a*) In graeco : *De poena eorum qui aliquid retinent ad domanium pertinens.*

(*b*) In cod. 4625 *curent.*

(*c*) Addimus *augustis* tam ex codice latino quam ex graeco.

(*d*) *Etiam* in cod. 4625 deest, et prorsus omnino redundat.

Digitized by Google

NE (55) (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Personas rebus aliis preferentes, quanto eas pretiosiores habemus, tanto ipsarum detentoribus que ad demanium nostrum [immediate] (*b*) spectare noscuntur, penam imponimus duriorem. [In hoc enim non tam nobis prospicimus quam libertatis favori favemus, cum omnes merito liberi censeantur qui nullo medio ad imperialem celsitudinem et regiam pertinent potestatem.] Hoc igitur prohibitionis nostre decreto omnibus regni nostri nobilibus expressim prohibemus ut nullus comitum vel baronum ad nostrum demanium pertinentes vel baroniam aliquam que nostri demanii sit, ulterius detinere presumat. Alioquin, si quis de cetero sub dissimulatione transiens hoc nostre curie non exponat, publicatione bonorum omnium mulctandum esse censemus; detentorem vero scientem alio equivalenti (*c*) puniri censemus.

TITULUS V. Nς (56).

De revocatione feudorum et rerum feudalium (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Constitutionem dive memorie regis Rogerii avi nostri super prohibita diminutione feudorum et rerum feudalium ampliantes, decernimus omnes alienationes seu quoscunque contractus super feudis et rebus feudalibus minuendis aut commutandis nullam omnino firmitatem habere, nisi de speciali nostre celsitudinis licentia confirmentur. Transactiones etiam, si que super eis sine mandato nostre curie facte fuerint, jusjurandum interpositum seu etiam stipulationem penalem, nullius decernimus esse

(*a*) Graece nova incipit κεφαλὴ cum hac rubrica : *De poena eorum qui homines retinent ad domanium pertinentes.*

(*b*) Addimus *immediate* ex cod. 4625.

(*c*) Graece autem diverse : ἐν διπλῷ καὶ ἰσοτίμῳ.

(*d*) Graece : *De prohibita diminutione feudorum.*

Digitized by Google

momenti. Eisdemque contrahentibus et alienantibus concedimus potestatem jure proprio predicta omnia revocare. Arbitria etiam ex compromisso super premissis facta nulla censemus, cum de eis constitutione nostra certis personis, magistro justitiario et justitiariis tantum, cognitio sit delata. Excadentias autem baronibus et militibus locare permittimus, dummodo sub eo annuo servitio et reditu locentur, sub quo ab antiquo locari consueverunt; ita quod in nullo debitum servitium vel reditus minuatur.

NZ (57).

De eodem (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Hac edictali lege in perpetuum valitura omnibus regni nostri fidelibus inhibemus ut nullus comes, baro vel miles vel quilibet alius vel clericus res qualitercunque (*b*) servitutibus (*c*) obligatas, de quibus (*d*) reditus et servitia curie nostre debeantur, quocunque alienationis titulo inter vivos vel in ultimis voluntatibus in alium pro parte vel in toto transferre presumat vel etiam commutare, unde servitium ipsum aut reditus curia nostra perdat.

TITULUS VI. NH (58).

De revocandis transeuntibus ad alienam habitationem (*e*).

IDEM AUGUSTUS.

Quisquis de burgensibus aut villanis ad nostrum demanium pertinentibus temporibus retroactis ad ecclesiarum loca, comitum seu baronum vel aliorum quorumlibet quacunque occasione transierit, incolatu seu

(*a*) Graece : *De non alienandis a quocumque rebus curiae obligatis.*
(*b*) In cod. 4625 : *vel clericus qualiscunque sit res, etc.*
(*c*) In cod. 4625 *nostris servitiis*; sed in graeco ὑπὸ δουλείαν τινὰ.
(*d*) In cod. 4625 *vel de quibus.*
(*e*) Graece : *De termino constituto hominibus domanii ut revertantur ad domanium.*

habitatione nostri demanii derelicta, infra tres menses si in eadem provincia fuerit, et si extra provinciam fuerit infra sex menses, post requisitionem ordinatorum nostrorum (*a*), ad terram demanii quam deseruit redire cum tota familia compellatur (1). Quicumque autem hujusmodi homines receperint scienter aut receptos ab initio forsitan ignoranter contempserint reddere requisiti, libram unam auri purissimi camere nostre componant, et receptos nihilominus cum omni commodo quod inde sumpserint, curie nostre reddere compellantur. Equa etiam lance sancimus ut ecclesiarum homines, comitum, baronum vel militum, qui tantum (*b*) dominis suis de personalibus servitiis minime teneantur, si a tempore nostre felicis coronationis se ad terras nostri demanii seu aliorum quorumlibet transtulerint, sub (*c*) eodem temporis spatio trium vel sex mensium scilicet, a tempore requisitionis emisse redire ad terram dominorum suorum, mora qualibet et occasione depositis, compellantur. [Prelatus seu comes, baro vel miles seu quilibet alii supradictorum hominum detentores, si scientes extiterint vel ignorantes, et ipsos non reddiderint requisiti post temporis spatium supradictum, in dimidiam libram auri purissimi sentiant se fore damnandos, cujus medietas nostro erario, reliqua medietas damnum passis volumus applicari.]

(*a*) Ex graeco apparet *ordinatores* eosdem esse qui *officiales* vocari solent.

(*b*) In cod. 4625 *qui tamen*; sed in graeco οἵτινες μόνον.

(*c*) Sic ex codice latino et ex graeco. Ap. Carcani *ab.*

---

(1) Exempli causa formam quamdam revocationis exhibemus, quae adest inter *Petri de Vineis Epist.*, lib. V, cap. XVIII : « Fredericus, etc., justitiario, etc. Intellecto nuper quod » nonnulli habitatores . . . . . , ut in collectis et aliis curie nostre servitiis ab aliorum » suorum concivium communione se subtrahant, incolatibus proprii domicilii derelictis, se ad » alia loca jurisdictionis tue, in quibus eorum non sit nota conditio, per dolosa suffragia trans- » tulerunt, et sic onera que communes humeros exigebant, incumbunt residuis intollerabi- » liter supportanda : quocirca fidelitati tue precipiendo mandamus, quatenus quoscunque » habitatores terre ipsius, ob causam predictam propria domicilia inveneris reliquisse, ipsos » ad incolatus terre predicte incontinenter redire, qua videris rerum et personarum distric- » tione compellas : ut fugam ipsam, quam in aliorum prejudicium fraudulenter ingesserant, » nullum sibi sentiant patrocinium exhibere. » Quaedam in hoc mandato correximus ex od. Bibl. Paris., *Fonds Saint-Germain*, n° 455.

TITULUS VII. NΘ (59).

De hominibus demanii affidatis non tenendis (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Cum universis et singulis regni nostri credamus in tantum sufficere preeminentie nostre favorem, ut adversus quorumlibet impetus valeant clypeo nostre defensionis defendi, grave non immerito ferimus et moleste quod aliqui ad aliorum patrocinia transeuntes, a nobis et officialibus nostris in eorum presertim judiciis protegi se posse diffidunt. Nolentes igitur hec sub dissimulatione transire et que in nostram perpetrantur injuriam equanimiter tolerare (*b*), presentis legis edicto firmiter inhibemus ut in terris demanii nostri nulli omnino liceat affidatos vel recommendatos habere, vel dudum non sine offensa nostre celsitudinis habitos retinere; nisi de habitis a quocunque tempore retroacto vel in posterum habendis, a nobis vel divis regibus vel augustis predecessoribus nostris privilegium vel scriptum debita solemnitate munitum (*c*) ostendat. Prescriptionem etenim aliquam eis prodesse non volumus, qui fidei debite sacramento contempto quo non usurpare fiscalia, sed defensare tenentur, homines ad nostrum demanium pertinentes vel qui, si ab eis recepti non essent, in nostro demanio remansissent, quantolibet tempore tenuerint. Quisquis autem temerario ausu recipere aliquos tentaverit in posterum vel retinere receptos post mensem a die insinuate sanctionis istius, decem libras auri purissimi fisco nostro componat. Quod si iterato alios vel eosdem affidatos susceperit vel etiam commendatos, bona sua omnia [mobilia et immobilia] publicentur. Iterum si temeritatem eamdem reiterare tentaverit, volentes acerbius prosequi consuetudinem delinquendi,

(*a*) Graece : *Quod nemini liceat affidatos habere vel facere.*

(*b*) In graeco : *aliquo modo colorare.*

(*c*) In cod. 4625, *privilegium scriptum et qualibet alia solemnitate munitum*; quod propius graeco accedit.

puniri decernimus supplicio capitis (*a*) contemptorem, contraria consuetudine que hactenus in quibusdam locis regni nostri obtinuisse dicitur, omnino sublata.

TITULUS VIII. Ξ (60).

De probatione per instrumenta publica super questione homagii (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Si dubitatio aliqua super hominibus oriatur, quod eos Cesariani nostri ad nostrum demanium pertinere contendant; possessores autem qui feuda in civitatibus tenent vel hereditagia possident, ipsos ad feuda vel hereditagia sua asserant pertinere; hujusmodi formam volumus observari ut omnes omnino ad nostrum demanium pertinere noscantur, communi jure dominii pro nobis prima facie faciente, quos possessor per privilegia, ut nostra lex sanxit, aut per emptionalia publica et authentica instrumenta ad se non probaverit pertinere; vel quod (*c*) felicium regum tempore predecessorum nostrorum predecessoribus suis qui feudum ipsum retinuerunt juraverint (*d*), et de feudo suo retinuerint, et hodie inveniantur de feudo ipso aliquid pro certo tenere. Duo igitur sunt necessario requirenda ad hoc ut homines quos aliqui in civitatibus et castris nostri demanii tenent affidatorum vel recommendatorum jure, ad nostrum demanium nequeant vocari: videlicet quod predictis predecessorum nostrorum temporibus homines ipsos ipsi vel antecessores sui tenuerint; et quod in eisdem temporibus vel ab ipsis vel predecessoribus suis de feudo vel de hereditagio suo tenuerint aliquid, propter quod homines ipsorum merito censeantur.

(*a*) In utroque codice graeco non κεφαλικῇ ποινῇ, ut saepe alias, sed σωματικῇ, scil. *corporali*.

(*b*) Graece : *Quas probationes afferre debeant qui homagium villanorum deposcunt*.

(*c*) Addimus *quod* ex graeco, ut seipsum emendat Carcanus in notis.

(*d*) Scilicet *fidelitatem et homagium*, sicut supra lib. II, tit. XXXVI, p. 108.

Digitized by Google

TITULUS IX. ΞΑ (61).

De hominibus non tenendis ratione terre vel feudi (*a*).

IDEM AUGUSTUS.

Quia frequenter sub pretextu liciti illicitum attentatur, viam omnem et materiam fraudibus precludentes, decernimus nemini licere occasione alicujus terre vel feudi quod teneat vel recipiat a comite, barone seu milite vel persona ecclesiastica aut etiam seculari, conventione qualibet quavis juris solemnitate vallata personam propriam aliquibus servitiis obligare, et sic sub occasione hujusmodi (*b*) ad alterius commendationem seu dominium convolare; sed tantum reditus in pecunia vel rebus aliis pro eo quod receperit agnoscat. Nos etenim qui sumus domini personarum, absque nostre serenitatis assensu personas servitiis perpetuis aut conditionibus nolumus obligari.

TITULUS X. ΞΒ (62).

De hominibus baronum possidentibus terram hominis demanii (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Si quando contigerit aliquos ecclesiarum homines, comitum seu baronum aut militum, sive etiam angarii sint sive etiam villani simpliciter, aut cujuscunque conditionis esse noscantur, hereditagia vel partem eorum ab hominibus nostri demanii aut quibuslibet aliis, qui ea in terra demanii aut pertinentiis ejus possideant, comparare aut aliter acquirere, sub ea conditione emptorem habere comparanda vel comparata disponimus sub qua venditor ipse tenebat : videlicet ut proinde domino suo in nullo penitus teneatur et sine ipsius licentia et mandato ea eis vendere, donare aut qualitercunque alienare [inter vivos vel ultima voluntate] liceat

(*a*) Graece melius : *Quod nemo possit pro terra quapiam corpus suum obligare.*

(*b*) Sic in cod. 4625 et in graeco ὑπὸ τὴν τοιαύτην ἀφορμήν.

(*c*) Graece : *Quomodo possint ecclesiarum homines res comparare.*

que sine ipsius licentia (*a*) jure licito comparavit. Et si contigerit talem emptorem ab intestato decedere, hi ad successionem ejus veniant in predictis (*b*) qui alias possent ad successionem ejusdem ex descendenti vel ascendenti aut collaterali linea ab intestato venire. Quod si de predictis nullus omnino supersit, in eo quod de feudo tenet ab eo dominus feudi succedat. In hereditagiis autem defuncti quolibet jure quesitis, fiscum nostrum esse decernimus, sicut et in omnibus aliis bonis vacantibus, ultimum successorem (*c*). Prius autem quam (*d*) ad fiscum nostrum pervenerint res predicte, per nos, prout nostre majestati et sub quibus conditionibus vel reditibus et servitiis placuerit, poterunt collocari. A tenore autem hujus sacratissime sanctionis excipimus bajulos dominorum qui res ipsas administrandas susceperint, quos non prius hujusmodi acquisita alienare volumus aut quolibet modo transferre quam de administratione sua satisfaciant dominis, vel per eos steterit quominus satisfactionem recipiant requisiti.

TITULUS XIII. ΞΓ (63).

De dotario constituendo in feudis et castris.

REX GUILLELMUS.

Si quis baro vel miles uxorem duxerit et tria feuda habuerit, liceat ei in dotarium uxori sue unum de tribus feudis constituere (*e*). [Si autem pauciora habeat, secundum qualitatem et quantitatem feudorum, dotarium ei in pecunia constituere permittimus. Ceterum] si plura tribus habeat, pro portione que superius statuta est habita, dotarium ipsum constituere licebit. Comes autem vel baro qui castra tenet, de castris

(*a*) Hic quoque in cod. 4625 additur *et mandato.*

(*b*) Hic additur in cod. 4625, *parentes vel liberi.*

(*c*) Graece : *Fiscum volumus in eis succedere veluti et ultimum successorem, quemadmodum et alia bona sine suspicione remanentia.* Locus tamen valde obscurus.

(*d*) Ap. Carcani *Postquam autem.* Sic corrigimus ex cod. 4625 et ex graeco.

(*e*) In cod. 4625 additur *pro dote.*

Digitized by Google

ipsis dotarium constituere poterit, dum tamen castrum unde baronia vel comitatus nomen assumpsit (*a*), in dotarium constituere non possit.

TITULUS XIV. ΞΔ (64).

De adhibenda fidejussione dominorum seu vasallorum.

IMPERATOR FREDERICUS.

Si dominus vasallum suum qui pro eo in criminali et capitali causa fidejusserit, a fidejussione non liberaverit, ipso jure ipsius homagium amittat. Si vero in civili causa vel pro debito ipsum fidejubentem liberare non curaverit, ad omne damnum quod proinde vasallus incurrerit dominus teneatur; data licentia pignorandi vassallis dominos suos in mobilibus aut deinde in hereditagiis et ultimo in feudalibus et etiam vendendi mobilia, postquam pro dominis suis solverint, et hereditagia, postquam (*b*) per annum a die solutionis et pignorationis ea tenuerint ut ex predictorum pretio sue indemnitati provideant. Feudalia tamen capta pignori obligare non poterunt, sed ex eorum fructibus indemnitati sue similiter prospicere curabunt. E contrario si vasallus dominum pro eo in criminali causa fidejubentem liberare neglexerit, quicquid ab eo tenet amittat : in questione vero civili seu pro debito, si dominum fidejussorem suum vasallus detrectaverit expedire, data plena licentia domino pignorandi, ad omne damnum quod proinde incurrerit dominus, vasallus ejus integre teneatur.

TITULUS XV. ΞΕ (65).

De dotibus (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Licentiam baronibus et militibus impartimur posse etiam de duobus feudis dotarium constituere, et si unum tantum et dimidium habeat, [di-

(*a*) In cod. 4625 *nomen accepit vel assumit.*

(*b*) *Postquam*, sensui valde necessarium, addimus ex cod. 4625 et ex graeco.

(*c*) Graece : *De barone constituente dotarium mulieri suae.*

Digitized by Google

midium] feudum ei in dotarium constituere licebit. Ceterum si unum tantummodo, non in terra, sed in pecunia uxori sue pro qualitate feudi facultatem constituendi dotarium in posterum barones et milites sibi noverint fore permissam.

TITULUS XVI. Ξς (66).

De dotariis constituendis (a).

REX GUILLELMUS.

Mulier que dotarium habuerit in terra, post mortem viri heredem vel dominum baronie de dotario assecurare tenetur, videlicet de vita, membris et captura corporis sui, et quod non querat artem vel ingenium qualiter predictum dotarium de baronia vel comitatu subtrahatur, salvo per omnia mandato superioris domini. Filios tamen communis matrimonii mulier assecurare non tenetur. Ad submonitionem preterea domini baronie, domina que dotarium tenet [tantum] servitium curie tenetur prestare; quod si non prestiterit, ter submonita per dominum poterit dissaisiri. Injusta etiam gravamina hominibus dotarii illata, domina per dominum baronie vel feudi emendare tenetur. Homines dotarii debent assecurare dominam, salvo jure per omnia domini comitis vel baronis, similiter et comitem seu baronem assecurare tenentur, salvo jure dotarii domine supradicte.

TITULUS XVII. ΞZ (67).

De fratribus obligantibus partem feudi pro dotibus sororum.

IDEM REX.

Fratribus ob dotes sororum suarum, si mobilia vel hereditagia non habeant, sororibus suis partem feudi permittimus obligare, et si etiam tria feuda aut plura habeant, unum ex eis in dotem sorori sue dare possunt; ut tamen in omnibus supradictis, quando feudum alienatur vel

(a) Aptius in graeco : *De muliere habente dodarium in terra alicujus alterius.*

Digitized by Google

obligatur aut in dotarium constituitur, matrimonium ipsum de speciali nostra licentia contrahatur. Aliter omnes conventiones nullas vires habebunt.

TITULUS XVIII. ΞΗ (68).

De assecuratione dominorum a vasallis.

IMPERATOR FREDERICUS (*a*).

Domini a vasallis suis assecurari debent, videlicet de vita, membris et captione corporis sui et terreno honore (*b*); consilium quod eis crediderint nulli revelent, et si aliquod sinistrum de eis audierint quod per se vel per alium disturbare non possunt, eis aut aliis pro parte eorum per se vel per alios quam citius poterunt nunciare curabunt; non erunt in arte, consilio vel consensu qualiter domini terram quam habent amittant; immo eam ipsis contra omnem hominem defendere pro posse curabunt, salvo per omnia fidelitate, mandato et ordinatione nostra et heredum nostrorum.

TITULUS XIX. ΞΘ (69).

De fidejussione dominorum a vasallis.

IDEM AUGUSTUS (*c*).

Si vasallus a domino suo publice requisitus pro eo fidejubere noluerit, vel felloniam contra ipsum, filios vel uxorem commiserit, vel servitium quod ei debet ter submonitus non prestiterit, vel rationem pro eo in curia sua conquerentibus de eo quod ad dominum spectat per sententiam judicis facere noluerit, dominus potest de eo quod tenet ab ipso ipsum per exguardium dissasire.

(*a*) In cod. 4625 IDEM REX, scil. GUILLELMUS, nostra sententia minus recte.

(*b*) Graece autem : τρίτον δὲ καὶ περὶ τῆς τιμῆς αὐτῶν, *et tertio de honore ipsorum;* unde in latino perperam *terreno* scriptum conjicit Carcanus pro *tertio*. Cf. quid dicat AFFLICTUS super constit. *Mulier que*, rubrica XII hujus libri, p. 112, col. 1.

(*c*) In cod. 4625 IDEM REX, scil. GUILLELMUS, minus recte.

O (70) (*a*).

[E contrario] si dominus pro vasallo suo qui sit in curia criminaliter accusatus, de eo quod ad regiam majestatem non spectat, fidejubere non voluerit, vel ipsum sine justa causa verberaverit, vel cum uxore sua adulterium commiserit, vel filiam ejus invitam defloraverit, homagium ejus amittat, et homo predictus [immediate] ad curiam nostram pertineat.

TITULUS XX. A (1). — ΑΡΧΗ ΤΟΥ ΤΡΙΤΟΥ ΒΙΒΛΙΟΥ.

De adjutoriis exigendis ab hominibus.

REX GUILLELMUS.

Quamplurium regni nostri fidelium ad nos querela pervenit quod prelati ecclesiarum, comites, barones et milites in necessitatibus suis pro sue voluntatis arbitrio ab hominibus suis adjutoria exigunt et extorquent. Volentes igitur tam dure subjectorum nostrorum oppressioni misericorditer providere, statuimus dominos nonnisi in subscriptis casibus tantum ab hominibus eorum adjutorium petere : videlicet in redimenda persona domini, si forte ab inimicis nostris in servitio nostro captus fuerit; pro faciendo filio milite; pro maritanda filia vel sorore; pro emenda terra, videlicet una tantum vice cum eam emerit pro servitio nostro vel exercitus nostri, moderate tamen in his que pro nostro corredo dantur. De prelatis tamen ecclesiarum statuimus ut in his tantum casibus ab hominibus suis adjutorium petant : videlicet pro consecratione sua; cum ad concilium a domino papa fuerint vocati; pro servitio exercitus nostri, si quidem in exercitu nostro fuerint; vel si vocemus eos vel miserimus eos pro servitiis nostris; vel pro corredo nostro, cum in terris eorum nos hospitari vel corredum ab eis recipere contigerit; in omnibus predictis casibus moderate tamen domini ab eis adjutorium exigant et requirant.

(*a*) Nunc adest in graeco novi tituli rubrica, ut sequitur : ***In quibus casibus domini amittant homagium villanorum*** (sic) ***suorum.***

Digitized by Google

TITULUS XXI. B (2).

De adjutoriis pro militia fratris (a).

IMPERATOR FREDERICUS.

Comitibus, baronibus ac universis militibus regni nostri qui feuda tenent, concedimus facultatem pro militia fratris, cum comes vel baro aut miles suis expensis militem fecerit, ab hominibus suis adjutorium exigere moderatum pro facultatibus hominum et expensarum etiam quantitate; tamen pro faciendo fratre milite non minus quam pro sororibus maritandis, occasione eorum que a communi patre frater major habere dignoscitur, ex debito teneatur (*b*). Et licet frater minor a familia fratris, fratre etiam contradicente, discesserit, dum forte ad mobilium (*c*) et fortune melioris compendium aspirat, rediens tamen quolibet tempore militiam sibi debitam absque alicujus repulse timore de bonis patris a fratre majore petere poterit et habere (1).

(*a*) Graece : *De fratre baronis petentis militiam a fratre majore.*

(*b*) Graece brevius, sed obscurius : *quam pro maritandis eorum sororibus, quas tenetur frater major ex his quas habet rebus maritare.*

(*c*) Addimus *mobilium* ex cod. 4625 et ex graeco.

---

(1) Quomodo etiam pro militia filii patrem adjutorium dare renuentem compellendum esse jusserit Fridericus, comperimus ex quodam mandato quod extat tum ap. MARTENE et DURAND, *Ampliss. coll.*, t. II, p. 1205, tum inter *Epist. Petr. de Vineis*, lib. V, cap. V. Nunc collatum damus ex impressis et ex variis bibliothecae Parisiensis codicibus : « Fridericus, etc., justiciario » Aprutii, etc. Olim ad supplicationem Ray. Trogisii fidelis nostri Petro de Sico (*alias* Thome » de Cyra), tunc justiciario ipsarum partium, predecessori tuo, per litteras nostras injunximus ut » quia R. pater ejus [qui in nostris servitiis extitit fructuosus], quem in ejusdem filii sui com- » moda naturalis affectio seu paterna caritas merito non invitat ut debet, sibi dudum in re- » ceptione cinguli militaris quam ejus debuerat provenire subventio, lentus aut rigidus in » aliquo non providit, idem justiciarius a vasallis prefati R., *juxta constitutionem regni nostri*, » supplicanti prefato subventionem fieri faceret congruentem. Cumque, sicut eo nuper refe- » rente comperimus, dictum mandatum nostrum effectu debito caruisset, fidelitati tue preci- » piendo mandamus quatenus juxta tenorem nostrarum litterarum, quas super hoc eidem » justiciario predecessori tuo direximus, predictum mandatum nostrum celeriter et efficaciter

TITULUS XXII. Γ (3).

De matrimoniis contrahendis.

REX ROGERIUS.

Sancimus lege presenti volentibus omnibus contrahere matrimonium necessitatem imponi universis hominibus regni nostri et nobilibus maxime post sponsalia celebrata, solemnitate debita et sacerdotali benedictione premissis, matrimonium solemniter et publice celebrari. Alioquin noverint amodo morientes contra nostrum regale edictum neque ex testamento neque ab intestato se habituros heredes legitimos, ex clandestino et illicito contra nostram sanctionem matrimonio procreatos; mulieres etiam dotes aliis nubentibus legitime debitas non habere (*a*). Rigorem cujus sanctionis omnibus illis remittimus qui promulgationis hujus tempore jam matrimonium contraxerunt. Viduis etiam volentibus ducere virum hujus necessitatis vinculum relaxamus.

TITULUS XXIII. Δ (4).

De uxore non ducenda sine permissione curie (*b*).

IMPERATOR FREDERICUS

Honorem nostri diadematis debitum conservantes, presenti constitutione

(*a*) Graece aliter sonant : *mulieres autem aliis legitime nubentes suam dotem habere volumus.* Sensum vero latini multo praeponimus, dum significet *mulieres quae non solemniter et publice contrahunt, non eodem frui debere privilegio quo gaudent aliae legitime nubentes.*

(*b*) Graece : *Quod non praesumat baro accipere uxorem neque maritare filias vel sorores sine licentia curiae.*

» exequaris. » Rainaldus Trogisius, de quo hic mentio fit, commemoratur in *Regesto* cum titulo *valletti curiae*. Adest autem alterum ejusdem mandati exemplar pro alio milite scriptum, in cod. 8390 cl. viri Thom. Phillips ap. Middlehill et in cod. Guelferbit. *Aug.* 13, 4, ubi legitur : « Fridericus, etc., justiciario Terre Laboris, etc. Olim ad supplicationem Riccar- » delli de Castro in Monte, fidelis nostri, Petro de Senis tunc justiciario, etc., ut quia Bernhar- » dus pater ejus, etc., a vasallis prefati B., etc., *ut supra.* »

Digitized by Google

sancimus (*a*) ut nullus comes, baro vel miles vel quilibet alius qui baronias, castra vel feuda [in capite] a nobis teneat vel ab alio, que in quaternionibus dohane nostre (*b*) inveniuntur in scriptis, sine permissione nostra uxorem ducere audeat, maritare filias, sorores aut neptes [vel quaslibet alias], quas ipsi possint aut debeant maritare, aut filios uxorare cum immobilibus aut mobilibus, huic legi consuetudine que in aliquibus regni partibus obtinuisse dicitur non obstante.

TITULUS XXIV. E (5).

De successione nobilium in feudis (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Comite vel barone viam universe carnis ingresso, filii eorumdem aut nepotes eorum recipere ab hominibus sacramenta non audeant, nisi prius de sacramentis ipsis recipiendis ab excellentia nostra, prout moris est, obtentis licentia et mandato. Quod qui contra fecerit, tam baroniam predictam et feudum quam reliqua bona sua tam mobilia quam stabilia noverit publicanda.

TITULUS XXV. ς (6).

De morte baronis nuncianda imperatori (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Post mortem baronis seu militis qui a comite vel barone alio baroniam aliquam vel feudum tenuerit, que in quaternionibus dohane nostre inveniuntur in scriptis, defuncti mortem per comitem vel baronem a quo predicta tenuerit excellentie nostre volumus nunciari, et quid et quantum sit

(*a*) In cod. 4625 additur : *ubique per regnum.*

(*b*) In cod. 4625 *doane nostre baronum;* quod optime cum graeco quadrat, et iterum in tit. XXV.

(*c*) Graece : *Quod filii comitum et baronum a suis hominibus sacramenta non exigant sine licentia curiae.*

(*d*) Graece : *Quod mors baronis aut militis curiae nunciari debeat ab eo a quo feudum tenebat.*

illud quod defunctus ab ipso tenebat. Mobilia etiam decedentis scribi volumus seriatim, et ea omnia in publica documenta redacta ad nostram curiam destinari jubemus, ut ex jussione nostra quibus predicta assignari debeant injungatur. Baroniam etiam sive feudum (*a*) quod ad concessionem munificentie nostre spectat, si quando a nobis concedi contigerit, ut est moris, litteras nostras ad eum a quo feudum tenetur curabimus destinare, et quod id quod tenetur ab eo, sive sit castrum sive sit terra plana, ei cui nos concesserimus debeat assignare. Recepto autem mandato nostro et nulla mora protracta, comes vel baro illud exequi procurabit; suscepto verumtamen aliquo relevio, ut est moris, quod quantitatem decem unciarum auri non excedat pro assignanda possessione terre concesse.

TITULUS XXVI. Z (7).

De successione filiorum comitum et baronum.

IDEM AUGUSTUS.

In aliquibus regni nostri partibus consuetudinem pravam audivimus hactenus obtinuisse, quod in bonis comitis, baronis vel militis qui decesserit filiis masculis non relictis, filie non succedunt, sed consanguinei [quantumcumque remoti] masculini sexus (*b*) tam balium pupillarum ipsarum post mortem patris accipiunt quam successionem usurpant, et ipsas pro ipsorum dispositione maritant : quod quidem [et nature] dignoscitur esse contrarium [que parentum votis absque discretione sexus tam masculos quam feminas commendavit], et juri tam communi quam nostro [specialiter] derogatur. Hac igitur lege nostra per universas partes et singulas regni nostri valitura sancimus, patre mortuo tam filios quam filias puberes aut majores minoresve ad parentum successionem absque sexus discretione vocari. Si autem filii masculi una cum filiabus [feminis] aut etiam sororibus patri decedenti supersint, cujuscumque conditionis pater fuerit, francus videlicet aut etiam longobardus, miles vel burgensis, in succes-

(*a*) In graeco additur : *quod defunctus tenebat ab ipso.*

(*b*) Graece : *sed consanguinei descendentes ex mascula linea.*

Digitized by Google

sione bonorum preferri volumus masculos feminis, dum tamen sorores aut amitas [fratres aut nepotes] pro modo facultatum suarum et filiorum (*a*) superstitum numero secundum paragium debeant maritare. Ceterum si tantum femine [superstites] fuerint, ipsas si majores sint, exclusis aliis consanguineis, volumus ad successionem admitti; si vero minores filie comitum, baronum aut militum superstites fuerint, ipsarum balium nostra excellentia recipiat (1), ipsum vel sibi tenendum vel alii qui ex fide illud gerere debeat juxta approbatam regni consuetudinem concedendum; ac deinde ipsas, cum ad nubilem etatem pervenerint et balium nostrum vel alterius, superveniente quinto decimo anno, excesserint (*b*), de provisione mansuetudinis nostre Deum habentes pre oculis, cum bonis omnibus que patris fuerunt secundum paragium curabimus maritare.

(*a*) Graece *fratrum*; quod rectius videtur.

(*b*) Graece sic concipitur : *ad nubilem aetatem pervenientes et deponentes nostrum balium vel alterius, expletis viginti quinque annis.* Unde latinum, Carcano ipso se emendante, corrigimus ad nitidiorem sensum, nisi quod *viginti quinque*, εἴκοσι καὶ πέντε, mendosum arbitramur. Pejus etiam in cod. 4625 *XXXV*^tum^ *annum.*

---

(1) Qualiter in quibusdam casibus ab hac juris norma Fridericus ipse diverterit, comperimus ex mandato edito in *Epist. Petr. de Vin.*, lib. V, cap. CXXXI. Contulimus cum codicibus Bibl. Paris., *anc. fonds lat.*, n^is^ 8626 et 8628, quorum auxilio, licet rubrica mendosa sit, epistolam ad suum sensum revocamus : « Fridericus, etc., secreto Sicilie, etc. Fidelium » nostrorum eterna memoria nostro recondita pectore, quamquam natura suum officium exe- » quente, per solutionem debiti carnis ab obsequiis devotionis nostre quiescat, ex fonte » tamen nostre ac innate clementie liquidum favoris rivulum quem pater ex gratia meruit, » humana et benigna compassione percipimus derivari misericorditer ad heredes. Sicque in » perpetuum apparent vivere, dum in Domino mors eorum et merita in hominibus reponantur. » Ut autem noveris fidem Johannis Turdi de Messana, fidelis nostri, in beneplacitis nostris » ex opere claruisse, cujus obitum nobis displicuisse reserare dignamur ex meritis que in eo » vivente comprehendimus, dum ex fide memorialiter vivit in nobis; volumus et presentium » tibi tenore mandamus quatenus de balio filie et heredis Johannis predicti te nullatenus » intromittens, ipsum per R. fratrem ejus, fidelem nostrum, *constitutione nostra super hoc* » *edita non obstante*, de speciali gratia nostra geri et procurari permittas; predictis fratri et » heredibus suis, fidelibus nostris, in eorum juribus, personis et rebus ob defectum ejusdem » Johannis injuriam vel gravamen inferri aliquatenus non passurus; immo in omnibus quibus » honoris nostri zelus et fides prefatos defendi et manuteneri voluerit, eis studeas ob nostre » reverentiam majestatis adesse. »

TITULUS XXVII. H (8).

De successione nobilium in feudis.

IDEM AUGUSTUS.

Ut de successionibus comitum et baronum et eorum omnium qui feuda a nobis in capite tenent [vel ab aliis etiam], nulla omnino [regulariter in posterum] dubietas possit oriri, dilucida constitutione sancimus [feuda tenentibus] filios et nepotes et ex eis pronepotes, trinepotes et usque in infinitum ex descendenti linea descendentes, cujuscunque sexus sint, libere et absolute posse succedere; servata tamen sexus prerogativa, ut mulieri masculus preferatur, necnon majoris etatis inter eos qui vivunt [in regno] speciali (*a*) jure Francorum. Ex collaterali linea venientes, ut fratres sive ex utroque parente sive ex altero tantum, et sorores in capillo, excluso etiam communi patre superstite (*b*), omnino succedunt; conjugate autem et dotate a fratrum successionibus repelluntur. Filii autem fratrum in iis que communis patris fuerunt, avi eorum scilicet, idem jus quod pater eorum habeant. In acquisitis autem patruo ex largitione nostra vel quolibet titulo, jure suo nepotes ex fratribus non succedunt. In ulteriori autem gradu positis, scilicet filiis nepotum ex fratribus et sequentibus, in iis etiam que communis proavi (*c*) fuerunt successio non defertur. Filie autem in capillo, post mortem patris in domo manentes, majores sorores conjugatas et dotatas de bonis patris excludunt. Ceterum si de bonis paternis dotate non sunt, majores minoribus preferuntur si Francorum jure vivant. Si autem vivant jure Longobardo, collatis dotibus in viriles partes successione divisa, portionem suam [conjugata seu] conjugate (*d*) [quecumque sint] poterunt vendicare. In omnibus

(*a*) Sic ex graeco et cod. 4525 pro *specialiter*.

(*b*) In utroque tamen graeco codice secus : *fratres. . . . et sorores in capillis communi patri succedant.*

(*c*) In cod. 4625 *fratris*, male.

(*d*) Melius in graeco *conjugatae seu dotatae*.

Digitized by Google

autem in quibus prediximus aliquos velut ulteriori gradu sive in communium predecessorum rebus sive in acquisitis excludi debere', spem nostre gratie petentibus (*a*) non negamus; imo ipsos aliis in liberalitate nostra preferre disponimus, si ejusdem feudi ad nos rationabiliter devoluti simul competitores existant, dummodo a consanguineis tantum nostre curie offeratur quantum ab extraneo est oblatum. Si tamen nos vel in demanio nostro feuda ipsa tenere velimus vel aliis ex mera liberalitate donare, injuriam nullus sibi fieri existimet, si quod ad jus nostrum juste devolvitur, vel retineamus nobis vel aliis qui a nobis prestolantur beneficia, conferamus.

TITULUS XXX. Θ (9).

De jure balii (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Minoribus qui etatis sue suffragio juvari non possunt imperialiter providentes, statuimus si quando balium impuberum masculorum aut feminarum gerendum alicui serenitas nostra concesserit, ii qui balium gesserint pupillorum, postquam balium ipsum pubertate superveniente dimiserint, de administratione balii reddere debeant rationem, presente justitiario regionum aut alio cui hoc specialiter duxerimus delegandum; ita videlicet quod, deducto eo quod [curia] pro ipso balio, prout moris est, dederit, necnon deductis justis et moderatis expensis quas pro victu et vestitu suo et quas in persona aut rebus pueri vel pro servitio debito curie nostre, de iis que minor tenet, ipsum balium fecisse constabit, reliqua pupillo integre reddere teneatur. Quod si fraudulenter eum res minoris administrasse fuerit manifesto comprobatum, omne damnum quodcunque per fraudem ipsam pupillo contigerit, eidem de rebus suis resarcire cogatur, et tantumdem sacris nostris largitionibus inferre; prava consuetudine que hactenus balios a ratiociniis eximebat, in posterum quiescente.

(*a*) In graeco τοῖς πλησιεστέρους, *proximioribus*.

(*b*) Graece : *Quod bajulus reddat rationem adolescentibus causa administrationis.*

TITULUS XXXI. I (10).

De administrationibus rerum ecclesiasticarum post mortem prelatorum (*a*).

REX GUILLELMUS (*b*).

Pervenit ad audientiam nostram quod bajuli qui olim statuti fuerant super ecclesiis pastoribus carentibus, ad custodiendas et salvas faciendas res ecclesiarum, quamdiu eisdem de pastoribus provideatur, non ita fideliter et studiose sicut a nostra curia erat injunctum, ipsum servitium peragebant, sed male tractabant [et custodiebant res ipsarum ecclesiarum.] Verum quia omnes ecclesias regni nostri et specialiter ipsas que pastoribus carent in manu et protectione nostra habemus, nolentes ut res ecclesiarum illarum in aliquo minuantur [vel defraudentur, statuimus et] sancimus ut deinceps si quis archiepiscopus vel episcopus regni decesserit, res ipsius ecclesie in custodia et cura trium de melioribus et fidelioribus necnon et sapientioribus personis ipsius ecclesie ad custodiendas et conservandas eas ad opus ecclesie usque dum de pastore [in eadem ecclesia] provideatur, committantur; tantummodo de reditibus et proventibus ipsius ecclesie ad usum servientium ibidem morantium necessaria rationabiliter et sufficienter ministrentur; ex eis ipsi ecclesie multum bene et rationabiliter serviatur; residuum ab ipsis custodibus ad opus ipsius ecclesie salve et integre custodiatur, donec ibi pastor fuerit constitutus. Constituto autem in ecclesia pastore, quicquid de rebus et introitibus ipsius ecclesie remanserit, ipsi pastori eorum assignent et ei rationem inde reddant.

(*a*) Graece : *De curatoribus ecclesiarum quae viduantur pastore.*

(*b*) Ita quoque in cod. 4625. Editiones vero Sugan., Lindebr., Venet., Lugd. habent REX ROGERIUS.

Digitized by Google

TITULUS XXXII. IA (11).

De novis edificiis (a).

IMPERATOR FREDERICUS.

Castra, munitiones et turres ab obitu dive memorie regis Guilelmi [consobrini nostri] erecta, super quibus minime diruendis majestatis nostre licentia non precesserit, prout in Capuana curia per nos extitit stabilitum (1), renovata (*b*) constitutione nostra denuo dirui debere mandamus; publicationis pena [ipsius castri vel novi edificii] constitutionis nostre contemptoribus imminente, si usque ad Nativitatem Domini proximam diruere edificia (*c*) contemnant. Illud etiam presenti adjungimus sanctioni ut nec munitiones alicui reficere dirutas liceat sine nostri culminis jussione.

TITULUS XXXIII. IB (12).

De prohibita in terra demanii constructione castrorum.

IDEM AUGUSTUS (*d*).

In locis demanii nostri edificia erigi in posterum prohibemus, per que [ipsorum locorum defensio vel munimen aut] liber introitus aut exitus valeat impediri. In predictis locis turres erigi amodo per privatos expressius inhibemus. Munitiones etenim nostras [et, quod est securius, protectionis nostre munimen] omnibus regni nostri fidelibus plene sufficere credimus ad tutelam.

(*a*) Graece : *De diruendis castris et turribus post mortem Gulielmi regis excitatis.*

(*b*) Sic corrigimus ex cod. 4625, pro *revocata* quod sensum turbat. Graece τῇ νέᾳ διατάξει.

(*c*) Cod. 4625 *edificata.*

(*d*) Ita quoque in cod. 4625. Sed ap. Sugan. et Lindebr. REX ROGERIUS.

(1) Cf. supra, tom. II, p. 91 et not. 1, n° 2.

Digitized by Google

TITULUS XXXIV. IΓ (13).

De servis et ancillis fugitivis.

REX GUILLELMUS.

Servos et ancillas omnes fugitivos ab aliquo capi generaliter omnibus prohibemus, nisi captos quam citius potuerint domino suo restituant, vel si dominum ignoraverint, bajulis curie nostre assignent; et bajuli magne curie nostre transmittant eosdem; scituri quod quicumque amodo aliquo modo servum aliquem vel ancillam fugitivam capere vel quomodolibet detinere presumpserit, ipse cum omnibus bonis suis pene curie subjacebit; bajulis, nisi magne curie nostre transmiserint, eamdem penam laturis.

TITULUS XXXV. IΔ (14).

De pecunia inventa in rebus alienis.

IDEM REX.

Pecuniam si quis invenerit, aurum vel argentum, lapides pretiosos vel quaslibet res alias que sue non sint, [animalibus exceptis de quibus fiat sicut preordinatum est (1), inventor] justitiariis nostris vel bajulis ipsarum partium statim ostendat, et sine dilatione ipsemet ad magnam nostram curiam deferat et assignet; alioquin et ipse furti pena tenebitur. Scire etenim debet unusquisque inventiones omnes regni nostri quarum dominus non apparuerit, ad fiscum specialiter pertinere. Pietas enim nostra propter absentes misericorditer statuit res ipsas, postquam ad manus nostre curie pervenerint, usque ad annum completum per se conservare, ut si quis forte infra annum venerit et de rebus ipsis aliquas suas fore probaverit, quod suum fuerit consequatur; alioquin, post transactum annum fiscalibus utilitatibus ascribantur.

(1) Constitutio tamen de animalibus inventis non nisi sub titulo LIV hujus libri concipitur. Unde marginalem notam in textum inepte irrepsisse credimus. Quae additio in cod. 4625 omnino deest.

Digitized by Google

TITULUS XXXVI. IE (15).

De mancipiis fugitivis (*a*).

IMPERATOR FREDERICUS.

Mancipia fugitiva, que constitutio regia per bajulos ad magnam curiam nostram debere transmitti constituit, nec quid de eis fieri debebat statuit (*b*), per annum precipimus dominorum commodis reservari : ut si infra annum is qui se legitimis documentis dominum probare potuerit appareat, supradicta mancipia ei restitui debere censemus, salvo jure quod ex [obtenta] veteri consuetudine perinde curie nostre debetur; alias si domini non appareant, privatis nostris utilitatibus aggregentur (*c*). Statuimus etiam ut inventas res et pecunias, quarum veri et legitimi domini non apparent et quas per inventores earum constitutio regia ad magnam curiam debere deferri prescripsit, locorum bajulis sufficiat assignari. Nec enim equum vidimus ut is qui zelo fidei quo tenetur, curie totum quod invenit assignat, propter fidem suam incommodum sentiat, ut cogatur invitus ad curiam remotam multis locorum distantiis forsitan laborare. Quicunque autem res inventas hujusmodi bajulis nostris non assignaverint, et bajuli etiam nostri qui assignatas [ad curiam nostram] non miserint, furti pena [nostro erario inferenda pro certo] noverint se fore damnandos.

TITULUS XXXVII. Iς (16).

De prescriptionibus.

IDEM AUGUSTUS.

Duram consuetudinem et iniquam que circa prescriptiones in aliquibus regni nostri partibus obtinebat, in posterum silere precipimus, et presentem legem circa ipsas inducimus, omnibus aliis ipsi contrariis inter regni

(*a*) Graece : *Quid agi debeat circa fugitivos servos et res inventas.*
(*b*) In cod. 4625 *debeat stabilivit.*
(*c*) In cod. 4625 *applicentur.*

nostri fideles omnino sublatis. Sancimus igitur prescriptionem anni, mensis, diei et hore, per quam aliquis de dominio rei sue cadebat et francus de dissasina queri non poterat, penitus amoveri; sed generales prescriptiones communis juris locum habere, scilicet inter presentes decennii, inter absentes vicennii, precedente scilicet titulo et bona fide ex utraque parte undique concurrente. Per tricennalem etiam prescriptionem inter privatos, excepta hypothecaria actione cujus vita interdum in annos quadraginta protenditur, omne jus et omnem actionem volumus submoveri. Quadragenaria (*a*) etiam prescriptione inter fratres lege Longobardorum inducta super adequatione stantium partium minime facienda et super rebus quas alter ex fratribus tempore predicte possessionis (*b*) aliunde habere se jurat, in suo robore duratura, [et ad omnes regni nostri fideles per presentem constitutionem nostri culminis prorogata; usucapionibus que in rebus mobilibus juris communis inducte sunt, in sua firmitate servatis].

TITULUS XXXVIII. IZ (17).

De rei actione et exceptione (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Consuetudinem hactenus in judiciis obtinentem de medio tollere disponentes, per quam feuda quamvis magna temporum longinquitate possessa prescribi non (*d*) poterant, et sic possessio possessori vel etiam petitori ad probandum de dominio rerum quas forsitan [ipsi et] antecessores sui a tempore cujus memoria aliquando non extabat, possederant, in nullo valebat; precipimus eum qui in posterum triginta annis feudum integrum vel quotam partem feudi, de quo certum et designatum servitium nostre curie vel cuilibet alii debeatur, continue et sine interruptione civilis vel

(*a*) In utroque graeco rursus *tricennali*. Sed inferius, tit. seq., de tricennali prescriptione sermo habetur.

(*b*) In graeco autem παραγραφῆς, *praescriptionis*.

(*c*) Graece : *Quomodo feuda per possessionem ad tempus retineantur.*

(*d*) *Non* deest in cod. graeco Parisiensi, sed adest in Barberino et etiam in latino 4625.

Digitized by Google

naturalis temporis vel minoris etatis adversarii, presente etiam in regno adversario suo, possederit, in perpetuum fore securum, et actionem ei contra quemlibet possessorem si a possessione ceciderit et exceptionem contra petentem quemlibet indulgemus. Quod etiam ad illos porrigimus qui usque ad hec tempora triginta annis preteritis tenuerint, in quibus etsi non plene justitiam potuerunt (*a*) consequi conquerentes, in hoc saltem de evidenti desidia excusari non possint quod interruptionem prescriptionis apud eos qui a nobis administrationem habebant, per conventionem legitimam aut contestationem litis, prout veteribus legibus est indultum (*b*), inducere potuerunt. Predicta autem omnia ita sane accipi volumus ut tricennalis prescriptio in feudis integris et eorum quotis partibus locum habeat, ex quibus prescriptis nullum potest reipublice prejudicium irrogari, cum apud quemcunque resideat servitium designatum et debitum, quod non tam persone quam rei ipsi adscriptum esse dignoscitur, minime amitti (*c*) poterit vel in aliquo minorari. Ceterum si super aliquo predio vel prediis ad feudum seu partem feudi certam pertinentibus, que velut libera a servitiis vel qualitercunque aliter quis prescribat, de quibus nullum est certum servitium pretaxatum, prescriptionem quanticunque temporis in nullo prodesse sibi censemus; cum iis de feudo subtractis, de necessitate per consequens ipsum servitium minoretur.

TITULUS XXXIX. IH (18).

De prorogatione prescriptionis.

IDEM AUGUSTUS.

Quadragenalem prescriptionem et sexagenariam que contra fiscum in publicis hactenus competebat, usque ad centum annorum spatium prorogamus; minoribus prescriptionibus adversus fiscum inductis, quadriennii scilicet in rebus donatis a nobis et triennii a sententiis contra nos latis, in suo robore duraturis.

(*a*) Alias autem *poterunt*.

(*b*) Ita in graeco et in cod. 4625 pro *inductum*.

(*c*) In graeco αὐξηθῆναι, *augeri;* quod omnino suspectum.

TITULUS XL. IΘ (19).

De injuriis curialibus personis seu quibuslibet aliis irrogatis.

REX ROGERIUS.

Observent diligentissime judices ut in accusatione injuriarum curialium personarum dignitatem considerent; et juxta personarum qualitatem, eorum quibus fuerit facta injuria et eorum qui faciunt, et quando et ubi hujusmodi temeritates presumuntur, sententiam ferant. Ipsis autem facta injuria non ipsis duntaxat, sed etiam ad regie dignitatis spectat offensam.

TITULUS XLI. K (20).

De repulsa officialium et pena pro eorum excessibus constituta (*a*).

IMPERATOR FREDERICUS.

Eos tantum officiales nostros officialium de illatis ipsis injuriis volumus prerogativa letari, qui officium exercendo commissum injurias aliquas patiuntur, non qui inimicitiarum suarum vindictas vel sua privata negotia pertractando, dum aliquos subjectos nostros indebite persequuntur, ipsorum exigente nequitia a fidelibus nostris injuriam patiuntur. Interdum vero nedum officiales hujusmodi in casu presenti prerogativa officii gaudere nolumus, imo tanto ipsorum excessus velamento administrationis nostre commissos prosequi desideramus instantius, quanto in grave dispendium subjectorum et nostre majestatis injuriam ipsorum dissimulata facinora, qui nostram effigiem representant, reduci valeant et experimento visibili nos ipsi persensimus jam reducta. Eos itaque qui occasione officiorum quorumlibet [ipsis ab ordinatis nostris vel a nostra munificentia commissorum], aliquid per injuriam a fidelibus nostris abstulerint, quibus diu forsitan ante susceptum officium depre-

(*a*) Graece fusius, sed minus juste : *Quandonam officiales injuria affecti officii praerogativa laetentur, et de poena injuriam alicui inferentium.*

Digitized by Google

dationis (*a*) insidias prepararunt, eo quod acceperint primitus integre restituto passis injuriam, in quadruplum damnandos esse sancimus. Quod si aliter ipsos afflixerint, eos forte injuriis propulsando, tertie partis bonorum omnium publicatione damnandos esse censemus; et in utroque casu nihilominus cum perpetua infamia ab officio illos [qui sic officiis abutuntur] decernimus amovendos; ita quod nullo unquam tempore ad nostrarum administrationum officia a nobis vel a nostris ministerialibus (*b*) admittantur.

TITULUS XLII. KA (21).

De consideratione injurie, temporis et persone.

IDEM AUGUSTUS.

Varietates penarum super compositionibus injuriarum secundum diversas hominum conditiones ad unitatem juris communis providimus reducendas, legibus et consuetudinibus que super hujusmodi conditionibus hactenus obtinebant omnino sublatis. Statuimus igitur providentiam juris communis in omnibus observari debere, videlicet ut circa passos injuriam habeatur discretio personarum que injuriam inferunt et que injuriam patiuntur, si sint publice vel private et in qua dignitatis specula (*c*) constitute. Temporis etiam commisse injurie consideratio est habenda, nec minus in quo loco, quibus presentibus, an in judicio vel extra judicium injuria sit commissa. Illam etiam loci considerationem jubemus habendam in qua parte corporis is qui injuriam patitur, injuriam patiatur. Et sic omnibus diligenter attentis et singulariter et juste pensatis, is qui in judicio presidet sententiam ferre (*d*) debebit; videlicet a passo injuriam cum taxatione precedente sacramento recepto quod tantum voluisset de suo proprio amisisse potius quam injuriam sustinere voluisset illatam, et

(*a*) In cod. 4625 *dampnationis*, sed in graeco ἁρπαγῆς.

(*b*) Ap. Carcanum *administratoribus*. Corrigimus ex cod. 4625. In graeco *officialibus*.

(*c*) Emendamus *specula* pro *speculo*, ex graeco ἐν ποιῷ ὑψέι, *in quo culmine*.

(*d*) Cod. 4625 *formare*.

in eo quod actor (*a*) predicto modo juraverit condemnatio subsequatur; appellationis remedio actori qui in taxatione a judice forsitan gravatus extiterit et reo qui in quantitate taxationis sententia comprehensa se senserit fore gravatum, a definitiva sententia ad superiores judices non negando. Illud etiam nostre providentissime sanctioni duximus inserendum quod in quibusdam regni nostri provinciis correctione etiam necessaria indigebat, quod passus injuriam nullam omnino partem compositionis habebat, sed totum fisco nostro vel ei cujus erat curia querebatur. Quod corrigentes decernimus injuriam passum ubique per regnum ejus quod in condemnatione devenerit, sive per sacramentum sive per taxationem (*b*) judicis, sive per penas certas legibus comprehensas, tertiam partem omnino habere debere, reliquis duabus partibus domino facientis injuriam, cujus est jurisdictio, relinquendis. Indignum namque fore credimus passum injuriam in recompensationem doloris nullam sibi partem compositionis accipere, que per eum aliis est quesita, sed tantum illatis injuriis aut conviciis esse contentum (*c*).

TITULUS XLIII. KB (22).

De injuriis nobilium personarum (*d*).

IDEM AUGUSTUS.

Ut dignitatum gradus ex hominum qualitate (*e*) in injuriis apertius distinguantur, statuimus burgensem seu rusticum qui militem verberaverit, nisi probabitur quod se defendendo hoc fecerit, percutientis (*f*) manus detruncatione puniri (1); eadem pena vallecto imminente qui

(*a*) In cod. 4625 *quod si actor*, sed in graeco *et in ea quantitate in qua actor*.
(*b*) Cod. 4625 : *sive per sacramentum suum et taxationem*.
(*c*) Cod. 4625 : *nec tamen illatis. . . . volumus esse contentum*.
(*d*) Graece : *De burgensi offendente militem vel alium nobilem*.
(*e*) In cod. 4625 et in graeco *et hominum qualitates*.
(*f*) Addimus *percutientis* ex cod. 4625 et ex graeco.

(1) Cf. supra lib. I, tit. XIII et not. 1, p. 16.

Digitized by Google

militem nobilioris gradus verberare tentaverit. Ceterum si eque nobilem verberare tentaverit, honore militie ipsum in perpetuum volumus esse privatum, et ut nobilium judiciis non intersit et quod per annum debeat esse extra regnum. Si vero minus nobilem verberare tentaverit, eadem pena [privationis militie et judiciorum scilicet] teneatur. Equum est enim eum militie decore privari qui militiam, dignitatis cujuslibet fundamentum, pudicitie nescius et pudoris ignarus dedecorare tentaverit. Denique si miles militem verberaverit, extra regnum spatio annali proscriptum injurias inferentem armorum et equorum suorum omnium amissione mulctandum esse jubemus. [Ceterum si burgensem aut rusticum, qui vasallus suus non sit, verberaverit miles, consideratis a judicibus singulis que in estimatione injuriarum consideranda esse prediximus, taxatione judicis et sacramento injuriam passi precedentibus, pro qualitate injurie reum puniendum esse censemus.]

TITULUS LXIV (1).

De probabili experientia medicorum.

REX ROGERIUS.

Quisquis amodo mederi voluerit, officialibus nostris et judicibus se presentet, eorum discutiendus judicio; quod si sua temeritate presumpserit, carceri constringatur, bonis suis omnibus publicatis. Hoc enim prospectum est ne in regno nostro subjecti periclitentur ex imperitia medicorum.

---

(1) Hunc titulum, licet in graeco codice desit, nunc inserimus, quum ex omnibus editis regi Rogerio adscribatur et etiam in cod. 4625 sub ejusdem nomine contineatur. Ordo tamen non bene servatur, dum constitutio *Utilitati* quae juste sequitur, constitutionem *Quisquis* in codice antecedat.

TITULUS LXV. ΚΓ (23) (1).

Ut nullus audeat practicare, nisi in conventu publice magistrorum Salerni sit comprobatus (*a*).

IMPERATOR FREDERICUS.

Utilitati speciali prospicimus cum communi saluti fidelium providemus. Attendentes igitur grave dispendium et irrecuperabile damnum quod posset contingere ex imperitia medicorum, jubemus in posterum nullum medici titulum pretendentem audere practicare aliter vel mederi, nisi Salerni (*b*) primitus in conventu publico magistrorum judicio comprobatus, cum testimonialibus literis de fide et sufficienti scientia tam magistrorum quam ordinatorum nostrorum, ad presentiam nostram vel, nobis a regno absentibus, ad illius presentiam qui vice nostra in regno remanserit, [ordinatus accedat] et a nobis vel ab eo medendi licentiam consequatur (2); pena publicationis bonorum et annalis carceris imminente iis qui contra hoc nostre serenitatis edictum in posterum ausi fuerint practicare.

(*a*) Graece simpliciter : *De medicis.*

(*b*) In cod. 4625 *nisi saltem.* In cod. graeco deest *Salerni.*

---

(1) Titulus iste et sequens adsunt inter eos quos Riccardus de S. Germano excerpsit. Cf. GATTOLA, *Access. ad hist. Cassin.*, t. IV, p. 804.

(2) Hujus licentiae formam exhibemus ad exemplum, ex *Petri de Vin. Epist.*, lib. VI, cap. XIIII : « Notum facimus fidelitati vestre, quod fidelis noster N. ad curiam nostram » accedens, examinatus, inventus fidelis et de genere fidelium ortus, et sufficiens ad artem » medicine exercendam, extitit per nostram curiam approbatus. Propter quod de ipsius pru» dentia et legalitate confisi, recepto ab eo in curia nostra fidelitatis sacramento, et de arte » ipsa fideliter exercenda juxta consuetudinem juramento, dedimus ei licentiam exercendi » artem medicine in partibus ipsis : ut amodo artem ipsam ad honorem et fidelitatem nos» tram, et salutem eorum qui indigent, fideliter ibi debeat exercere. Quocirca fidelitati vestre » precipiendo mandamus, quatenus nullus sit, qui predictum N. fidelem nostrum super » arte ipsa medicine in terris ipsis, ut dictum est, exercenda, impediat de cetero vel » perturbet. »

Digitized by Google

TITULUS XLVII. KA (24).

De fidelium numero super electuariis et syrupis statuendo.

IDEM AUGUSTUS.

In terra qualibet regni nostri nostre jurisdictioni subjecta duos viros circumspectos et fide dignos volumus ordinari et corporali per eos prestito sacramento teneri, quorum nomina ad curiam nostram mittentur; sub quorum testificatione electuaria et syrupi ac alie medicine legaliter fiant et sic facte vendantur. Salerni maxime per magistros in physica hec volumus approbari. Presenti etiam lege statuimus ut nullus in medicina vel chirurgia nisi apud Salernum [vel Neapolim] (*a*) legat [in regno], nec magistri nomen assumat, nisi diligenter examinatus in presentia nostrorum officialium et magistrorum artis ejusdem. Conficientes etiam medicinas sacramento corporaliter prestito volumus obligari ut ipsas fideliter juxta artes et hominum qualitates in presentia juratorum conficiant. Quod si contra fecerint, publicatione bonorum suorum mobilium sententialiter condemnentur. Ordinati vero quorum fidei predicta sint commissa, si fraudes in credito ipsis officio commisisse probentur, ultimo supplicio feriendos esse censemus.

TITULUS XLVIII. KE (25).

De conservatione aeris (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Salubritatem aeris divino judicio reservatam studio provisionis nostre in quantum possumus disponimus conservare; mandantes ut nulli amodo liceat in aquis cujuslibet civitatis vel castri vicinis, quantum milliare

(*a*) *Vel Neapolim* deest in cod. latino et in graeco. Regnante enim Friderico schola medicinae apud Neapolim jam non erat instituta.

(*b*) Graece : *De non dealbando prope urbem lino vel canape.*

ad minus protenditur, linum vel canapum ad macerandum (*a*) ponere, ne ex eo, [prout pro certo didicimus], aeris dispositio corrumpatur. Quod si fecerit, linum ipsum immissum et canapum amittat, et curie applicentur. Sepulturas etiam mortuorum [quas urne non continent (*b*)] profundas quantum mensura dimidie canne protenditur, esse jubemus. Si quis contra fecerit, unum augustalem curie nostre componat. Cadavera etiam et [sordes] que fetorem faciunt per eos quorum fuerint coria extra terram ad quartam partem milliaris vel in mari aut flumine (*c*) projici debere mandamus. Si quis autem contra hec fecerit, pro canibus aut magnis animalibus [que majora sunt canibus] unum augustalem, pro minoribus vero dimidium curie nostre componat.

TITULUS XLIX. Κς (26) (1).

De fide mercatorum in vendendis mercibus adhibenda.

IDEM AUGUSTUS.

Magistros mechanicarum artium quorum operis et operibus (*d*) homines carere non possunt, legaliter et fideliter sua opera exercere debere jubemus. Artifices autem (*e*) qui in auro et argento laborant, sellarios et scutarios, frenarios [atque lormerios (*f*), caldararios] (*g*), fabros qui eris et ferri quecumque opera formant, balistas etiam facientes et arcus,

(*a*) Ita corrigimus ex cod. 4625 pro *maturandum*.

(*b*) Ita quoque corrigimus ex eodem codice vice *que urnas non continent*.

(*c*) Graece : *sive in terra sive in mari sive in flumine*.

(*d*) Ita ex cod. 4625 et ex Ricc. de S. Germano legimus.

(*e*) Ap. Riccardum *Aurifices scilicet*.

(*f*) Gallice *lormiers*. Perperam autem legitur *larmerios* apud Carcanum, qui frustra vocem interpretari nititur ex vico hodie apud Neapolim *l'Armieri* dicto, ubi laminae aureae argenteaeque cum filis sericis aut laneis intextis conficiuntur.

(*g*) Sic emendamus ex Riccardo; apud Carcanum autem *candelarios*, male.

---

(1) Hunc titulum et tres qui subsequuntur excerpsit Ricc. de S. Germano, ap. GATTULA, *Access. ad hist. Cassin.*, t. IV, p. 803.

Digitized by Google

[et generaliter omnes artifices] cum fide et studio [prout artificium unus quisque (*a*) melius noverit] volumus operari. Specialiter autem scutariis et sellariis injungimus ut emptores certiorare fideliter studeant utrum in argento vel stanno (*b*) superposite (*c*) sint picture, et quod sellas et scuta munire debeant necessariis et fortibus guarnimentis. Buzerios (*d*) autem et piscium (*e*) venditores, qui vite hominum necessaria subministrant, et ex quorum fraudibus maximum posset non rebus tantummodo, sed personis etiam damnum inferri, in eorum mercibus [et mercationibus] volumus esse fideles : videlicet ut scrophas pro porcis vel carnes morticinas aut ab uno die in alium reservatas, si hec emptoribus non predixerint, seu qualitercunque corruptas vel infectas in damnum et deceptionem emptorum vendere non presumant. Venditores etiam piscium in corruptis piscibus non vendendis et ab uno die in alium sine predictione similiter reservatis, fidem precipimus observare; [et ut predicti omnes et singuli superius nominati (*f*) rerum vitium vendendarum ex fide predicant, et ut cibos pridie preparatos et in die altera calefactos similiter sine predictione non vendant]. Venditores etiam candelarum eas fideliter faciant, nec in eis in emptorum dispendium immisceant aliquid [cere (*g*)], nec in eis nisi bombycinum papyrum includant (*h*), vel si aliter fecerint, emptores exinde certiorare (*i*) curabunt.

(*a*) Sic ex cod. 4625 et Ricc. de S. Germ. Ap. Carcani *uniuscujusque*, minus recte.

(*b*) Ap. Carcani *vel auro*. Corrigimus ex cod. 4625 et Ricc. de S. Germ.; quod graeco convenit ἢ κασσιτέρου.

(*c*) Ita corrigimus ex Ricc. de S. Germ. et cod. 4625. Ap. Carcani *suppositae*.

(*d*) *Bucerios* ap. Riccardum. *Boccerios* in cod. 4625.

(*e*) Sic in omnibus. Aptius tamen legendum videretur *carnium venditores*. Graece : τοὺς ὀψαροπράτας.

(*f*) Sic corrigimus ex Ricc. de S. Germano et cod. 4625. Ap. Carcani *nominatim*.

(*g*) Deest in graeco et in cod. 4625. Sed adest ap. Ricc. de S. Germano.

(*h*) Graece μηδὲ ποιείτωσαν τὸ αὐτόβουλον ἐκ παπίρου. Forsitan legendum μονοβάμβουλον, *unilichne*. In latino vero rectius.

(*i*) In Ricc. de S. Germano *cohercere*, minus recte.

KZ (27) (*a*).

Tabernariis [autem] et venditoribus vini quibuslibet prohibemus ne vendere audeant vinum lymphatum pro puro.

KH (28) (*b*).

Nullus (*c*) in regno nostro laboret aurum quod per libram de puro auro minus teneat quam octo uncias. Similiter et argentum aliquis non laboret quod minus unciarum undecim puri argenti per libram tenere noscatur; quod obtineat, sive venale opus hujusmodi artifices per se faciant, sive ab alio recepta materia opus fingant, ut annulos, fibulas, paropsides vel cuppas aureas aut argenteas, in quibus aliquid ultra predictam quantitatem et formam [a materiarum dominis immisceri minime] petatur (*d*); et ut omnibus artificibus ipsis admittendarum fraudium via et materia precludatur, per loca quelibet duos eligi volumus fide dignos [per terre bajulos ordinandos], quibus imminentibus predicta omnia [in statu] conservare debeant [et debite executioni mandare et contradicentibus se opponere (*e*)], ac per eos artificum fraudes nostre curie nuncientur. Quorum officialium nomina etiam per litteras [sub sigillis et subscriptionibus] eligentium et eorum qui in iis consilium dederint eligendis, ad nos vel ad (*f*) locorum dominos volumus destinari, ut ex

(*a*) Extat in graeco novi tituli rubrica : *De venditoribus vini.*

(*b*) In graeco rubrica : *De his qui ex argento et auro opera faciunt.* Attamen in cod. 4625, in Ricc. de S. Germano et in omnibus editis unus et idem titulus a *Magistros* usque ad *neglexerint nuntiare* conflatur.

(*c*) Ap. Carcani *sic nullus. Sic* deest ap. Ricc. de S. Germano.

(*d*) Ap. Riccardum et in cod. 4625 : *ultra predictam quantitatem et formam a predictis dominis ammisceri petatur.* In graeco : *in quibus si quid super additum sit ultra predictam quantitatem et formam petatur.* Unde in textum *minime* perperam irrepsisse credimus.

(*e*) Ap. Ricc. de S. Germ. et in cod. 4625 *conservari debeant et debite executioni contradi ac per eos....*, reliquis omissis.

(*f*) Sic corrigimus ex Ricc. de S. Germ., cod. 4625 et graeco. Ap. Carcani *ad nos per locorum dominos;* male.

Digitized by Google

approbatione nostra [vel aliorum quorum interierit] retineantur idonei et non idonei refutentur; in eorum locum qui minus idonei visi fuerint, [in subscripta forma] idoneis subrogandis; [quos officiales ut officium eis commissum (*a*) fideliter et diligenter exerceant, tactis sacrosanctis evangeliis sacramenti religione volumus obligari.] Ordinatorum (*b*) etiam nomina predictorum in quaternionibus nostre curie volumus contineri, ut de eis dubitatio in posterum oriri non possit. Statuimus etiam [constitutione presenti] ut bajuli nostri qui pro tempore fuerint operariorum operas et vindemiatorum, messorum et similium sub certa mercede constituant, cujus constitutionis metam transgredi operariis non licebit; quam si transgressi fuerint, receptam mercedem amittant et quadruplum curie nostre solvant. Et ut fraudes artificum singulorum pena non careant, si contra prohibitionem et ordinationem nostram in eorum artificiis inventi fuerint dolose versari, prima vice deprehensus in dolo falsa opera faciens vel cibaria prohibita seu corrupta vel vinum limphatum pro puro vendendo, libram unam auri purissimi fisco nostro componat; quam si propter inopiam dare non poterit, fustigetur. Iterato vero deprehensus in simili, manum perdat. Tertio [deprehensus talia perpetrare] in furcis mortis periculum subeat, quod justo judicio meruit [toties] illicita committendo et non corrigendo commissa. Eadem pena prefatis officialibus imminente, si prece vel pretio aut amore [seu timore corrupti delinquentium mercatorum vel artificum], magne curie nostre vel regionum justitiariis commissa neglexerint nuntiare.

TITULUS L. ΚΘ (29).

De mercatoribus (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Mercatores quoslibet regni nostri sub eisdem ponderibus et mensuris in rebus magnis et minimis et sub eisdem cannis quas ipsis curia nostra

(*a*) Ap. Ricc. de S. Germ. *sibi creditum*.
(*b*) Ap. Ricc. de S. Germano et in cod. 4625 *electorum*.
(*c*) Graece : *De mensuris et ponderibus et cannis*.

Digitized by Google

dederit, vendere volumus merces suas; ita tamen ut ex mensuris majoribus in jure quod ex mensuris ipsis curie nostre vel cujuslibet loci domino debebatur, nullum [collatoribus] damnum vel prejudicium afferatur; sed proportione prioris minoris mensure [diligenter attenta], non plus proinde solvatur nisi quantum primitus solvebatur. Illud etiam presenti constitutioni nostre conjungimus ut vendentes pannos in posterum ipsos ultra non distrahant, nisi quantum et quatenus canna protenditur (*a*), sed sine abstractionis alicujus violentia, [sicut melius cum emptore convenire poterunt], nulla alia fraude vel machinatione adhibita, pannos ipsos vendere procurabunt.

TITULUS LI. Λ (30).

De ponderibus et mensuris (*b*).

IDEM AUGUSTUS.

Ad legitima pondera et mensuras merces quaslibet vendere volumus venditores. Quicumque autem falsitatem aut fraudem aliam in mensuris atque ponderibus [vel cannis] inventus fuerit commisisse, [aut qui pannos extraxerit,] unam libram auri purissimi fisco nostro componat; quam si dare non poterit condemnatus, cum pondere seu mensura ad collum ejus appensis, in sui penam aliorumque exemplum, per terram in qua fraudem commiserit, publice fustigetur; manu ei deinde si secundo deprehensus fuerit in simili, amputanda; et si tertio iteraverit perpetrata, ipsum suspendi jubemus.

TITULUS LII. ΛΑ (31).

De pena contra mercatores (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Penas contra mercatores corruptas merces vendentes et vetitas, seu ad

(*a*) Graece multo melius : εἰ μὴ ὅσον ἀφ' ἑαυτῶν ἐκτείνονται, ***nisi quantum panni per se ipsi protenduntur.***

(*b*) Graece : ***De poena fraudis mercatorum.***

(*c*) Graece : ***In quo casu contra mercatores poena duplicatur.***

Digitized by Google

falsas mensuras et cannas et pondera distrahentes nostris constitutionibus prestitutas, in peregrinis deceptis ab eis volumus duplicari. Defensionem etenim et scientiam nostram succedere volumus loco imbecillitatis et ignorantie predictorum.

TITULUS LIII.

De detinentibus animalia aliena et de damnis foresteriorum.

IMPERATOR FREDERICUS.

Per universas provincias regni nostri volumus infrascriptas assisias inviolabiliter observari (1), quas in curia nostra deliberatione perpensa et salubri consilio nostrorum fidelium determinari mandamus et singulorum ministeriis considerata qualitate taxari; quas etiam singulis camerariis regionum sub sigillo nostre celsitudinis precipimus designari.

TITULUS LIV. AB (32).

De furtis et latrociniis (*a*).

REX GUILLELMUS (*b*).

Pervenit ad aures nostri culminis quod furta plurima et latrocinia in Apulia hactenus committebantur de animalibus, que quadam vana et inani excusatione velata remanebant pariter et inulta. Nam cum apud aliquos animalia reperiebantur, hanc excusationem pretendentes videlicet quod ea invenerint oberrantia, vel de manu latronum arripuerint, cum

(*a*) Graece : *De perditis animalibus.*

(*b*) Sic in cod. 4625. Ap. Carcani IDEM AUG.; nostra sententia minus recte; cf. infra tit. LVI.

---

(1) Hic agitur de quinque titulis qui in latinis editionibus immediate sequuntur, quorum priores Guillelmo regi, posteriores Friderico ipsi adscribendi sunt. Varios autem de re eadem titulos, quasi in unam constitutionem redactos et non in Apulia tantummodo, sed per totum Siciliae regnum debinc observandos, denuo publicasse videtur imperator; hoc addito prooemio quod damus, licet in graeco et in cod. 4625 desit.

non possent latrones ostendere, fures ipsi vel furti consentientes, de animalibus ipsis ab eorum dominis, quod erat iniquum, redemptionem extorquentes, fraudulenter cum lucro furti (*a*) penam et maculam evadebant.

ΑΓ (33) (*b*).

Verum cum nostrum sit amplecti justitiam, fovere pacem et que paci contraria sunt resecare, placuit majestati nostre, ipsorum fraudulentam nequitiam constitutione nostra et superabundanti justitia reprimentes, hujusmodi velata furta detegere et perpetua securitate delere. Presenti itaque constitutione nostra in perpetuum valitura precipimus et sancimus nulli omnino licere aliena animalia, ubicunque invenerit, cujuscumque sint, capere vel apud se modo quolibet detinere, nisi ea forte cum latrone ceperit; et tunc statim ea justiciariis nostris in illis partibus constitutis cum eodem latrone assignet. Quod si non fecerit, apud quemcumque animalia ipsa inventa fuerint, quicunque sit, ipsum pro latrone et fure capi et judicari (*c*) precipimus. Satis enim constat ipsum furtum commisisse qui aliena animalia invito domino usui suo detinuisse probatur; cum manifestum sit neminem posse fugitiva animalia sua perdere, si a nemine capta fuerint vel detenta. Quod si quis in laboribus, vineis et possessionibus suis damnosa animalia cujuslibet interceperit, non liceat ipsa apud se detinere, sed [tantum capere et] justitiariis nostris assignare, ut de illato (*d*) damno quod probare poterit justitiam consequatur. Quod si non fecerit et animalia hujusmodi intercepta apud se detinuerit, ipse, sicut et ceteri, pena furti teneatur. Illos autem qui animalia cum latrone ceperint et ea cum eodem latrone [sicut prescriptum est] justitiariis nostris assignaverint, pro labore eorum et studio quod ad ea capienda apposuerint, in decima parte ipsorum animalium ab ipsorum domino remunerari statuimus et jubemus.

(*a*) Addimus *furti* tam ex cod. 4625 quam ex graeco.

(*b*) Novus titulus, sed perperam, in graeco adest cum rubrica : ***De poena capientium aliena animalia in propriis terris.***

(*c*) Scilicet *condemnari ;* nempe in graeco κατακρίνεσθαι.

(*d*) Ap. Carcani *illicito*. Corrigimus tum ex cod. 4625, tum ex graeco.

Digitized by Google

TITULUS LV. ΛΔ (34).

De animalibus in pascuis affidandis (*a*).

IDEM REX (*b*).

Cum per partes Apulie feliciter transiremus, communis undique clamor et querimonia proposita est celsitudini nostre, videlicet quod foresterii gravissimas molestias et injusta gravamina plurima generaliter omnibus inferebant et variis ac diversis exactionibus totam terram intolerabiliter opprimebant. Volentes igitur hujusmodi maleficia corrigere et subjectorum paci ac tranquillitati misericorditer providere, ad coercendam malitiam et iniquitatem eorum statuimus [sicut inferius annotandum est (*c*)] videlicet ut in unaquaque contrata, tam in terris demanii nostri quam in terris comitum et baronum ultra quam quatuor foresterii non statuantur, quibus non liceat animalia aliquorum, sicut hactenus, injuste vel capere vel tractare. Sed si oves vel alia animalia alicujus de una contrata in aliam ducta fuerint in transitu, si una die tantum vel una nocte (*d*) et non ultra in terra alicujus pascua sumpserint, non liceat domino ipsius terre vel bajulo ejus aliquod inde accipere (*e*), sed sine impedimento vel datione aliqua animalia ipsa dimittat transire. Si vero animalia alicujus in terra alterius longe a contrata sua per dietam unam vel duas inventa fuerint, si quidem laboribus vel fructibus damnum intulerint, juxta estimationem proborum hominum dominus animalium domino laborum vel fructuum damnum restituat et in nullo alio teneatur. Siquidem animalia inventa fuerint non inferentia damnum, sed pascentia, et inventa fuerint cum pastore et custode eorum; si dominus terre in qua inventa fuerint, voluerit eis pascua in terra sua in antea concedere, accipiat ab

(*a*) Graece brevius, sed minus recte : Περὶ ἀγροφυλάκων, *De foresteriis*.

(*b*) Sic ex cod. 4625, licet apud Carcanum IDEM AUG., sed male. Nam ex titulo LVII luce clarius apparet hanc constitutionem a Guilielmo rege emanasse.

(*c*) Sic emendamus ex cod. 4625, vice *sicut superius annotatum est*.

(*d*) Graece νυχθήμερον, scil. *una die et una nocte*.

(*e*) Sic quoque in graeco, sed in cod. 4625 *capere*.

eis affidationem [juxta affidaturam quam recipiunt alii vicini ejus, et nihil aliud (*a*)]. Si vero noluerit eis pascua impartiri juxta affidaturam quam recipiunt alii vicini ejus qui affidaturam accipiunt, ad sacramentum illius qui animalia custodierit, de tot diebus quot ibi pascua acceperint, ad rationem totius anni affidaturam recipiat et non aliud, et ea sine impedimento abire permittat. Si vero sine pastore inventa fuerint, si quidem animalia ipsa non (*b*) ultra decem dies in terra steterint, accepto sacramento a domino vel pastore quod ipsi predicta animalia in terram ipsam non duxerint nec per conscientiam suam ibi inducta fuerint, sine aliqua datione dominus de terra ipsa animalia in pace abire permittat. Si autem ultra decem dies ibi pascua sumpserint, sicut predictum est, juxta affidaturam quam recipiunt alii convicini sui [qui (*c*) affidaturam recipiunt], ad sacramentum illius qui animalia ipsa custodierit, de tot diebus quot ibi pascua susceperint, ad rationem totius anni affidaturam recipiat et nihil aliud, et ea in pace abire permittat. Inter convicinos et convicinales (*d*) statutum est ut si animalia vicini in terra alicujus convicini et convicinalis sui in fraudem vicini in die ac nocte pascua sumpserint, vicinus in cujus terra pascuntur, ostendat (*e*) illud vicino suo cujus animalia fuerint, una vel duabus vicibus coram viris bone opinionis ut illud emendet. Quod si non emendaverit et deinde in terra sua animalia invenerit, sicut predictum est et de aliis est statutum, juxta affidaturam quam recipiunt alii vicini ejus qui affidaturam recipiunt, ad sacramentum illius qui animalia custodierit, de tot diebus quot ibi pascua receperint, ad rationem totius anni affidaturam recipiat et nihil aliud. Hujus autem constitutionis nostre quicumque temerarius violator exti-

(*a*) In cod. 4625 paulo diverse concipitur : *accipiat ab eis affidaturam juxta quod inter eos poterit conveniri, et nihil aliud.* Graece simpliciter : *affidaturam, prout cum eo convenire poterit.*

(*b*) *Non* sensui valde necessarium addimus ex cod. 4625 et ex graeco.

(*c*) Sic corrigimus ex graeco et cod. 4625. Ap. Carcani : *aliqui convicini sui vel eorum qui, etc.*

(*d*) Graece *et vicinales terras.*

(*e*) Ap. Carcanum *vicini... ostendant.*

Digitized by Google

terit, post iram nostri culminis amissionem persone (*a*) et publicationem bonorum omnium sustineri debebit. Si sumerarii vel bordonarii (*b*) vel alii custodes aliquorum animalium (*c*) ducentes animalia in transitu aliquo modo in terram alicujus aut nemus diverterint et damnum in eo non fecerint, sed forte de nemore tortam aliquam vel virgam inciderint, a domino ipsius terre vel nemoris non impetantur nec in aliquo inde teneantur, sed sine impedimento aliquo transire dimittantur.

TITULUS LVI. Aς (36) (1).

De restitutionibus damnorum ab animalibus irrogatorum.

IMPERATOR FREDERICUS.

Animalia in vineis et possessionibus cujuslibet damnum facientia intercepta, locorum bajulis seu dominis ut per eos illati damni restauratio subsequatur, sufficiat assignari; constitutione regia que ipsa provinciarum justitiariis assignari debere mandabat, in hac parte remota; cum (*d*) dispendium esset propter damnum forte modicum provinciam circuire. Nec justitiarii de talibus etiam, prout predecessorum nostrorum [et nostris] constitutionibus est expressum, intromittere se debent.

TITULUS LVII. AE (35) (*e*).

De pena eorum qui affidaturas infringunt.

IDEM AUGUSTUS.

Ut delicti fines pene crudelitas non excedat, capitalem penam et pu-

(*a*) Graece ἀπώλειαν τοῦ ἰδίου σώματος; unde non dubitandum quin de capitali pœna agatur.

(*b*) In cod. 4625 *sumarerii vel brodanerii;* minus recte.

(*c*) Graece *custodes equorum.*

(*d*) Ap. Carcani *notum.* Emendamus ex cod. 4625 et ex graeco ἀπειδή.

(*e*) Haec constitutio turpiter in graeco mutilata est.

(1) Hic titulus adest inter illos quos excerpsit Riccardus de S. Germano ap. GATTOLA, *Access. ad hist. Cassin.*, t. IV, p. 804.

blicationem bonorum omnium statutam [in eis qui affidaturarum occasione et (*a*) pascuorum homines in animalibus suis ultra licitum et in rebus aliis gravare noscuntur, dive memorie regis Guilelmi predecessoris nostri constitutione sancitam, competenti moderamine moderantes,] decernimus eos qui occasione predicta ultra licitum [aliquid ab hominibus (*b*) in animalibus vel rebus aliis] homines quorum animalia fuerint gravare tentaverint, in quadruplum ejus quod taliter extorquere presumpserint, fisco nostro solvendum fore mulctandos; ita videlicet ut dominis sic injuste exacta restituant et solidum quadruplum curie nostre componant.

TITULUS LVIII. AZ (37).

Quod nil post indemnia equitatorum pascua de agro liceat alicui asportare (*c*).

IDEM AUGUSTUS.

Si quando necessitate cogente contigerit aliquem cum equitaturis suis aut quibuslibet animalibus forsitan oneratis, ex itinere prout assolet fatigatis, in alterius agrum frugibus plenum velle divertere, dum forte herbas vel fenum per loca ipsa non invenerit unde animalia sua valeant confortari, omnem materiam sibi precidimus malignandi; statuentes, prout in aliquibus imperii nostri partibus observatur, ut non nisi medietatem equi vel cujuslibet alterius animalis in agrum ipsum intromittere audeat; ita quod posteriores pedes animal ipsum in via vel in loco non laborato teneat et anteriores in agro; ita tamen ut nihil omnino de segetibus ipsis ad hospitium suum deferat, sed eo contentus sit tantummodo quod pascendo equus assumpsit.

(*a*) Ap. Carcani *etiam*, minus recte.

(*b*) Sic in omnibus. Deesse tamen videtur *exigentes* vel hujusmodi.

(*c*) Graece : *De pascente animalia sua in frugibus alicujus ex necessitate.*

Digitized by Google

TITULUS LIX (1).

De nova militia.

REX ROGERIUS.

Divine justitie consentientes probanda probamus et contraria refutamus : sicut enim nullatenus exasperandi sunt boni, ita beneficio non sunt fovendi mali. Sancimus itaque et tale proponimus edictum ut quicumque novam militiam acceperit sive quocumque tempore arripuerit, contra regni nostri beatitudinem, pacem atque integritatem, a militie nomine et professione penitus decidat, nisi forte a militari genere per successionem duxit prosapiam. Idemque statuimus de sortientibus cujuscumque professionis ordinem, ut puta si auctoritatem judicis obtinuerit sive notarii officium, ceterisque similibus.

TITULUS LX. AH (38, 2).

De honore militari, judicis et notarii (*a*).

IMPERATOR FREDERICUS.

Constitutione presenti in posterum valitura sancimus ut amodo ad militarem honorem nullus accedat qui non sit de genere militum, sine mansuetudinis (*b*) nostre speciali licentia et mandato (3); militibus qui hac-

(*a*) Graece : *De non faciendo milite qui non sit de genere militum.*

(*b*) Ap. Ricc. de S. Germ. *celsitudinis.*

(1) Licet in codice graeco hic titulus desideretur, quum adsit in codice latino 4625 et regi Rogerio aptissime tribuatur, eum ad suum locum exhibemus.

(2) Hic titulus adest inter illos quos excerpsit Riccardus de S. Germano ap. GATTOLA, *Access. ad hist. Cassin.*, t. IV, p. 804.

(3) Addimus verbum *speciali* ex cod. 4625. Habemus autem *specialem* quamdam dispensationis formulam ap. *Petr. de Vineis Epist.*, lib. VI, n° 47, ut sequitur : « Fridericus, etc. Notum » facimus universis, quod A. de N. majestati nostre humiliter supplicavit, ut cum velit fieri » miles, et pater suus miles non esset, sibi exinde largiri licentiam dignaremur. Nos autem, ut

Digitized by Google

tenus contra prohibitionem dive memorie (*a*) avi nostri dignitatem fuerint militarem adepti, ex serenitatis nostre gratia suam retinentibus dignitatem, dummodo vivant militariter, ut est dictum. Presenti etiam edicto illud edicimus (*b*) ut judex vel notarius publicus aliquis qui vilis conditionis sit, villanus aut angararius forsitan, itemque filii clericorum, spurii aut modo quolibet naturales in posterum creari non possint aut aliquatenus promoveri (*c*).

TITULUS LXI. ΛΘ (39).

De falsariis.

REX ROGERIUS (1).

Qui litteras regias aut mutat aut eas (*d*) notho sigillo signat, capitali sententia feriatur.

TITULUS LXII. M (40).

De cudentibus (e) monetam adulterinam.

IDEM REX.

Adulterinam monetam cudentibus vel scienter accipientibus et uten-

(*a*) *Regis Rogerii* additur ap. Ricc. de S. Germano.

(*b*) Ap. Ricc. de S. Germano *adjungimus.*

(*c*) Hujus postremae partis a verbis *Presenti etiam*, graecus codex glossam potius quam versionem exhibet.

(*d*) In Assisiis n° XIV *aut quas ipse scripsit notho*, etc.

(*e*) Graece hic et infra *De vendentibus;* male tamen verbum latinum translator legisse videtur.

» fidei sue meritum et suorum per imperialis gratie premium imperialiter compensemus, sup-
» plicationibus ipsius benignius inclinati, de potestatis nostre plenitudine, sibi concedimus potes-
» tatem quod, quanquam pater suus miles non fuerit *et nostris constitutionibus caveatur, quod*
» *milites fieri nequeant, qui de genere militis non nascuntur:* ipse tamen de culminis nostri
» licentia decorari valeat cingulo militari. Mandamus autem quatenus nullus sit, qui ipsum
» super hoc de cetero molestare vel impedire presumat. Datum, etc. »

(1) Hunc titulum et sequentes usque ad numerum LXIX regi Rogerio adscribimus, tum ex cod. 4625, tum quia inter Assisias regni inveniuntur, quae ad tempus Normannorum certissime pertinent. Has edidit Carcanus, p. 227-232, ex codice Cavensi n° 468.

Digitized by Google

tibus, penam capitis irrogamus et eorum substantiam publicamus; consentientes etiam hac pena ferimus.

TITULUS LXIII. MA (41).

De rasione monete.

IDEM REX.

Qui nummos aureos vel argenteos raserint (*a*) vel quocunque modo minuerint, tam personas eorum quam bona omnia publicamus.

TITULUS LXIV. MB (42).

De falsis instrumentis utentibus.

IDEM REX.

Qui falso instrumento nescius utitur, falsi crimine non tenetur.

TITULUS LXV. MΓ (43).

De falsitate cujuslibet in testibus producendis.

IDEM REX.

Qui falsitatem astruxerit testibus, falsi pena coercetur.

TITULUS LXVI. MΔ (44).

De celantibus testamenta (*b*).

IDEM REX.

Testamentorum publicorum deletor, celator (*c*), [perversor] eadem pena teneatur.

(*a*) Graece *furati sint;* male. In Assisiis n° XIV additur *tinxerint.*

(*b*) Graece : *De eo qui verba testium deleverit*, et infra quoque *testimoniorum.*

(*c*) In Assisiis n° XIV diverse : *Motor testamentorum et publicorum instrumentorum celator, deletor,* etc.

TITULUS LXVII. ME (45).

De paterno testamento deleto.

IDEM REX.

Si quis patris testamentum aboleverit, ut quasi ab intestato succedat, patris hereditate privetur.

TITULUS LXVIII. Mς (46).

De judiciis.

IDEM REX.

Qualitas persone gravat et alleviat (*a*) penam falsi.

TITULUS LXIX. MZ (47).

De veneficiis.

IDEM REX.

Mala et noxia medicamenta ad alienandos animos seu venena qui [dederit], vendiderit vel habuerit, capitali sententia feriatur.

TITULUS LXX. MH (48).

De correctione poculum amatorium porrigentium.

IDEM REX.

Poculum amatorium vel quemlibet cibum nocivum quisquis instruxerit, etiam si neminem leserit, impunis non erit.

(*a*) Ap. Carcanum et Assisias *relevat;* minus recte. Corrigimus ex cod. 4625 et ex graeco.

Digitized by Google

TITULUS LXXI (*a*).

De pena emptoris.

IMPERATOR FREDERICUS.

Eadem pena ferire debet (*b*) emptorem.

TITULUS LXXII. MΘ (49).

De vendentibus venenum.

IDEM AUGUSTUS.

Quicumque toxicum aut malum venenum quod ad confectionem utile vel necessarium non sit, habuerit vel vendiderit, suspendatur.

N (50) (*c*).

Taxum etiam vel herbas hujusmodi de quibus pisces mortificantur aut moriuntur, a piscatoribus in aquis projici vetamus. Propter hec enim et ipsi pisces redduntur infecti et aque de quibus homines et bestie interdum sepius potum assumunt, nocive redduntur. Quod qui fecerit, per annum cum ferris operibus publicis deputetur.

TITULUS LXXIII. NA (51).

De poculis amatoriis.

IDEM AUGUSTUS.

Amatoria pocula porrigentes vel cibos quoslibet noxios, [illicita] vel exorcismata astruentes, tali decernimus pena constringi ut si ii quibus

(*a*) Deest in codice graeco, sed adest in codice latino 4625.

(*b*) Sic corrigimus ex cod. 4625, pro *Eamdem penam ferre debet.*

(*c*) Graece novi tituli rubrica adest: *De non injiciendis in aquas herbis contra pisces.*

Digitized by Google

talia sunt porrecta, vitam proinde vel sensum amittant, mortis periculo subjici volumus talia perpetrantes. Si vero qui predicta susceperint in nullo ledantur, tunc committentium voluntates inultas non volumus remanere, sed publicatis bonis ipsorum omnibus, carcerali per annum custodie ipsos decernimus mancipari. Et quanquam veritatem et rerum naturam intuentibus videri possit hoc frivolum et, ut proprius loquamur, fabulosum quod per cibos aut potus [ad amores vel odia] mentes hominum moveantur, nisi quatenus recipientis lesa suspicio (*a*) hec inducat; ipsorum tamen presumptionem temerariam qua saltem nocere desiderant, etsi nocere non possint, relinquere nolumus impunitam.

TITULUS LXXIV. NB (52).

De adulteriis et lenociniis.

REX ROGERIUS (1).

Legum asperitate lenita, non ut olim contra adulteros ad aliorum conjuges accedentes, gladio est agendum; sed rerum ad eos pertinentium confiscatio inducetur, si filios legitimos ex eo matrimonio violato vel alio non habuerint. Periniquum est enim eos successione fraudari qui nati sunt eo tempore quo hujus tori lex legaliter servabatur. At viro tradenda est mulier nullatenus vite periculo sevituro, sed ultionem tori violati nasi truncatio, [quod sevius et atrocius inducitur], prosequatur. Ultra enim neque viro neque parentibus sevire licebit. Quod si vir ejus in eam vindictam dare noluerit, nos hujusmodi maleficium non sinemus inultum, sed ipsam precipimus publice flagellandam.

(*a*) Gracce ἀσθενὴς ὑπόληψις, *imbecillitas mentis.*

(1) Hunc titulum quem Friderico Carcanus adscribit, tum ex cod. 1625, tum ex Assisiis n° XVI Rogerio quoque tribuimus.

Digitized by Google

TITULUS LXXV. NΓ (53).

De pena adulterii.

IDEM REX.

Qui coram se spectante [vel alio] (*a*) permittit cum ganeis suam conjugem lascivire, non facile poterit eam judicio accusare (*b*). Viam quippe mechandi aperit, qui cum possit prohibere, consentit.

TITULUS LXXVI. NΔ (54).

De prohibita questione (*c*) *femine.*

IDEM REX.

Quamvis uxorem suam suspectam quis habeat (*d*), [si tamen ei fidem habeat (*e*)], eum lenocinii non damnamus. Quis enim alieni tori jure inquietet quietem? Quod si patenter deprehenderimus quempiam habere uxorem questuosam (*f*), digna [nostris temporibus] mox sequatur pene vindicta. Eum quoque pena infamie condemnamus.

TITULUS LXXVII. NE (55).

De submota conversatione inter bonas femine questuose (*g*).

IDEM REX.

Que passim venalem formam exhibuit (*h*), hujus criminis accusationem

(*a*) In Assisiis n° XVI *vel arbitro,* quod idem sonare videtur ac *vel alio spectante.*

(*b*) Graece additur *de adulterio.*

(*c*) Sic. Sensus vero : *De prohibito quaestu.* Graece : *De habente suspectam propriam mulierem.*

(*d*) In Assisiis : *Quamvis uxorem suspectam quis habeat, quamvis famosam.*

(*e*) Haec desunt in graeco et in cod. 4625, sed adsunt in Assisiis n° XVI.

(*f*) Graece μοιχευομένην, in Assisiis *incestuosam.*

(*g*) Graece : *De mulieribus publice fornicantibus.*

(*h*) In cod. 4625 additur *et vulgo prostitutam se prebuit.*

amovit. Violentiam tamen ei ingeri [prohibemus] et inter boni testimonii feminas ejus habitationem vetamus.

TITULUS LXXVIII. Nς (56).

De repudiis concedendis (*a*).

IDEM REX.

Repudium in hac accusatione semper est permittendum, neque violentia seu detentio adhibenda.

TITULUS LXXIX (*b*).

De lenis.

IDEM REX.

Lenas sollicitantes alienam scilicet castitatem, genus criminis pessimum, tanquam ipsas adulteras puniendas esse presenti lege sancimus.

TITULUS LXXX. NZ (57).

De matribus suas filias exponentibus.

IDEM REX.

Matres virgines filias prostituentes [et maritalia federa fugientes] ut lenas ipsas prosequimur, ut nasus eis similiter abscindatur. Castitatem enim suorum viscerum vendere inhumanum est et crudele. Quod si filia se ipsam prostituerit, mater vero solummodo consentit, judicis arbitrio relinquatur.

(*a*) Graece : *De facienda ubique desistentia ab accusatione*. Quod optime ex Assisiis n° XVIII et marginali nota elucidatur. Lex enim delectum facit quis primum debeat conveniri. Adulter conveniendus est primum, et si defendi poterit, mulier est secura. Si vero fuerit condemnatus, tunc mulier accusatur. Sed semper in hoc casu repudium permittendum est. Cf. supra lib. II, tit. XI, p. 85.

(*b*) Deest in cod. graeco et in latino 4625. Non vero dubitandum quin lex Rogerio tribuenda sit. Cf. Assisias n° XXI et infra titulum LXXXIV.

Digitized by Google

TITULUS LXXXI. NH (58).

De pena uxoris in adulterio deprehense.

IDEM REX.

Si maritus uxorem in ipso actu adulterii deprehenderit, tam adulterum quam uxorem occidere licebit, nulla tamen mora protracta.

TITULUS LXXXII. NΘ (59).

De pena mariti ubi adulter aufugit.

IDEM REX.

Maritum lenocinii pena coercet qui uxorem in adulterio deprehensam retinuit, adulterumque dimisit, nisi forte sine sua culpa diffugiat (*a*).

TITULUS LXXXIII. Ξ (60).

De adulteriis coercendis (1).

REX GUILLELMUS.

Majestati nostre quorumdam prelatorum querimonia patefecit quod ecclesie sue a justitiariis, camerariis et bajulis regni nostri privantur et minuuntur jure suo, videlicet de adulteriis que non permittunt judicari et corrigi in curia ecclesie, sicut debet, et de personis clericorum que ab eis [ut laici] judicantur et incarcerantur; quod si verum est, nobis displicet et grave videtur. Non enim decet neque volumus ut ea que ab ecclesia judicari et coerceri debent, ab aliis puniantur et judicentur aut corrigantur. Quare mandamus et precipimus firmiter ut amodo de adulteriis judicandis justitiarii, camerarii et bajuli non se intromittant. Sed

(*a*) Sic in cod. 4625. Ap. Carcani *aufugit*.

(1) Vide quod supra notavimus, p. 40, not. 1.

Digitized by Google

et si quis de parochia alicujus ecclesie de adulterio accusatus vel deprehensus fuerit, ad judicium ipsius ecclesie in quo ipsa adulteria judicari debent, consistat et a curia ipsius ecclesie judicetur et corrigatur; excepto si per insultum vel per violentiam adulterium committatur. Quod si acciderit, judicetur ab ecclesia de adulterio quod spectat ad judicium ecclesie; et hoc quod spectat ad judicium seculare, videlicet de insultu et violentia, in nostra curia judicetur. Preterea mandamus omnibus nostris officialibus (*a*) ut de adulteriis coercendis omnibus prelatis, quibus opus fuerit, auxilium tribuant.

TITULUS LXXXIV. ΞA (61).

De lenonibus.

IMPERATOR FREDERICUS.

Lenas sollicitantes pudicitiam uxorum, filiarum, sororum et postremo quarumlibet virginum vel aliarum honestarum mulierum, quas vir bonus aliquis intra septa domus sue tenere noscitur, detruncatione nasi ipsas tanquam adulteras, juxta dive memorie regis Rogerii avi nostri statuta, puniri censemus. Aliarum tamen mulierum animos attrahentes que [velut sui arbitrii existentes] a nemine custodite (*b*) [virorum voluntatibus et voluptatibus se dederunt aliquando, licet non esset juste credibile quod dare se vellent,] prima vice [qua (*c*) talia perpetrantes (*d*) fuerint legitima probatione convicte,] fustigari censemus, et ipsas in recognitionem semel attentati facinoris in fronte signari. Sciturus firmiter lenis hujusmodi quod si tentaverint denuo reiterare commissa, detruncationis nasi pene procul dubio subjacebunt.

(*a*) In cod. 4625 *ordinatis*.
(*b*) Ap. Carcani *custode*. In cod. 4625 *custodire*.
(*c*) Ap. Carcani *quia*. In cod. 4625 *quo*.
(*d*) Hic additur in omnibus *si*, quod sensum turbat.

Digitized by Google

TITULUS LXXXV. ΞB (62).

De pena matris filiam publice prostituentis.

IDEM AUGUSTUS.

Matres que publice prostituunt filias, pene nasi truncati [a divo rege Rogerio statute] subjacere sancimus. Alias etiam consentientes et filias, quas forte propter inopiam [nedum maritare, sed etiam nutrire non possunt,] alicujus voluptatibus exponentes, a quo et sustentationem vite et gratiam aliam (*a*) prestolantur, pene subjacere non tam injustum credimus quam severum (*b*).

TITULUS LXXXVI. ΞΓ (63).

De venditione liberi hominis.

REX ROGERIUS.

Qui sciens liberum hominum vendiderit, hac pena [legitima] teneatur ut ex bonis suis, si possibile est, venditus redimatur; ipse vero maleficus curie servus fiat, bonorum suorum residuo publicato. Quod si non poterit redimi, pro servo tradatur parentibus venditi, bonis suis curie addictis. Quocumque autem casu venditus redeat, maleficus curie servus fiat, filiis etiam post hunc casum nascentibus curie subjectis perpetue servituti.

TITULUS LXXXVII. ΞΔ (64).

De incendiariis.

IDEM REX.

Qui dolose domum incenderint, capitis pena plectentur [velut incendiarii.]

(*a*) Addimus *aliam* ex graeco et ex cod. 4625.

(*b*) In cod. 4625 : *non tam justum credimus quam iniquum.* In graeco : *non tantum injustum, sed etiam durum esse credimus.*

TITULUS LXXXVIII. ΞE (65).

Qui ramum de alto projiciens vel se precipitans hominem occiderit.

IDEM REX.

Qui de alto seipsum precipitat et hominem occiderit, et qui ramum incaute projicit et non proclamat seu lapidem projicit, hominemque occiderit, pene capitali succumbat.

TITULUS LXXXIX. Ξς (66).

De pena hominum alium occidentium diversis ex casibus.

IMPERATOR FREDERICUS.

Penam precedenti sanctione statutam imperialiter mitigantes, decernimus eum qui se de alto precipitat vel ex alto incaute aliquid projicit et proinde occiderit aliquem, si quidem in loco habitabili hoc contingat, per annum carceri mancipari. Quod si hec in campestribus acciderint, sacramento ab ipso prestito quod transeuntem non viderit, omni calumnia absolutum ipsum esse censemus. Quod si ex predictis percussus minime moriatur, omnes expensas justas [et moderatas] quas in ipsa infirmitate fecerit tam pro se quam pro medicinis, incaute projiciens ei reddere teneatur. [Absurdum enim in casu isto previdimus punire equaliter simplicem et dolosum.]

TITULUS XC. ΞZ (67).

De aleatorum et datiatorum infamia.

IDEM AUGUSTUS.

Mores dissolute viventium interposite pene formidine ad frugem melioris vite reducere cupientes, statuimus eos qui ad datios sic ex quadam consuetudine ludunt et in ludo ipso continue conversantur ut nulli alii va-

Digitized by Google

cent officio de quo vivant; tabernarios etiam qui tabernas velut naturales lares et proprios elegerunt; eos etiam qui aleas (*a*) et datios tenent ut easdem predictis ludentibus commodent, inter infames haberi; ita ut nec ad testimonium nec ad officium aliquod publicum admittantur. Judices etiam et advocatos et notarios publicos qui hujusmodi vilem et sordidam vitam ducunt, infamia predicta notatos a susceptis etiam officiis in perpetuum volumus amoveri. Postremo etiam milites, quos saltem equestris dignitatis decus deberet a talibus coercere, si fame sue prodigi et pudoris ignari ad vilitatem hujusmodi deduxerint vitam suam, in perpetuum a testimonio submovemus; ab eis judicia etiam que viris militaribus sunt concessa, in perpetuum abdicantes.

TITULUS XCI. ΞΗ (68).

De blasphemantibus Deum et virginem Mariam.

IDEM AUGUSTUS.

Blasphemantes Deum et [Virginem gloriosam] lingue maliloque mutilatione punimus.

TITULUS XCII (*b*).

De perjuriis.

IDEM AUGUSTUS.

Eos qui scienter perjurant in judiciis aut extra judicia, detruncationem manus volumus sustinere, [nisi ipsorum perjurium in crimen lese majestatis inciderit, in quo jura vetera et divorum principum instituta servamus] (*c*).

(*a*) Graece ταυλία pro ταβλία, scil. *tabulae lusoriae*.

(*b*) Hic titulus in graeco deest, nisi quod prima ejus pars, scilicet usque ad *nisi ipsorum*, ante initium libri III reponitur.

(*c*) Haec uncis inclusa in cod. 4625 quoque desunt.

TITULUS XCIII. ΞΘ (69).

De spoliatoribus et violatoribus.

IDEM AUGUSTUS.

Si quis aliquem [occisum vel] obitum forte repererit, vel ad quem specialiter se forte contulerit, spoliare tentaverit [aut nudum aut fere nudum reliquerit], mutilatione manus ipsum volumus esse plectendum; pena que in violatores sepulcrorum et eis violatis cadavera spoliantes, veteribus legibus est statuta, in suo robore permanente.

TITULUS XCIV. O (70).

De vitatione jactantie (a).

[IDEM AUGUSTUS.]

Ad laudem et gloriam Dei nostri sub spe divini favoris opus inceptum et ejusdem gratia prosequente completum universitas nostra (b) recipiat. que augustalis nominis titulo presignatur. In reverentiam serenitatis auguste et honorem regie dignitatis, accipite gratanter, o populi, constitutiones istas, tam in judiciis quam extra judicia potituri. [Quas per magistrum Petrum de Vineis Capuanum, magne curie nostre judicem et fidelem nostrum, mandavimus compilari (1)]. Nec subsequentis seculi posteritas presentium constitutionum librum compilasse nos existimet ut

(a) Inepte. Aptius tamen in graeco : *Ut populi utantur constitutionibus in judiciis et extra judicia.*

(b) Sic in omnibus. Forsan tamen melius *vestra.*

---

(1) Locum istum qui in codice 4625 et in graeco deest, interpolatum censemus. Minime etenim verisimile est imperatorem nomen Petri de Vinea tunc temporis fere incogniti tanta pompa constitutionibus, quas a se ipso compilatas dicit, inseruisse. Jacobus autem Capuanus archiepiscopus praecipuus harum constitutionum dictator fuisse videtur (cf. *Epistol. Gregor. IX*, t. III, p. 290), nec ipse ullo modo in eisdem memoratur.

Digitized by Google

fame tantummodo serviamus, sed ut diebus nostris temporum preteritorum injuriam quibus juris lingua subticuit deleamus, et ut in novi regis victoria (*a*) novella justitie propago consurgat.

Actum in solemni consistorio Melfiensi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXX° primo, mense augusti, indictione quarta. Insinuatum vero mense septembris, sequentis quinte indictionis. Amen (*b*).

(*a*) Graece *memoria*, ἐν τῇ μνήμῃ.

(*b*) In graeco notae chronologicae omnino omittuntur. Quarum loco carmen quoddam additur, cujus sensus est :

Haec imperialis scripta lex fuit in quodam dierum decursu.

Quisquis vero legeris ignosce scribae, si quid oblivione peccaverit ob nimiam celeritatem.

Inexpugnabilis quippe Latonae (scil. *oblivionis*) *vis; ita ut ipse Mercurius pugnam cum illa detrectet.*

(Titulum qui sequitur inter constitutiones Melfienses quas tempore antecedere videtur, omissum nunc reponimus.)

LIBER I, TITULUS LVIII.

Ut justitiarius alium loco sui ordinare non possit.

REX GUILLELMUS (1).

Officia que personis personaliter conferuntur, personas transgredi quibus sunt collata non possunt. Magistrum justitiarium et justitiarios qui alios hactenus loco sui vicarios statuebant, a licentia predicte presumptionis illicite coercemus. Cum enim causa aliqua singularis que criminalis sit ab aliquo alii regulariter committi non possit, multo minus predictarum causarum universitas poterit delegari. Quisquis autem contra predicta fecerit, ordinator et ordinatus capitali sententie se noverint subjacere.

(1) Carcanus legit IDEM AUGUSTUS, neque vult hanc constitutionem juste Guillelmo tribui, sicut apud Saraynam et in omnibus editionibus inscribitur. Licet desit in cod. 4625 et in graeco, minime tamen ambigimus quin eadem sit quam Fridericus ipse memorat, capitalem sententiam qua vicarii plectebantur mitigando. Cf. supra lib. I, tit. XLVIII, p. 52, et tit. XLIX, p. 53.

Digitized by Google

Novae constitutiones regni Siciliae a Friderico secundo variis temporibus et locis, post Melfiense consistorium editae.

(Graeci codicis auxilio nunc destituti, ordinem qui tum apud Carcanum, tum in praecedentibus impressis observatur, a nobis quasi religiose tenendum non censemus. Si quis enim constitutiones quae in graecum non vertuntur vel *novae* dicuntur, diligentius pervolverit, facile animadverterit quanta confusione ex mero glossatorum et editorum arbitrio fuerint compilatae. Rubricae enim plerumque ad textum non bene pertinent; sub eodem titulo res omnino diversae connectuntur; atque, temporum ratione non considerata, primum locum habent constitutiones quae tamen ad priores emendandas a legumlatore postea proponebantur. In veteribus praeterea codicibus, quos exempli causa Andreas de Isernia et Matthaeus de Afflictis penes manus habuerunt, quaedam deficiunt, quaedam aliae inducuntur. Unde patet nullum absolutum et integrum juris corpus, vivente adhuc Friderico, fuisse conflatum. His omnibus inspectis, titulos non ad numeros suos, sed juxta materiarum ordinem exhibere disposuimus, nec non inserere edicta seu mandata Friderici nostri, quae ex aliis libris vel ex codicibus ineditis deprompta, optime inter Constitutiones regni distribuenda nobis videntur. Labori nostro ad disquisitiones instruendas certe commodiori utinam aequi bonique lectores faveant!)

§ I. Constitutiones generales super ordine in judiciis servando.

LIBER I, TITULUS XXXIII.

De quibus causis primitus cognoscatur.

Fridericus, etc. Justi cultoris partes assumimus cum justitie telam ordinate teximus, ejusque pomerium misericordie rivulis irrigamus. Statuimus igitur ut omnes regni judices, quemcumque gradum justitie teneant aut quolibet nomine censeantur, ordinem infra scriptum in audiendis et decidendis litigiis observare procurent : causas ecclesiarum primitus, deinde fiscales, subsequenter pupillorum, orphanorum et viduarum seu quarumlibet debilium personarum examinandas accipiant et ad debitum terminum deducendas, priusquam aliorum litigantium causas audiant et decidant.

Digitized by Google

LIBER I, TITULUS XXXIV.

De dandis advocatis pupillis et aliis miserabilibus personis.

Lege presenti pietatis officio suggerente statuimus, pupillis, viduis, orphanis, pauperibus, seu quibuslibet debilibus, presertim contra potentes agentibus aut defendentibus (*a*) causas suas seu jura nostre curie defendentibus, advocatos et pugiles, si causa poposcerit, de curia nostra gratis et expensas alias victui necessarias, dum necessariam in curia moram trahent, necnon testium producendorum impendia per curiam (*b*) largiri debere; et nullas ab ipsis preterea (*c*) sportulas ab apparitoribus vel tabellionibus nostris omnino aut pro sententiarum subscriptionibus aliquid volumus postulari.

LIBER I, TITULUS CIV, PARS II.

[*Nova constitutio.*]

Mulieres ad curiam nostram vel alicujus officialis nostri presentiam venientes nullatenus admittantur, sed in ipsarum penam quod presentari se conspectibus publicis non verentur, expediri eas priusquam ad propria redeant prohibemus; nisi tanta personarum vel rerum inopia pregraventur quod in aliorum defectum ipsas oporteat personaliter laborare.

LIBER I, TITULUS XXXV.

Ut cause prius inchoate terminentur.

Presenti lege decernimus omnibus omnino judiciis valitura ut inchoatis causarum audientiis, nulle penitus alie misceantur, priusquam questionibus primis per definitive vel interlocutorie sententie calculum finis legitimus imponatur, aut ad eum dilationis terminum quem cause natura poposcerit deducantur.

(*a*) In edit. Veneta ann. 1690 *deferentibus*.

(*b*) In edit. Veneta *per curie presidem*, quod melius videtur, dum supra jam legatur *de curia nostra*.

(*c*) In edit. Veneta *propterea*, rectius.

Digitized by Google

LIBER I, TITULUS LXXVII.

De sententiis in scriptis ferendis.

Ab omnibus regni nostri judicibus (*a*), quemcumque dignitatis gradum aut jurisdictionis obtineant, observari precipimus quod omnes sententias definitivas in scriptis proferant. Quod si forte facere neglexerint, nullius momenti verbales et non scripte sententie reputentur. Ipsi quoque de suo damnum quodlibet et expensas litigantibus resarcire cogantur.

LIBER II, TITULUS XLVI.

De expensis.

Divorum principum predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, universaliter omnibus judicibus nostris injungimus ut victoribus victos, quos ignorantie causa probabilis et evidens non excusat, condemnare debeant in expensis, sicut eas volunt de facultatibus propriis elargiri. In victoris sane judicio ponimus utrum expensarum ipsarum quantitatem nulla taxatione judicis muniendam probationibus dilucidare voluerit, vel proprio sacramento firmare, proinde judicialis taxationis arbitrio moderandam.

LIBER I, TITULUS LVII.

Ne filius pro patre vel contra, vel frater pro fratre [*teneatur*].

Patres pro filiis et e contra, preterquam in crimine majestatis, fratres pro fratribus aut pro conjugibus conjuges in dotibus aut in dotalibus (*b*) suis dispendium minime patiantur; nisi forte patribus, filiis, fratribus aut viris exulibus vel forsitan fugitivis aut forjudicatis presentes alimoniam subministrent publice vel occulte : quo quidem casu bona per excellentiam nostram dimissa presentibus publicentur (1). Patribus ta-

(*a*) Ap. Carcanum *fidelibus*, male.

(*b*) Alias *dotalitiis*.

(1) Cf. supra, lib. II, tit. VIII, p. 82.

men, humanitate nobis suadente, permittimus, cum ipsorum filii pauperes pecuniarias penas eludunt et sunt corporaliter puniendi, sicut omnes qui propter paupertatem pena pecuniaria puniri non possunt, penam pecuniariam exsolvendo corporali filium liberare. Non tamen ipsos ad hoc coarctamus invitos.

---

§ II. Constitutiones super potestate capitaneis et magistris justitiariis commissa et super crimine corruptelae.

(Constitutio *Capitaneorum* deest in Palatina, Lindebrogii et Lugdunensi editionibus, sed erat in libris Andreae de Isernia et Matthaei de Afflictis, exstatque in edit. Veneta, in Neapolitana Suganappi et ap. Carcanum; plena tamen additionibus et nimium vitiata. Libentius crediderim hanc fuisse promulgatam apud Fanum, mense aprili 1235, dum imperator Allemaniam ingressurus curiam solemnem de statu regni ibi celebraret.)

LIBER I, TITULUS XLIII.

De officio capitaneorum et magistri justitiarii.

Fridericus, etc. Capitaneorum autem (*a*) et magistrorum justiciariorum (1) officium tale erit : circuire provincias sibi decretas et in dies solemnes curias in locis et terminis, prout eis melius videbitur, expedire (2); cognoscere de magnis maleficiis, videlicet per universitates

(*a*) Ex hac voce *autem*, liquet quoddam hujus constitutionis initium vel prooemium extitisse, postea sive omissum, sive in alium locum perperam transpositum.

---

(1) Non agitur de magistro justitiario magnae curiae qui unus erat pro toto regno, sed de praefectis praecipuis, speciali officio fungentibus. Anno videlicet 1240 duo aderant in regno, scilicet Andreas de Cicala, capitaneus et magister justitiarius citra portam Roseti ad fines regni, et Rogerius de Amicis, capitaneus et magister justitiarius a porta Roseti usque Farum et per totam Siciliam. Cf. etiam quid scribat imperator Andreae de Cicala, 3 maii 1240 apud Ortam per Petrum de Vinea. *Regest. fol.* 3. Errat omnino Matthaeus de Afflictis, dum putet hic agi de capitaneis statutis in locis ubi justitiarii non aderant, sicuti capitaneis Gaietae, Aquilae, etc.

(2) De his solemnibus curiis, cf. constitutionem datam Messanae, januario 1234, qua in

Digitized by Google

locorum, comites et barones publice perpetratis. Super illis etiam maleficiis cognitionem suam impartiri debebunt que presentibus ipsis in locis vel parum ante adventum ipsorum contigerit perpetrari, ut tamen si regionum justitiarii sint presentes, causas ipsas per eos sine mora qualibet audiri jubeant et finiri. Absentibus autem justitiariis, si periculum evidens in cognitionis dilatione previderint, consequentes audiant et definiant questiones. Alioquin vero (*a*) officialium ordo servetur; ad justitiarium primum, deinde ad magistros justitiarios et demum in defectum omnium ad magnam curiam nostram volumus proclamari. Appellationes a sententiis inferiorum judicum ad ipsos volumus interponi et ab ipsorum sententiis ad nostram audientiam provocari. Ex generali etiam commissione nostra specialiter eis facta committimus magistris justitiariis antedictis ut, nobis circa imperii nostri partes extra regnum agentibus, appellationes a sententiis justiciariorum seu quorumlibet inferiorum judicum ad nostram audientiam interjectis (*b*) ipsi suscipiant et prout viderint de jure decidant; ita quod nulli nostrorum fidelium liceat occasione appellationis ad auditorium nostrum facte adversarios suos extra regnum expensis et laboribus fatigare, nisi forsitan super crimine lese majestatis vel super eo crimine de quo condemnatus vitam vel membrum amitteret vel forsitan exularet, aut exilii judicio statum aut omnia bona sua vel majorem partem ipsorum deberet amittere condemnatus, appellationes ad nos contingeret interponi. Tunc enim in electione esse volumus appellantis utrum ad presentiam nostram adire voluerit vel cupierit ipsorum judicium experiri. Querimonias etiam que fient contra justitiarios regionum, secretos camere, castellanos, procuratores demaniorum nostrorum et alios officiales audiant et ex officio suo ipsorum excessus et negligentias puniant, et interdum defectum eorum juxta subscriptam formam, prout expedierit, supplere procurent. Specialiter

(*a*) Sic emendamus ex Carcano. In impressis *non*, male.

(*b*) Nonne melius *interjectas?*

---

regno ordinatum erat quod bis in anno certis temporibus et locis deberent fieri solemnes curiae, in quibus certi intererant et ibi proponebantur querimoniae.

autem si castellanos vel procuratores demaniorum seu animalium nostrorum, et custodes defensarum nostrarum inveniunt per fraudem vel manifestam negligentiam male sibi commissa tractasse, ipsos capiant de personis, et nobis significent transgressionem ipsorum, ut inde fieri mandemus prout nostro beneplacito residebit. Ut tamen castellanos de nostra conscientia constitutos (*a*) de castris non amoveant sine causa, quorum aliquem si (*b*) ex predictis causis removeri contigerit per eosdem, remoti delictum et substituti nomen nobis significent seriatim, ut de substituto ipso aut de substituendo alio mandatum de scrinio conscientie nostre procedat. Industriam, sollicitudinem et diligentiam castellanorum nostrorum que in conservandis et medicandis (*c*) castris et demaniis nostris habuerint, per ipsos celsitudini nostre frequentius volumus intimari, ut quemadmodum injustos et iniquos penis affici, sic bonos et justos imperialibus premiis volumus decorari. Predictis preterea magistris justiciariis et capitaneis nostris injunximus ut si invenerint aliquem officialium nostrorum per gratiam aut odium manifestum justitiam detraxisse, seu pecuniam seu jojectas seu canes aut accipitres aut aliquid aliud preter esculentum aut poculentum quod ad plus duobus diebus semel in anno tantum sibi sufficiat, recepisse, (ut tamen a litigantibus nihil omnino nec esculentum recipiat (1);) si de jurisdictione sua ab aliquo litigante receperit, cum infamia privatus officio per ipsos bonorum suorum omnium infiscatione (*d*) mulctetur; ceterum si de aliis non litigantibus qui tamen de jurisdictione sua sint, officialis receperit aliquas res, [re] accepta domino restituta, in quadruplum fisco nostro damnetur.

(*a*) Ap. Carcanum *destitutos*, male.

(*b*) Ibidem *qui se*, nec melius.

(*c*) *Mediandis* proponit Carcanus, se ad Cangium referens, verbo *mediare*. *Medicandis* vero nitidiorem sensum exprimit.

(*d*) Sic corrigimus, dum in impressis legatur *per ipsorum bonorum. . . . . infiscationem.*

(1) Ita in hoc casu poculentum tantummodo permittitur. Cf. tamen quid infra statuatur de esculento et poculento infra duos dies consummando, p. 495.

Digitized by Google

LIBER II, TITULUS LI (1).

De pena illorum qui corrumpunt et corrumpuntur.

Litigator autem qui judicem aliquem dando corruperit vel corrumpere promittendo voluerit, etiam si bonam causam habeat, in ipsa succumbat. Hoc idem in eisdem capitaneis et magistris etiam justitiariis (*a*), si contra predictam prohibitionem nostram receperint aliquid, volumus observari. Et ut in talibus quelibet omnibus delinquendi materia subtrahatur, edicimus ut officialis cui in corruptelam sui promissionem fieri contigerit, promittentis nomen et promissi etiam quantitatem et modum nobis vel alicui per quem ad nos notitia facti perveniat, studeat nunciare (*b*).

LIBER II, TITULUS L, PARS III.

[*Nova constitutio.*]

Corruptele crimen presenti sanctione publicum omnibus esse decernimus, ut accusandi vel deferendi quoslibet de donatione vel promissione corruptos quibuslibet libera licentia concedatur; promissa pecunia de corruptione legitima probatione convictis in premium detur deferentibus vel accusantibus corruptelas : videlicet ut si certum quid officialem aliquem in corruptelam sui recepisse vel pollicitum admisisse constiterit, denuncians vel accusans, accusatione vel denunciatione probata, tantumdem ab officiali recipiat quantum sibi promissum fuisse constiterit vel ab ipso receptum. Ceterum si incertum sit quid sibi promissum extiterit vel receptum, penam pollicitationis incerte pro qualitate personarum et cause arbitrio permittimus judicantis. Verum si promissor aut

(*a*) Ap. Carcanum et in impressis : *in eisdem magistro justitiario et justitiariis;* inepte tamen et ad fidem constitutionis *Capitaneorum* corrigendum.

(*b*) Recte. In constitutione tamen praelaudata *precipimus nuntiari;* forsitan *procuret nuntiari.*

(1) Hic titulus nihil aliud est nisi finis constitutionis *Capitaneorum*, quae sic discerpta alias repetitur. Unde iterum atque iterum monendum quam levi judicio primi amanuenses codices suos disposuerint.

Digitized by Google

dator infra triduum denunciare data vel promissa distulerit, tantumdem quantum ab eo datum vel promissum constiterit, fisco nostro componat.

---

§ III. Constitutiones super numero officialium et tempore officii; super rationibus ab eis exhibendis; quomodo annui judices se gerere et quibus durante officii sui tempore abstinere debeant.

(Constitutionem *Occupatis*, cujus initium inseritur inter *Epistolas Petri de Vineis*, lib. V, cap. 136, una cum sequenti circa mensem septembrem anni 1239 promulgatam fuisse credimus. Hoc enim convenit cum chronico Riccardi de Sancto Germano, et etiam cum *Regesto* sub dato 14 novembris 1239, ubi legitur: « Enormis insinuatio majestatis nostre nuper pulsavit auditum, ... videlicet quod *edicti nostri novissimi super creatione annalium judicum* fructus non servatur in civitate nostra Salerni. »)

LIBER I, TITULUS XCV.

De numero officialium et infra quod tempus eorum administratio duret.

Fridericus, etc. Occupatis nobis circa totius reipublice nostre curas, et deliciosum nihil aut modicum valentibus cogitare (*a*), non sunt laborum additamenta, sed requies, que de componendo statu regni nostri Sicilie cogitamus : utpote cum inter alia, que juribus nostris paterne successionis reliquerit debitum, vel fortune felicitas acquisitionibus postmodum aggregavit, regnum ipsum pre ceteris velut electum quoddam viridarium inter agros, cura precipua colere disponamus. Ad illud potissime satagentes, ut eradicatis in totum amaritudinis fructibus et nocivis, in eo pacis et justicie robora sic affluenter, sic provide nutriantur, ut sit admirantibus omnibus similitudinis speculum, invidia principum, et norma regnorum; et cum statum pacificum populorum justicia roboret et ordo decoret, id ordinarium fore providimus ordinare justiciam, quam copiose mandavimus regni nostri fidelibus ministrari; ut non

(*a*) Ap. Carcanum simpliciter *cogitantibus*.

Digitized by Google

minus ordo quam copia sacrum et providum voluntatis nostre propositum preconizet. Ad cujus consummationem cura perspicua laborantes, necessarium duximus (*a*) officialium omnium per quos justitia colitur et culta petentibus ministratur, taxare tempus officii et numerum prefinire, ne vel confusio numeri pluribus prestet prede materiam, vel infinitas temporis grassandi licentiam tribuat longiorem. Statuimus igitur ut per provincias singulas que certis justitiariatuum et camerariatuum terminis limitantur, non plures quam unus justitiarius et unus magister camerarius ordinetur : quorum justitiarius quilibet judicem unum continuum et notarium unum actorum habebit. In civitatibus singulis unum tantummodo bajulum et judicem unum qui causarum cognitionibus presint, juxta premissam nostre mansuetudinis formam, per magistrum camerarium et tres judices qui gesta conficiant (1) per nostram excellentiam volumus ordinari (2), civitatibus Neapolis, Messane et Capue tantum exceptis, in quibus propter contractuum multitudinem quinque judices et octo notarii creabuntur; ita quod nullus magister judex (*b*) aliquatenus sit in regno. Horum officialium omnium tempora, preter notarios qui ubique terrarum perpetui statuuntur, anni circulo precipimus terminari, nisi vel eminens administrationis industria vel substituendi defectus nobis aliquando quibus solum ordinationem justitiariorum ubicumque fuerimus reservamus, temporis spatium de necessitate suaserit prorogandum.

[*Nova constitutio.*]

Volumus et presentis legis edicto sancimus ut juxta formam juris an-

(*a*) Hic sistit fragmentum seu potius prooemium quod inter *Petri de Vineis epistolas* inseritur.

(*b*) Sic emendamus. Apud Affllctum et Carcanum *magister justitiarius*, minus recte. In quibusdam enim locis aliqui judices superiorem sibi locum cum titulo *magistrorum* vendicabant.

(1) Ita corriguntur tituli LXX et LXXIX (p. 43 et 54), ubi statuitur ut tres bajuli sive judices et sex notarii ad plus in quibuslibet demanii locis ordinentur.

(2) Inde liquet magistro camerario creandi bajulos et judices causarum potestatem fuisse concessam, imperatori tamen reservatam ordinationem judicum actorum sive notariorum.

Digitized by Google

tiqui, post finitum officium justitiarii et camerarii degradati cum officialibus suis per quinquaginta dies apud substitutos continue commorentur, infra quos omnibus de jurisdictione sua licentia tribuatur defectum ipsorum in publicum producendi, quod contra mandata nostra vel fisci nostri commoda seu privatorum jura fraudulenter aut perperam processissent. Nec minus contra ipsos inquisitiones juxta solitum morem cum omni diligentia fieri mandamus, et demum si per inquisitionis officium vel delationes aliquorum officialis inventus fuerit culpabilis aut dolosus, preter damna que per ipsum nobis aut subditis integre volumus resarciri, transgressionis sue penam quam nostra sententia dictaverit sustinebit. Nec illud omittimus quin, sicut maleficos et injustos querelarum vocibus accusari et censure nostre vigore coerceri mandamus, sic justissimos et vigilantissimos judices publicis acclamationibus collaudari et munificentie nostre premiis decorari velimus.

Judices ubique locorum, remotis perpetuis hactenus ordinatis, ut est dictum, annui viri industres (*a*) et fideles et jurisperiti, si unquam in regno reperiantur idonei, decernantur. Quod si competitores habeant forsitan promovendi, de utriusque meritis testimonio suorum concivium et examinatione sollicita doceatur; ita quod in officiali promovendo discretio et inremota (*b*) justitia conservetur. De notariorum et judicum manibus in conficiendis publicis documentis veritas intemerata procedat, in quibus si falsitas fuerit vel corruptela probata, non mutilationis manus ut olim, sed decapitationis supplicium ultimum temerarius patietur. Judices secundum formam constitutionum nostrarum et jura communia et consuetudines approbatas que constitutionibus non resistunt, de purissima conscientia causas audiant, ut tamen ipsas nec alibi quam apud bajulos civitatum in curie nostre pretorio ubi consueverunt jura decerni, vel apud alium qui jurisdictioni preest, discutiant et audiant questiones. Quod enim judicibus supradictis ordinariis jurisdictiones concedimus

(*a*) Sic in prima editione; sic quoque Afflictus legisse videtur. In aliis *annui viri illustres*.

(*b*) Id est, ut arbitramur, *inconcussa*. Alias disjunctim *in remota*, *in remoto*, atque etiam apud Afflictum *in remora*, male.

Digitized by Google

infra annum, non sic accipi volumus ut apud ipsorum pretoria ex litigantium forte consensu questiones accipiant, sed in presentia bajulorum nostrorum ipsas examinent et fine debito studeant terminare.

LIBER I, TITULUS XC.

De prohibita curialium commercione.

Communiter tam justitiarii quam camerarii et omnes alii provinciarum annui officiales ab infrascriptis abstinere debebunt : videlicet quod durante predicto tempore magistratus eorum, nec ipsi nec judices aut notarii nec familiares eorum mutuum in provinciis sibi decretis a suis provincialibus in pecunia vel rebus aliis accipiant, domos vel quascunque possessiones ab eis in provincia ipsa nullo prorsus alienationis titulo, etiam in emphyteutico jure accipiant; matrimonia sive sponsalia nec etiam contractus ineant cum eisdem. Pena publicationis bonorum omnium et amissionis officii cum infamia officialibus contra hoc venientibus imminente, qui preterquam de victui necessariis, quemcumque contractum de mobilibus vel immobilibus seu se moventibus cum hominibus inierint sue jurisdictioni subjectis. Creditoribus autem, alienantibus ac contrahentibus omnibus (*a*) publicationem pecunie mutuate et conventi pretii, dotium etiam promissarum quarumlibet, deinde rerum in contractu venientium eis imminere cognoscant.

---

§ IV. Constitutiones speciales super justitiariis regionum et super forma ab eis in criminalibus observanda.

LIBER I, TITULUS LI.

De justitiariis, assessoribus et actorum notariis ordinandis et de officio justitiariatus.

Fridericus, etc. Justitiarii per provincias statuantur qui non sint de

(*a*) Sic in omnibus : ad meliorem tamen sensum accedet si quis legerit : *Creditores autem, alienantes ac contrahentes omnes, etc.*

provinciis quas sibi munificentia nostra decreverit oriundi, nec in eis habeant incolatum, nec majorem fortunarum suarum partem statuerint ut assolet in eisdem, nec ibidem per se aut filios suos, presertim acceptis in dotem rebus immobilibus, contraxerint parentelas. Assessores etiam et actorum notarios de decretis sibi provinciis oriundos vel qui in predicta causa fuerint, eisdem saluberrima provisione negamus. Et illud adjicimus ut post assumptum officium, originarios sive municipes in destinatis sibi provinciis in familia non assumant; nec ante magistratum susceptum assumptis de criminibus et offensis contra eos ante suum officium perpetratis justitiam audeant ministrare; nec adversarios eorumdem ad querelam ipsorum coram sua presentia venire compellant; nullo per hoc prejudicio familiaribus suis conqueri vel accusare volentibus in causis quarum cognitio presenti nostra constitutione differtur, in posterum generando. De criminibus autem, violentiis et injuriis illis post assumptum officium illatis, de quibus ad eos cognitio pertinet, eis sicut omnibus de jurisdictione sua justitiam ministrare procurent. Deinde generaliter prohibemus ut in civilibus causis, preterquam de feudis non quaternatis seu parte feudorum ipsorum, nec principaliter nec per appellationem officium suum aliquatenus interponant (1).

LIBER I, TITULUS LII.

Qualiter justitiarii se gerere debeant in provincia sibi decreta.

Justitiarii non per calendas, ut assolent hactenus, sed continue curias per se vel per alios judices suos quibus nihil aliud quam audientia questionum debebit committi, regere debeant, causas audiant et decidant; civitates et loca suarum jurisdictionum continua discursione perquirant; provincialium dispendiis, ipsos ad remota loca propter justitiam non vocando, quanto salubriter poterunt, parcituri. Flagrantia maleficia non ulterius protrahant, sed ipsa in locis in quibus ea perpetrata repererint

(1) Cf. supra lib. I, tit. XLIV, p. 47. Cognitionem civilium causarum quae in certis casibus ibidem justitiariis permittitur, nunc generaliter prohibetur.

Digitized by Google

punientes, maleficos, ut puta famosos latrones et fures qui maleficia sua nulla nequeunt tergiversatione celare, publicorum itinerum aggressores seu quoslibet recentes et publicos homicidas, per nemora forsitan fugitivos vel aliter latitantes ob conscientiam criminum patratorum, per se interdum, interdum per alios, expensa etiam si viderint expedire de curie nostre pecunia, diligentissime perquisitos, nullis dilationibus seu accusationum solemnitatibus expectatis, si deferentes vel accusantes defuerint, de provincia pena legitime severitatis extirpent. Nec presumptioni temerarie per nos nostrorum officialium credatur attribui id quod officii sui debito ad plenitudinem sue fragilitatis (*a*) adjungent (1).

Causas alias ordinario judicio audiant et examinent et decidant infra trimestris temporis spatium (2), nisi forsitan instructionis desiderate necessitas, veluti si probationes ex longinquo petantur, terminum exigat longiorem; super hoc specialiter a petente dilationem sacramento prestando quod non causa differendi judicii, sed ex necessitate prescripta dilationem exposcat. Nec illud omittimus quod occasione faciendarum curie provisionum pro sententiis proferendis, partes ultra debitum non aggravent nec ipsas per provincias trahendo post curiam propter hoc laborum et sumptuum vexatione fatigent; sed illas provisiones reputent competentes quas judex et notarius actorum, qui apud eos fuerint, sufficere pro negotiorum qualitate censebunt. Predicti autem actorum notarii et non justiciarii, sicut olim, pecuniam omnem, tam ex provisionibus quam undecunque ex justitiariorum officiis proventuram, ad generale pondus regni recipiant et conservent. Et de receptis infra diem recep-

(*a*) *Sue potestatis* Pecchia proponit.

---

(1) Vult enim imperator ut justiciarii contra latrones *ad modum belli* procedant, neque in hoc casu reprehendi formident.

(2) Notandum quid Andreas de Isernia moneat super hac constitutione : « Utraque, inquit, haec (sc. *Omnes bajuli*) et illa (sc. *Causas alias*) novae factae sunt Fogiae post excommunicationem hujus Frederici imperatoris, sicut referebant antiqui jurisperiti de regno. » Unde illam et hanc editas fuisse arbitramur mense decembri 1241 vel januario 1242 dum imperator Foggiae moraretur. Ad hoc enim tempus Riccardus de Sancto Germano inquisitiones generales de quibus infra agitur memorat; quod omnino ad sensum nostrum vertit.

tionis gratis faciant (*a*) apodixam et ipsi recipiant antapocham de solutis.

LIBER I, TITULUS LIII.

De inquisitionibus faciendis.

Inquisitiones generales per provincias et partes provinciarum, ubi et quando expedire videtur (*b*), justitiarii facere non omittant de malefactoribus et hominibus male conversationis et vite, per se ipsos, judices (*c*) et notarios suos et non per alios simplices quibus eas hactenus committebant. Comminabuntur autem predicti justitiarii et comminationes observent quod quicunque de his qui presentes coram eis fuerint vel ad quorum notitiam edictum de inquisitione generaliter facienda pervenerit, super injuriis suis querelam aut de mala fama seu conversatione cujuspiam vel de aliquo crimine vel maleficio in provincia patrato veritatem non deposuerit vel querelam, donec instantia faciende inquisitionis duraverit, de maleficiis usque ad illum diem in antea perpetratis et injuriis sibi illatis ut accusator, delator aut testis nullatenus exaudiatur; nisi justam et probabilem timoris vel ignorantie causam ostenderit repellendus, propter quam edicti tempore conqueri vel inquisitionem deponere minime potuisset.

Hi qui per inquisitiones hujusmodi generales inventi fuerint notabiles, si tale quid contra eos probatum appareat per quod mori non debeant nec membro aliquo mutilari, et per decem aut plures quos justiciarii communi fama bone opinionis invenerint convicti fuerint, utpote quod rixatores et frequentes delatores armorum contra constitutiones nostras, quod lusores publici taxillorum aut tabernarum frequentatores, quod ultra facultatem suorum proventuum non ex mercationibus aut artificiis largiorem quam debeant vitam ducunt; ad publicum opus deputentur ad tempus, per litteras justitiarii magistro operum designandum et ejusdem justitiarii arbitrio juxta probatorum (*d*) et persone qualitatem provida

(*a*) In editis *satisfaciant*, minus recte.
(*b*) Alias *viderint*.
(*c*) Forte melius *per sui ipsorum judices*.
(*d*) Alias *juxta probata*.

Digitized by Google

deliberatione taxandum. Quo transacto, cum litteris sui magistri (*a*) operis teneatur dare gratis licentiam condemnatis ad propria revertendi : quod generaliter servandum censemus in omnibus qui ad opera publica deputantur, ut designetur eis condemnationis tempus et causa, vel si qualitas delicti poposcerit quod in perpetuum condemnati publicis operibus deputentur, hoc ipsum et sententia presidis manifeste contineat (*b*) et littere super hoc misse manifeste declarent. Ceterum si tale quid contra eos probatum extiterit ex quo personam amittere debeant vel membrorum mutilationem incurrere aut perpetuo carceri mancipari (*c*), tunc si quidem is contra quem inquisitio facta fuerit, levis vite et male conversationis fuisse non probabitur vel per quoscunque maleficus non probetur, inquisitionis ei copia tribuatur. Porro si per ipsam inquisitionem aut alias contra eum factas levis conversationis et vite probetur, aut quod propter manifestam fugam ex maleficio fuerit forbannitus, et per decem bone opinionis viros non inimicos delati probatum fuerit contra eum, facta sibi copia nominum tantum omnium testium, non dictorum (*d*) nec eorum specialiter qui contra ipsum inquisitionem deponunt, ad condemnationem ipsius juxta qualitatem probati criminis procedatur. De specialibus autem causis et ad singularium delationes contra singulares personas factas, ad inquisitionem in criminibus faciendam minime procedatur, preterquam in crimine lese majestatis contra personam nostram vel nostrorum collateralium perpetrato, vel nisi speciale conscientie nostre mandatum super inquisitione facienda procedat. In quibus causis dandam vel negandam inquisitionis copiam, plene per inquirentem ad nos relatione premissa, certificatum nostre majestatis arbitrium provida deliberatione mandabit : que quidem relatio continebit conditionem deferentis atque delati et nomen et famam ipsius, criminis etiam qualitatem, testium numerum et

(*a*) Forsitan *suis magister*. Sic Sarayna, et nostra sententia melius.

(*b*) Hunc locum *et sententia presidis, etc.*, refellit Carcanus, dum quaerat quid velit hoc nomen *praesidis*, tempore Friderici inauditum. Infra tamen denuo usitatur neque aliud significat nisi *justitiarius regionis*.

(*c*) Alias *macerari*.

(*d*) Forsitan *delatorum*.

Digitized by Google

ipsas depositiones eorum, famam etiam eorumdem quatenus ipsam per inquisitionem summariam justitiarius scire potest. In predictis casibus et omnibus aliis in quibus inquisitio facienda est, secundum jura communia vel nostri nominis sanctiones exprimendum est delatoris nomen et omnes solemnitates servande sunt, que veteribus legibus et nostris constitutionibus super delationibus et delatoribus editis continentur, preterquam in eo tantum crimine lese majestatis nostre quod personam nostram directo contingit, vel nisi justa et probabilis per eum apud quem delatio facta est videbitur causa timoris, propter quam delator in publicum prodire formidet. Nihilominus tamen inquisitor hoc casu omnia teneatur ex officio suo circumspecte prospicere, tam in personis productorum testium quam in omnibus circumstantiis aliis, et specialiter quis sit zelus delatoris aut causa que ipsum ad ipsam delationem inducat; et generaliter sic omnia ex officio suo suppleat inquisitor quod in aliquo ignorantia predictorum delato nocere non possit; que si per inquirentem perspicaciter observata non fuerint, inquisitio irritetur denuo facienda, ipso nihilominus de dolo vel negligentia, prout ex arbitrio nostro processerit, condemnando.

Item dira et dura observatio que hactenus obtinebat, videlicet quod si per inquisitionem contra aliquem factam per decennarium numerum probabatur, non dabatur copia reclamandi, nolumus (*a*) quod de cetero observetur; sed et per quemcunque (*b*) probetur, copiam habeat accusatus et in suis defensionibus audiatur.

Presenti lege sancimus ut nec magister justitiarius curie nostre nec alii justitiarii regionum accusatores aut criminum delatores aliter ad judiciorum suorum ingressum admittant, nisi prius vinculum inscriptionis accipiant, prout veteribus legibus est inductum, ut desistentie penam atque calumnie in calumniantes et desistentes constanter observent.

(*a*) In Palatino *preter verum nolumus*.

(*b*) In edit. Veneta additur *et quoscunque*.

Digitized by Google

LIBER I, TITULUS LIV.

Ut justitiarii et universi officiales seu ipsorum familia nihil a litigantibus recipiant.

Apud justitiarios regionum et omnes alios inferiores magistratus et judices difficultas et ordo cancellarie quem specialiter in magna curia nostra servare mandavimus, nullatenus observetur, nisi quoad hoc ut nec ipsi nec officiales aut familiares eorum aliquid ab impetrantibus seu litigantibus omnino recipiant, nec esculentum nec poculentum etiam infra triduum consummandum. Quod si contra presentem constitutionem nostram aliquid recepisse fuerint dilucida probatione convicti, si quidem pecuniam, equos aut quelibet animalia, arma vel hujusmodi pretiosa a litigantibus aut non litigantibus vel impetrantibus, preter esculentum et poculentum quod infra duos dies consummandum proximos, semel tantum dum in loco permanserint, recepisse sufficiat (1), et si a litigantibus aut impetrantibus esculenta et poculenta seu jojectas aut deductiones recepisse vel promissiones de eis admisisse probentur; spoliati honoris cingulo cum infamia, eorum que in donatione vel promissione receperint, tanquam manifesti fures, quadruplum curie nostre componant.

LIBER I, TITULUS LV.

Ut justitiarii habeant certos advocatos.

Justitiarios regionum certis et designatis advocatis in curia sua volumus esse contentos; sed omnibus qui in jurisdictione sua advocationis officium (*a*) receperint, coram se postulare permittant.

Presides provinciarum de feudis non quaternatis et rebus feudalibus que curia nostra tenet, nisi destitutiones nobis specialiter mandantibus facte sint, jure suo cognoscant, instituto procuratore pro parte curie

(*a*) Hic in aliis additur *a curia nostra*.

(1) Cf. quid supra de re eadem edictum fuerit in constitutione *Capitaneorum*, p. 184.

Digitized by Google

nostre et presentibus fisci patrono ac procuratore rerum curie nostre qui in provincia commorantur, et usque ad calculum sententie definitive perducant; deinde causas instructas, dato parti petitoris peremptorio termino, ad nostram curiam transmissuri (1).

Justitiarii de cetero non compellant sibi continue bajulos locorum assistere, cum discreta sint eorum officia, nec unius exercitium debeat per alium impediri.

LIBER I, TITULUS LVII, PARS II.

Justitiarios regionum, prout predecessorum nostrorum regum Sicilie constitutionibus est inductum, solicitos esse volumus et devotos ut magistris camerariis, bajulis et aliis officialibus, cum per eos extiterint requisiti, consilium et auxilium, prout ad jurisdictionem suam pertinet, debeant impartiri (2). Ceterum ad hoc ut justiciarii ipsi cum personis sibi per nostram curiam deputatis in dispendium rei familiaris suis laborare dispendiis non cogantur, per speciales et sacros nostre mansuetudinis apices, prout status cujuslibet pro tempore fuerit, statuemus eisdem in expensis annalibus et sufficientibus provideri.

LIBER I, TITULUS LVI.

De transactionibus.

Priusquam (*a*) citate partes coram justitiario compareant, liceat ipsis legitimas conventiones et transactiones inire (3), preterquam in enormibus injuriis, ex quibus illas tantum reputari censemus enormes que per jura communia designantur atroces.

(*a*) Sic in Palatino et ap. Afflictum. In caeteris vero *postquam*, minus recte.

---

(1) Cf. infra constitutionem *Questiones omnes*, lib. I, tit. LXIII.

(2) Cf. supra tit. XXXVII et LXI, p. 37.

(3) Illud tantum in civili judicio permittebatur; cf. supra lib. I, tit. CV, p. 74. Nunc tamen ad criminale judicium extenditur.

Digitized by Google

§ V. Constitutiones speciales super magistris camerariis.

LIBER I, TITULUS LX, PARS II.

Magistros camerarios regionum assisias rerum venalium (1) per singulas civitates et loca volumus ordinare, cum consilio bajulorum aliorumque nostrorum fidelium loci quos ad hoc viderint oportunos.

LIBER I, TITULUS LXI.

Presenti lege decernimus ut officium quod per regias constitutiones et nostras dohane de secretis et magister questorum hactenus exercebant (2), a porta Roseti citra magistri camerarii exerceant in futurum (3).

LIBER I, TITULUS LXII, PARS II.

Magistri camerarii qui per quorumlibet presidatuum regiones amodo statuentur, non vendant bajulationum officia que ad administrandam justitiam pertinent in audiendis et definiendis questionibus, quarum ad eos cognitio ex jurisdictione vel mixto imperio pertinet (*a*) seu quarum (*b*) ad ipsorum officia veteribus legibus et nostris constitutionibus demandatur. Indignum namque fore decernimus ut sacratissimum quisquam justitie ministerium pretii venalitate mercetur; sed bajulationes easdem committant viris fidelibus et opinionis electe, prudentioribus et

(*a*) Ita corrigimus. In omnibus editis *partium*.

(*b*) Subauditur *cognitio*.

(1) De assisiis rerum venalium, vide quid dicat Riccardus de Sancto Germano, ad mensem septembrem 1232.

(2) Cf. supra tit. LXI, pars II, p. 36. Idem officialis nominatur quoque in Regesto *dohanerius*.

(3) Hoc edictum anno 1239 jam vim obtinebat quo inter caeteros Criscium Amalfitanum magistrum camerarium Aprutii nec non Johannem Cioffum magistrum camerarium a porta Roseti usque Farum invenimus. Unde videre erit tunc temporis officium secreti soli insulae Siciliae fuisse reservatum.

Digitized by Google

generosioribus ac ditioribus, prout locorum conditio ministrabit, qui sint de demanio nostro tantum. Per loca quelibet unum tantummodo statuant et non plures, adeo ut nec societatis occulte velamine predicte bajulationis officium a pluribus administrari permittant. Ex parvis autem civitatibus, locis et municipiis in quorum singulis bajulus unus, judex atque notarius nec sunt necessarii nec sine magno curie nostre dispendio causari (*a*) valeant, plura volumus insimul combinari, unius bajuli, judicis et notarii (1), qui non sint de ipsorum locorum aliquo municipes vel etiam oriundi, jurisdictione regenda; ut tamen non de uno loco ad alium advocent litigantes, sed per vices et tempora in quolibet locorum ipsorum sedeant, et ibidem, prout causarum qualitas et numerus exegerit, commorantes petentibus justitiam subministrent. Bajulorum processus per singulas civitates et loca frequenti discursione perlustrent (*b*); defectus ipsorum quos frequens et diligens inquisitio revelabit, suppleant et emendent. Quorum singulis judicem unum (*c*) de fidelioribus et prudentioribus loci de creatis a nobis aut creandis ab eis continuum adjicient assessorem, et notarium unum actorum similiter fidelem et cautum, ex his qui a nobis tabellionatus officium susceperunt. Qui (*d*) tam pro se per curiam nostram expensas statutas accipient quam pro predictis bajulis, judicibus atque notariis per loca quelibet ordinatis ordinata stipendia ministrabunt. Concedimus etiam magistris camerariis supradictis bajulos, judices atque notarios quos in non recipiendis officiis forsitan invenerint pertinaces, pignoribus captis vel per impositiones et exactiones mulctare (*e*), prout melius viderint expedire; et demum si hec contumacia clarior et pertinacia durior predictorum exegerit, per captionem personarum ad presentiam nostram nobis in regno morantibus, alioquin ad regionum justitiarios sub fida custodia mittendarum, ipsos ad subeunda

(*a*) Id est *litigare*.

(*b*) Scilicet magistri camerarii.

(*c*) Ap. Carcanum *Quorum singuli judices unum;* ex Pecchia locum emendamus.

(*d*) Agitur denuo de magistris camerariis.

(*e*) In editis *mulctarunt*, male.

(1) Cf. supra constitutionem *Occupatis;* quam haec nova strictius, ut ita dicam, restringit.

Digitized by Google

predicta publica munera coercere. A quibus etiam bajulis, judicibus et notariis in publico sacramentum recipient, secundum formam veteribus legibus et nostris constitutionibus comprehensam (1). Dohanas autem tam terre quam maris, forestagia, plateatica, passagia et alia tam vetera jura quam nova (2) curie nostre nostrorum fidelium fidei com-

(1) Vid. supra lib. I, tit. LXII, p. 44.

(2) Haec jura quae dudum notavit Andreas de Isernia, nunc amplius et fidelius exhibemus ex cod. 4625, ad cujus calcem adsunt *Constitutiones summarie et gabellarum regni Sicilie* tempore regis Roberti redactae; ubi legimus fol. 89 recto-verso:

« Sciendum est quod sint jura vetera et quod nova.

Jura vetera sunt hec :

Dohana.

Anchoragium.

Scalagium (sive scalaticum).

Jus thumini.

Portus et piscaria.

Bucceria vetus.

Jus affidature,

Herbagii, pascuorum, glandium et hujusmodi.

Jus cafise olei — non est ubique per regnum —.

Et passagium vetus.

» Jura nova secuntur :

Jus fundici, ferri, aczari, picis, salis.

Jus stature seu ponderature.

Jus mensurature.

Jus exiture.

Jus sete, tintorie, celandre, cambii, buccarie nove, imbratature.

Jus sepi.

Jus portus et piscarie de novo.

Jus decini.

Jus balistarum.

Jus resice majoris et minoris.

Jus cabelle auripellis.

Jus marium.
Jus stalle.
Saponis.
Mollendini galle.
} Non sunt ubique, sed in Apulia.

Jus lignaminum — non est ubique. »

Quaedam in *Appendice* ex eodem codice addemus, ad explanandum quid haec jura et praecipue nova significent.

Digitized by Google

mittere poterunt vel locare, prout melius fisci nostri profectibus viderint expedire.

LIBER I, TITULUS LXIII.

De questionibus inter fiscum et privatos movendis.

Questiones omnes inter fiscum nostrum et privatos movendas, tam personales quam reales, que non sint de feudis vel rebus feudalibus, cognitiones atque judicia magistri camerarii accipiant, et ipsas, adjunctis justitiariis cum contra fiscum agitur, et presente fisci patrono et instituto provido et fideli procuratore pro parte nostre curie, usque ad sententias examinatas, dato parti alteri peremptorio termino, per nuncium et litteras suas ad curiam nostram mittant (1). Ut tamen super quibuslibet debitis que a curia nostra petuntur et que consistunt in numero, pondere et mensura, hanc formam observent : videlicet quod non per instrumentum tantummodo, sed per testes qui numerationi naturali, mensure vel ponderi personaliter interfuerint, non pauciores quinque, si petita quantitas auri libram excedat, alioquin per legitimum numerum (2) petita probentur. Ceterum ad hoc ut ipsi magistri camerarii cum personis sibi per nostram curiam deputatis in dispendium rei familiaris suis laborare stipendiis non cogantur, per speciales sacros nostre mansuetudinis apices, prout status cujuslibet pro tempore fuerit, statuemus eisdem in expensis annalibus et sufficientibus provideri (3).

---

§ VI. Constitutiones speciales super officiis et salariis bajulorum, judicum, notariorum, advocatorum et apparitorum.

LIBER I, TITULUS LXVI, PARS II.

[*Nova constitutio.*]

Ad officium bajulorum precipue volumus pertinere contemptas assi-

(1) Vid. supra constitutionem *Presides provinciarum*, tit. LV, p. 495.

(2) Scilicet per tres testes. Cf. lib. II, tit. XXXIV, p. 406.

(3) Eadem scilicet formula quae supra pro justitiariis regionum, p. 496.

Digitized by Google

siarum penas super ponderibus et mensuris a venditoribus rerum et locatoribus operarum exigere (1) ac irremissibiliter extorquere; quas si in totum vel in partem dimiserint, de bonis suis procul dubio fisco nostro persolvent. Habebunt autem apud se bajuli predicti mensuras, pondera et assisias scriptas, per se ipsos et judices suos mense quolibet cum summa diligentia perquirendas, ne diu grassari valeant per ipsorum negligentiam transgressores. Penas bannorum etiam ab eisdem de consilio judicum et aliorum nostrorum loci (*a*) fidelium non ultra unciam ponendas (*b*) exigant et sine remissione recipere non omittant. De quorum bannorum numero fore censemus penas per ipsos partibus coram se litigantibus indicendas, que forsan irreverenter ad ipsos vel invicem insolenter in judicio litigabunt; que tamen pene quantitatem augustalis unius per vices singulas non excedant.

LIBER I, TITULUS LXIX.

De sacramento prestando a bajulis.

Bajuli locorum et judices publice super pura justitia ministranda sacramenta prestabunt, que prestanda per magistros camerarios premissa constitutio nostra decrevit (2). Illud tamen sacramento bajulorum expresse vidimus inserendum ut penas et mulctas veteribus legibus et nostris constitutionibus comprehensas, ab iis qui in eas inciderint, prout ad ipsorum jurisdictionem cause pertinere noscuntur, nulli omnino gratie et honori penitus deferentes, sine diminutione requirant et recipiant requisitas.

(*a*) In impressis hic additur *regni;* quod certe abundat.

(*b*) Sic emendamus ex cod. palatino, quem ipse Carcanus sequendum monet. In editis *puniendorum*, verisimiliter *ponendorum*.

---

(1) Vid. supra const. *Magistros mechanicarum*, p. 455.

(2) Cf. supra in veteribus constitutionibus, tit. LXII, p. 41, 42.

LIBER I, TITULUS LXXIII, PARS II.

[*Nova constitutio.*]

De questionibus quas inter homines prelatorum, comitum et baronum, in terris nostri demanii, prout assolet, habitantes, moveri contigerit, de quibus iidem prelati, comites et barones jurisdictionem aut curam habere noscuntur, volumus ut judex per nostram curiam pro tempore constitutus ad curiam prelatorum sive nobilium se conferat requisitus, causas ipsorum audiat et debito fine decidat; tam tricesima quam pena legitima sive mulcta per officium judicis inferenda inter curiam nostram, prelatos et nobiles supradictos, quorum vassalli litigantes extiterint, equaliter dividendis.

Ceterum si contigerit ex litigantibus alterum hominem esse demanii, tunc tricesima tota necnon et pena quam vasallum nostri demanii debere pati contigerit, ad bajulum nostri demanii redigentur; pena vero qua vasallus alterius punietur, prout in superioribus dictum est, inter fiscum nostrum et dominum condemnati personaliter dividetur.

Statuimus etiam ut si quando judex super examinandis questionibus ordinatus absens necessario fuerit vel adversa valetudine prepeditus, tunc si quidem longa futura fuerit infirmitas vel absentia judicantis, magister camerarius regionis statuat interim unum ex aliis judicibus civitatis et loci super conficiendis contractibus ordinatis, cui pro rata temporis in statutis expensis statuat provideri.

LIBER I, TITULUS LXXIV.

De salario bajulorum, judicum et notariorum curie.

Cum juxta providum et salubre consilium antiquorum viam precidere cupiditatibus cupientes (*a*), de camera nostra salaria bajulis, judicibus atque notariis exhibenda non injusta recompensatione providimus; ut (*b*) obventiones omnes que de tricesimis, penis legitimis seu

(*a*) Proponit Carcanus *cupiamus*, et recte.

(*b*) Intelligendum tamen *ita ut*.

Digitized by Google

judicialibus mulctis, bannis aut quibuslibet similibus [que] aliquibus nostris fidelibus inferuntur, bajulis seu judicibus ipsis obveniunt, integre nostris erariis applicentur; de quibus omnibus magistri camerarii per singulos menses cum bajulis diligentem rationem expurgent, et relictis sibi pro se, judice atque notario pro rata temporis statutis expensis, quod supererit pro curia nostra servent. Et ut cujuslibet peculatus via cuilibet precludatur et modus, providimus ut obventiones predicte sub infra scripta forma per prefatos bajulum, judicem et notarium recipiantur et recepte serventur : videlicet in scrinio uno tres claves diversas et foramen obliquum ad immissionem auri habente; quarum predictarum quilibet unam apud se retineat ubi percepta pecunia reponatur, quod nonnisi in presentia magistri camerarii per omnes predictos aut ipsorum aliquem valeat aperiri. Per singulos etiam menses quatuor a magistro camerario de bajuli, judicis atque notarii processibus inquiretur, et demum anno perfecto per generales inquisitores a nostra curia destinatos exactissima fiet inquisitio contra eos. Qui autem inventi fuerint per magistrum camerarium supradictum vel inquisitores culpabiles, videlicet quod odio vel amore, prece vel pretio alicujus justitiam facere petentibus denegassent aut per fraudem infra statutum tempus (1) justitiam facere detrectassent, vel quod sue jurisdictioni subjectos per venales sententias aut similibus aliis gravaminibus manifestis oppresserint, remissa inquisitione ad magnam curiam nostram, de perjurio (2) manus mutilatione mulctentur. Et si durante officio per camerarios in manifesta desidia inventi fuerint, non dolo, tertia parte mobilium puniantur. Et ad officium suum bajuli et judices predicti pertinere cognoscant malefactores in ipsis maleficiis deprehensos et forbannitos sine licentia curie redeuntes et scientes receptores eorum capere de personis, justitiariis assignandos. Ab aliis autem malefactoribus in terra presentibus fidejussores recipiant si eos dare potuerint, preterquam in criminibus exceptis (3),

(1) Scilicet bimestre. Vid. infra tit. LXXVI, et supra p. 47.

(2) Scilicet contra sacramentum suum veniendo.

(3) Exempli causa in crimine laesae majestatis.

aut si ipsos dare non potuerint, eos personaliter capiant, justitiariis similiter assignandos.

LIBER I, TITULUS LXXV.

De feriis et salariis judicum et notariorum instrumenta scribentium et subscribentium, et de eorum forma servanda.

Bajulos et omnes judices ac actorum notarios a mane usque ad vesperas, preter necessarias horas comestionis et somni, sui copiam omnibus prestare precipimus, officii sui partes petentibus omnibus prebituros, exceptis diebus nativitatis Domini, Paschalibus atque dominicis ac beate Virginis et Apostolorum festivitatibus dedicatis, in quibus et judices alii qui annales erunt se de audiendis et decidendis questionibus nullatenus intromittant; sed de contractibus et instrumentis conficiendis per notarios, prout est juris et moris, pro scriptionibus et subscriptionibus suis tarenum unum, si libram auri contractus excesserit, alioquin dimidium recepturi. Huic constitutioni salubriter providimus inserendum ut judices atque notarii infra hebdomadam a die quo fuerint de scribendo rogati, instrumenta scribere et subscribere teneantur; necessitate rogantibus imponenda statutum pro scribendis et subscribendis a curia nostra salarium exhibere, ac pena dupli salarii constituta (*a*) partibus, nisi priusquam fuerint instrumenta conscripta, de non scribendis eisdem sub attestatione solemni renunciationem emiserint, et judicibus atque notariis imminente, si infra terminum constitutum notarii sive judices instrumenta non fecerint, vel facta per eos non recollegerint qui rogarunt. Ceterum si casu contigerit judicem sive notarium prius in fata decedere quam instrumenta sint, prout ad eorum quemlibet pertinet, consummata, decernimus ut si quidem partes supersint vel ipsarum heredes quarum rogatu contractus iterum valeant celebrari, per competentis coercitionis modum, indictiones mulctarum videlicet aut pignorum captiones, ad reficiendos contractus per bajulorum officium compellantur. Que partes si forte defuerint, si quidem notarius qui gesta conscripserit integre vite, fame et opinionis extiterit et manus ejus qui schedam conscripserit nota sit aliis

(*a*) Ap. Carcanum *constituti*, minus recte.

Digitized by Google

judicibus atque notariis civitatis et loci; placet, idoneorum testium qui interfuerint duorum ad minus jurata testificatione recepta, per alium ejusdem loci notarium schedam eamdem recipi et instrumentum, prout est juris et moris, ab ipso conscribi, a judice qui contractui sive negotio se interfuisse fatebitur subscribendum, vel ab alio judice civitatis ejusdem, si forte primus extiterit humana sorte sublatus; qui tamen rei agende non se interfuisse describet, sed qualiter inter acta premortuorum judicum atque notariorum, testium depositionibus roborata, descripti negotii seriem recepisse (*a*) testetur. Ceterum ad hoc ut ipsi bajuli cum personis sibi per nostram curiam deputatis in dispendium rei familiaris suis laborare dispendiis non cogantur, per speciales et sacros nostre mansuetudinis apices, prout status cujuslibet pro tempore fuerit, statuemus eisdem in expensis annalibus et sufficientibus provideri (1).

LIBER II, TITULUS XLVII.

De salario pro scripturis sententiarum.

Pro scripturis et scriptoribus sententiarum recipiant bajulus, judex et notarius centesimam partem estimationis rei in litem deducte pro juribus eorum, equis inter eos portionibus dividendam et suis utilitatibus applicandam, quam ab actore vel reo recipiet (*sic*) qui sententiam ipsam ad sui cautelam voluerit in scriptis habere. Salarium autem predictum inter eas expensas computari censemus, quas prestandas fore prescripsimus a victo victori.

LIBER I, TITULUS LXXVI.

Infra quod tempus cause debeant determinari.

Omnes bajuli locorum et judices causas in eorum judiciis inchoatas infra bimestris temporis spatium a die citationis emisse definiant (2) :

(*a*) Sic : sensus vero *receperit* postulat.

---

(1) Cf. supra titulos LVII et LXIII, p. 196 et 200.

(2) Cf. supra tit. XLIV, p. 47. De tempore autem quo haec constitutio fuerit edita, vide quid supra notaverimus ad constitutionem *Causas alias*, p. 191, not. 2.

nisi probationes ex longinquo petantur, sacramento specialiter super hoc prestito per petentem, vel alia manifestissima causa sit, propter quam causa infra predictum terminum finiri non possit.

LIBER I, TITULUS LXXVIII.

De summaria cognitione contra gabellotos ferenda.

Auctoritatem etiam bajulis impartimur ut ad querelas nostrorum fidelium, summaria cognitione premissa, superexactiones restitui faciant et rapinas quas cabelloti, foresterii, plateарii, portionarii seu passagerii contra veterem formam aut contra nova nostre curie statuta (1) in fideles nostros exercent; superexactionis et rapine pena magistris camerariis qui predictos officiales instituerint reservata.

LIBER I, TITULUS LXXXV.

De salario advocatorum.

Hac edictali lege jubemus advocatos omnes pro eorum salariis, quandocumque ipsos in privatorum causis oporteat postulare, non amplius exigere vel a litigantibus stipulari quam sexagesimam partem cause pro qua suffragium spoponderunt, si res que petitur estimationem recipiat. Ceterum super his que non poterunt estimari, volumus advocatorum salaria judicis arbitrio definiri, quemadmodum cause status et etiam rei sacre (*a*) necnon et hominum, dum contra ipsos accusatio instituitur de tali crimine de quo convicti capitaliter puniantur, vel alias contra ipsos procedi possit juxta criminum qualitatem; preterquam in actione injuriarum, in qua volumus a tempore oblati libelli bajulos et judices advocatorum salaria pretaxare, et ceteris aliis his similibus que jura vetera prescripserunt.

(*a*) Locus mutilus vel certe obscurus videtur. Forsitan *causae status* hoc idem sonat quod gallico sermone dicitur *crimes d'État*.

---

(1) Scilicet contra jura vetera et nova quae supra memoravimus, p. 199, not. 2.

Digitized by Google

LIBER I, TITULUS XCIII.

De apparitoribus et eorum salario.

In civilibus causis bajulos et judices regni nostri formam hujusmodi volumus observare : videlicet quod ad petitionem agere volentis bajulus reum futurum citari faciet per apparitores suos qui jurent de veritate dicenda, de quibus unum aut duos, tres aut plures, prout qualitas loci exiget, habere debebit. Apparitori autem pro qualibet citatione infra civitatem aut locum facienda granum auri ab actore prebeatur; extra civitatem aut pro quolibet miliario granum unum (*a*). Et erit quelibet citatio bajuli peremptoria, continens terminum tertii diei in civitate, computatis die citationis et die quo sisti debebit in judicio. Extra civitatem vero, si citandus in eadem provincia fuerit, quarti aut quinti aut demum octavi; extra provinciam vero mensis unius, predictis diebus similiter computatis; his que per sacras nostri nominis sanctiones in citationibus per magistrum justitiarium curie nostre vel justitiarios regionum edximus, in suo robore duraturis (1).

---

§ VII. Constitutiones speciales super magistris procuratoribus et magistris fundicariis et super juribus curiae exigendis.

LIBER I, TITULUS LXXXVI.

De officio magistrorum procuratorum curie.

Fridericus, etc. Inter multas et arduas sollicitudines nostras quibus ordinata dispensatione disponere regno nostro satagimus, nostrarum rerum fiscalium curam, que velut res nostre quodammodo private censentur,

(*a*) Fortasse *tarenum unum;* nempe ex locorum distantia salarii diversitas.

---

(1) Cf. supra lib. I, tit. XCVI et XCVII, p. 63 et 64.

Digitized by Google

non improbabiliter vidimus collocandam; earum procurationibus personas idoneas preponere cupientes, per quas nobis sic jura nostra reddantur ut in eorum juribus fideles nostri propterea non graventur. Statuimus igitur ut per quemlibet presidatum unus magister procurator rerum nostrarum et unus magister fundicarius debeant ordinari, qui jura fisci nostri percipiant et percepta conservent. Qui etiam magister procurator videlicet per singulas jurisdictionis sue partes ad denunciationes fidelium delatorum vel nullis deferentibus etiam, si viderit expedire, inquisitionem facere studeat diligenter, et data possessoribus post inquisitionis copiam de jure suo contradicendi licentia, que ad jus curie nostre pertinere compererit, fisci nostri juribus studeat vendicare; ut tamen post causam sufficienter instructam et ad conscientiam nostram fideli relatione deductam si possessor in contradicendo perstiterit, non aliter ad occupandam possessionem manus extendat quam si super hoc de curia nostra mandatum receperit speciale. Predicta autem postquam revocata legitime fuerint, et alia que per predecessores officii revocata per curiam nostram repererit possideri, demania etiam et morticinia, excadentias, granaterias, piscarias, herbas aliminis (*a*), et generaliter omnia que per nostram curiam procurantur, ad procurationis sue sollicitudinem revocabit. Animalia autem curie nostre et omnes bestias et massarias per curatulos et alios qui prefecti pro tempore fuerint, cum diligentia debita faciat procurari, et ex eorum proventibus tam curie nostre quam castrorum nostrorum necessitatibus et utilitatibus, ad requisitionem provisorum super castrorum nostrorum provisionibus statutorum, faciat provideri. Stipendia autem que in pecunia numerata consistunt, castellanis et servientibus ac personis aliis statutis in castris per magistros camerarios regionum volumus ministrari.

LIBER I, TITULUS LXXXVII.

Forma qualiter notande sunt res fiscales.

Si quando forte contigerit a magistris procuratoribus locationes excadentiarum nostrarum per privatos et fideles nostros pro tempore postu-

(*a*) Scilicet *pascua*, ut monet Caesar de Perinis.

Digitized by Google

lari, in ipsarum locationibus formam hujusmodi volumus observari : videlicet ut procuratores prefati a locatione feudorum militarium, sive sint quaternata vel non, prorsus abstineant, et ab his que sunt castrorum nostrorum munitionibus vel nostris solatiis deputata; nisi super hoc de repetite conscientie (*a*) nostre scriniis mandatum receperint iteratum. In aliarum autem excadentiarum locationibus sic ipsos procuratores procedere presenti constitutione sancimus, videlicet ut de fide et conversatione petentis, conditione ac valore rei petite, quid scilicet ex ejus proventibus proveniat annuatim, per fideles nostros primitus instruantur. Et si petentem fidelem nostrum invenerint eumdemque bonum cultorem et frugi ac rebus suis salubriter ac perspicaciter disponentem, nec in offensionem vel malevolentiam alicujus locationem expetere supradictam, placet, tam subhastatione (*b*) quam aliis legitimis solemnitatibus observatis, quas et cautela juris antiqui et nostri regni consuetudo deposcit, consilio magistri camerarii provincie nihilominus accedente, expetitas excadentias locationis perpetuo jure concedi, et possessores earum quibus predicto modo concesse fuerint perpetua securitate gaudere. Ac si eorum aliquis ad cautelam majorem suam seu successorum suorum super locationibus ipsis confirmationem a nobis impetrare voluerit, idem magister procurator una cum magistro camerario supradicto sub sigillis suis, judicum aliorumque nostrorum fidelium loci qui super hoc consilium dederunt, per litteras suas curie nostre distincte describant locum, valorem, qualitatem et quantitatem rei locate, quid et quantum curia nostra de re ipsa perceperat annuatim, cujusmodi censum sive servitium percipere debeat de eadem, quid denique per locationem ipsam curie nostre utilitatis accrescat; ut ex eorum plena relatione perdocti deliberare possimus an predictam confirmationem concedere nobis expediat an negare. Ceterum ad hoc ut magistri procuratores ipsi cum aliis personis sibi per nostram curiam deputatis in dispendium rei familiaris suis laborare dispendiis non cogantur, per speciales et sacros nostre

(*a*) Ap. Carcanum *rei petite de conscientie*. Emendamus ex cod. 4624 A, cui consentit Pecchia.

(*b*) Ap. Carcanum *super subhastatione*. Delendum tamen *super*, quod abundat.

Digitized by Google

mansuetudinis apices, prout status cujuslibet pro tempore fuerit, statuemus eisdem in expensis annalibus et sufficientibus provideri.

LIBER I, TITULUS LXXXVIII.

De locatione demanii.

Auctoritatem magistris procuratoribus indulgemus demania nostre curie fidelibus nostris ad modicum tempus non ultra quinquiennium statuenda et ad certam fructuum partem, prout poposcerit qualitas temporum et locorum, colenda concedere. Paludes etiam et nemorosa loca que defensis nostris et publicis pascuis seu lignorum incidendorum usibus deputata non sint, cum indemnitate nostra necnon de consilio nostrorum fidelium extirpanda et colenda concedant, certis super his proventuum parte vel censu, prout melius expedire viderint, constitutis, veteri nullatenus diminuto. Que si, subhastatione et qualibet alia juris solemnitate servata, predicto modo fuerint etiam in perpetuum colenda concessa, etiam perpetuo jure subsistant, presertim cum a nobis seu successoribus nostris iidem procuratores locandi paludes et nemora supradicta nacti fuerint pro tempore potestatem; nec auctoritate nostra deceptos se doleant possessores, et laborum suorum et sumptuum incommoda pertulisse tristentur. Que in preteritis (*a*) locationibus etiam per procuratores nostros subhastatione et alia debita solemnitate servata confectis, volumus observari.

Magistris procuratoribus nostre curie specialiter prohibemus ne eorum aliquis fideles nostros compellat invitos jura curie nostre vel res alias justo etiam pretio comparare (1). Illud tamen eis pro curia nostra permittimus, quod est ubique terrarum generaliter consuetum, quod eisdem nostris fidelibus interdicant quod non ipsi prius jura sua quam nostra que in loco ipso fuerint, communi justo et celeri pretio distrahant.

(*a*) Alias *in predictis*, nostra sententia minus recte.

---

(1) Ad abusionem istius modi non inepte pertinet mandatum imperatoris, editum ap. MARTENE et DURAND, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1184-1185, n° 69, ut sequitur: « Fridericus, etc.,

Digitized by Google

LIBER I, TITULUS LXXXIX.

De officio magistrorum fundicariorum.

Magistros fundicarios curie nostre, sicut quoslibet officiales nostros, puritatem omnimodam tam circa nos quam circa fideles nostros volumus conservare. Ideoque precipimus ut iidem magistri fundicarii nil emant aut emptum in fundicis intromittant, sine testimonio bajuli et judicis civitatis et loci publice scripture suffragio roborando. Procurabunt autem magistri fundicarii fundicos salis, ferri et azarii et mercium exituras que fundicande per curiam nostram sunt statute, preter venalia quorum exitus aliis officialibus per nostram curiam specialiter est commissus. Volumus autem predictos fundicarios ab infrascriptis nostrorum fidelium gravaminibus abstinere : quod non compellant eos in majori quantitate sal emere quam ipsi voluerint, dummodo prohibeant et diligenter observent quod extra provinciam sibi decretam provinciales sui vel in magna vel in modica quantitate sal non emant in provinciam deferendum, pena publicationis bonorum omnium emptoribus seu quibuslibet aliunde sal preter mandatum speciale curie nostre deferentibus prestituta; nisi ab ultramarinis partibus in navigiis sal deferatur, quod non alii, sed curie assignetur pro pretio quo cum curia convenire poterunt deferentes. Mer-

---

» Thome de Montenigro, justiciario Principatus, etc. Ad audientiam nuper celsitudinis nostre » pervenit quod in civitate nostra Salusensi (Salernensi?), dudum malitia temporis faciente, » prave consuetudinis vitium inolevit, videlicet quod ballivi et officiales alii qui pro tempore » preerant civitati predicte, vina vinearum suarum et alia que emebant ab aliis si propria non » habebant, quantumcumque care volebant, vendebant tabernariis et aliis vina vendentibus, » emptoribus renuentibus et invitis, non sine magna nostrorum fidelium qui civitatem ipsam » inhabitant lesione; et hujusmodi vitium usque ad hec felicia tempora nostra, quod non » sine admiratione credere possumus, aliquorum faciente nequitia, dicitur derivatum. Volentes » igitur fidelium nostrorum gravaminibus providere, mandamus quatenus, si est ita, inhibeas » firmiter quod ballivi vel officiales alii vina predicto modo, invitis emptoribus, a modo vendere » non presumant, nec tu ipse quod faciant de cetero patiaris, nisi forte tibi constiterit quod » temporibus felicium regum predecessorum nostrorum Guillelmi primi et secundi memorie » recolendo, per ballivos et alios officiales curie hoc in eadem civitate fieri fuerit consuetum. » Datum, etc. » Thomas de Montenigro justitiarius erat Principatus anno 1239-1240; sed hoc mandatum non adest in *Regesto* ejusdem anni.

catoribus ementibus sal ab eis et ipsis jura curie nostre solventibus permittatur quo voluerint infra provinciam et pretio quo poterunt distrahere, nec certo loco seu a certo venditore tantummodo sal homines comparare compellant. Mercatores etiam ad civitates ubi sunt fundici venientes, exoneratis et depositis mercibus que fundicari debent in fundicis, ubi vel quo voluerint per civitatem hospitari permittant; pena publicationis mercium mercatoribus imminente, qui alio loco merces fundicandas sine speciali mandato fundicarii deposuerint, vel modo quolibet jus fundici fraudare seu furari tentabunt; dum tamen fundicarii caveant quod nullas res alias preter eas que in novis statutis fundicari seu dohanari mandavimus, mercatores seu quoslibet distrahentes fundicare seu dohanare compellant.

LIBER I, TITULUS XC, PARS II.

[*Nova constitutio.*]

Ut officialibus et procuratoribus nostris quibuslibet propter expensarum defectum negligendi res nostras non sit occasio vel meliorandi causa non desit, volumus et mandamus ut ad requisitionem ipsorum omnes proventuum nostrorum actores pro reparandis castris et domibus nostris, plantandis et colendis vineis seu quibuslibet aliis possessionibus nostre curie procurandis, sufficientem pecuniam subministrent. Ceterum si ad requisitionem ipsorum actores nostri eis petitam pecuniam subministrare noluerint, mandato celsitudinis nostre nullatenus expectato, volumus ut castellani vel procuratores ipsi pecuniam de proventibus administrationis sue vel de suo proprio in necessitates vel utilitates nostras confidenter expendant, nec occasione mandati quod super hoc a nobis non habent aut dispendii (*a*) vereantur quin expensam pecuniam ipsis de erario nostro restitui faciamus, vel in ratiocinio suo per rationales nostros excomputetur eisdem.

(*a*) Ap. Carcanum *aut dispendia*. Legendum Pecchia proponit *ea dispendia*. *Dispendii* tamen simplicius, quum ad *occasione* referatur.

Digitized by Google

LIBER I, TITULUS XCIV.

Ut nullus officialis cogat aliquem ad ostendendum titulum sue possessionis et quod nullus occupet.

Ab officialibus nostris fidem exigimus et industriam expectamus. Cujusdam tamen superstitiose solicitudinis causam ab ipsis vidimus removendam, per quam zelo solicite fidei quam non habent, fideles nostros indebitis vexationibus interpellant, querendo ab eis titulum possessionis sue et causam, cum nil per curiam nostram de speciali vel communi jure contra pacificos possessores proponatur ab eis (*a*) vel propositum approbetur; nisi quod occasione dominii generalis quod in rebus et juribus omnium subjectorum nostrorum habemus, speciales ab eis rationes exigunt. Volentes igitur talium versutiis obviare, vexationes hujusmodi fidelibus nostris illatas vel in posterum inferendas presenti constitutione nostra Deo propitio valitura perpetuo prohibemus. Sed si quas rationes et jura Cesariani nostri curiam nostram in re cujuslibet possessoris habere confidunt, privilegiis fisci nostri servatis, illa fideliter et solicite prosequantur. Nihilominus fidelibus nostris omnibus sub pena fidelitatis qua nobis tenentur astricti, mandamus ut rationes et jura nostra de cetero non occultent, sed nullis aliis delatoribus expectatis ipsi se deferant; procuratorum nostrorum ignaviam forsitan sua diligentia redimant et fidelitate compensent. Ceterum si quis in posterum jura nostra scienter quadam occultatione suppresserit, in quadruplum omnium fructuum a die sententie perceptorum possessorem hujusmodi condemnamus.

---

§ VIII. Constitutio sive encyclica super massariis curiae procurandis et provide regendis.

(*a*) *Ab eis* inutile videtur, nisi addendum sit *faciendum*.

(Edit. in *Petri de Vin. Epist.*, lib. III, cap. LXVI, cum hac rubrica : ***Magistro massariorum in Apulia, de ipsorum reformatione.*** Coll. cum cod. Biblioth. Parīs., *fonds Notre-Dame*, n° 202.)

Fridericus, etc. De tua fidelitate, prudentia et studio confidentes, te provisorem massariarum curie nostre infra scriptorum locorum scilicet... et... duximus statuendum; tibi presentibus committentes quod exemplo quaterni, quod est in camera nostra de massariis ipsis pro servitio nostro recepto (*a*), a tempore quo facta sunt inventaria in eisdem a procuratoribus (*b*) curie nostre in Apulia presentibus et futuris, et exemplo eorum que receperunt et recipient de eisdem, dederunt et dabunt etiam, annis singulis, mense octobris annuatim, donec placuerit nobis durare presentem commissionem exinde tibi factam, instrumentis confectis de processibus eorumdem, et inventariis factis solenniter de singulis rebus in massariis ipsis eo tempore habitis et inventis, et inventariis et quaternis redactis ad nostram curiam destinandis, videbis et considerabis in quibus earum curia nostra augmentum seu diminutionem receperit, ut de augmento quod celsitudini nostre scribi volumus, cujuslibet diligentia commendetur. Et si diminutionem inveneris in eisdem, indagabis quare contigerit; ut ubi forte peste adveniente acciderit, procures ad id debitum et possibile remedium adhiberi. Quod si diminutionem eandem culpa seu negligentia massarii, qui preest, reperieris contigisse, studeas eum inde convincere coram aliis massariis convicinis, judice loci, ubi massaria fuerit, si habetur, vel judice vicini castri seu loci in defectu predicto, et coram aliis bonis hominibus, presente altero de magistris procuratoribus curie nostre in provincia constituto. Si ejusdem culpe qualitas convinci massariis (*c*) non poterit in predictis, videas etiam et diligenter inquiras de qualitate et quantitate famulorum, quos singuli massariorum retinent, ne insufficientes habeant, vel superflua multitudine delectentur : item, si sunt bone fame, fideles et solliciti circa ser-

(*a*) In impresso repetitur *recepto* hic et ante vocem *exemplo*. Sed prima vice delemus.

(*b*) In impresso et in codice *procurationibus*, male.

(*c*) Sic in cod. 202. In impresso *massarii*, minus recte.

Digitized by Google

vitia sibi commissa fideliter exercenda, et ne forte consanguinei sint massariorum, et ne prodigalitate utantur, et ne defraudent curiam nostram in rebus vel animalibus que custodiunt, et eorum proventibus; vel ne proventus possessionum vendant, vel aliis largiantur, vel ex cambio mala pro bonis recipiant in curie nostre damnum. Videas preterea ne massarii ipsi possessiones nostre curie, sue massarie proprie debitas (*a*), usurpare presumant; si conventicias (*b*) integre solvant; si possessiones excoli faciunt temporibus opportunis; si eorum fructus bene reponunt. Exquiras etiam a singulis eorundem de quantitate seminis et victualium recollectorum : ut sciatur per te si labores fructibus compensentur; si vinum in mundis et bonis vascellis et aptis reponunt; si domus procurantur et conservantur ut decet, et si reparatione indigent, et que; et si egent, instes apud massarios quod massarias faciant reparari; si massarie ipse munite sunt lignis, palea et feno; si sunt in eis loca fertilia; si habetur in eis sufficentia de apibus; si de surco (*c*), avena, milio, panico, spelta (*d*) aliisque leguminibus, bombice, et canabe, de quibus placet nobis ut in singulis massariis debeant seminare; si de anseribus, gallinis, columbis, anatibus, caponibus et pavonibus similiter competentem sufficientiam habeant; si de pennis ipsarum avium massarii faciunt fieri lectos, et quot per singulos (*e*). Requiras insuper eos de plantandis vineis, olivis et aliis arboribus fructiferis in aptis locis massariarum ipsarum; quod faciant fieri castratos, arietinos, caprinos et bovinos, et de fructibus quos habent faciant impinguari, ut si presentes in regno aderimus, ipsorum carnibus curia nostra vescatur, vel nobis absentibus, ex venditione ipsorum nostre curie utilitas procuretur. Generales autem defectus, qui suppleri per massarios non valebunt, significes per literas tuas magistris procuratoribus nostre curie in Apulia, fidelibus nos-

(*a*) In cod. 202 *deditas*.

(*b*) Verisimiliter pro *convenientias;* in codice tamen 202 *comendantias*, pro *commendatias*, scilicet *praestationes*. Vid. CANGIUM ad verba.

(*c*) In cod. 202 *surico;* italice *surgo*, gallice *blé de Turque*.

(*d*) Ibidem *spelica*, male.

(*e*) Hic interpunctionem emendamus et legimus *quot* pro *quod*.

tris, quibus ex ipsis supplendis (*a*) ad requisitionem tuam, mandatum nostrum per literas destinamus. Pro predictis autem omnibus adimplendis (*b*), sic te fidelem et studiosum exhibeas, ut proinde a majestate nostra digna beneficia merearis.

---

§ IX. Constitutiones super scholis ratiocinii, super ratiociniis ab officialibus recipiendis, et responsiones de excomputationibus, de apodixis et expensis.

(Tria quae subsequuntur edicta, ad officium magistrorum rationalium clare pertinentia eodem § connectimus : primum ex *Petri de Vin. Epistolis*, lib. III, cap. XIV, cum hac mendosa rubrica : *Baronibus (?) suis super scholis ratiocinii in diversis mundi* (?) *partibus dividendis;* collatum damus cum cod. Paris. *Notre-Dame,* n° 202, cod. Ambros., n° 104, et cod. Harl. n° 325 in Britann. musaeo. — Secundum ex praedictis *Epistolis*, lib. III, cap. LXV, cum hac rubrica : *Eisdem* [*magistris rationalibus*] *super ratiociniis ab officialibus exigendis vel audiendis;* coll. cum cod. Paris. *Notre-Dame*, 202. — Tertium vero ineditum ex codice chartaceo Bibl. Paris., *Anc. fonds latin*, 4625, cujus secunda pars intitulatur : *Constitutiones summarie et gabellarum regni Sicilie.* Illas inter constitutiones tempore Andegavensium editas, latet quaedam Friderici responsiva cum hac rubrica : *Forma data super ratiociniis recipiendis ab officialibus;* fol. 67 verso, 68 recto-verso. De tempore quo haec tria edicta publicata fuerint, non bene constat. Ad annum tamen 1238 quo Fridericus rebus Lombardiae implicabatur, satis juste convenirent, praesertim dum in ultimo fiat mentio de *familiaribus*, scilicet de vicariis qui absente imperatore ab anno 1235 ad 1240 regno Siciliae praefuerunt.)

I.

Fridericus, etc. Quantumcunque sibi litigiosa Liguria, nostri pars utique laboriosa dominii, nostram presentiam vendicet et exhauriat curas nostras, inest tamen nobis cura precipua de regni seu verius domus nostre quanta-

(*a*) In cod. 202 *supplentibus*, male.

(*b*) Sic corrigimus ex cod. 202. In impressis *implementis*, male.

Digitized by Google

libet utilitate tractanda, ne dum procellas imperii laboriose componimus, aliquid negligenter omittere circa domestica videamur. Nuper itaque non minus utili quam necessaria deliberatione providimus quod residentia vestra (*a*), licet sit Baroli discreta per scolas, nostris tamen est dispendiosa profectibus, et venientibus interdum a remotis ratiocinia posituris officialibus sumptuosa; sicque propterea ne fiscalibus obviet utilitatibus et privatis, scholas ipsas pro concurrentium utilitate localiter recte providimus dividendas, utque cujuslibet vestrum officium infra decretorum fines sibi justiciaria[tuum] terminis (*b*) limitetur. Quocirca fidelitati vestre precipimus quatenus, receptis presentibus nostre serenitatis apicibus, vos, notarie Mirabilis et magister Bartholo[mee] (*c*), scholam ratiocinii vestri Monopoli (*d*) statuatis, moraturi ibidem et officialium justiciariatus Terre Barensis (*e*) et Terre Hydrunti ratiocinia recepturi. Tu, judex Jacobe Sinibaldi (*f*), scholam Melfie, decretis tibi similiter Capitanate (*g*) et Basilicate justiciariatibus, studeas ordinare. Tu quoque, judex Petre, scholam tuam Caiaccie (*h*) deputes, et officium tuum in justiciariatibus Aprucii, Terre Laboris et Principatus, tam sollicite quam fideliter exequaris, sigillum vestrum singulis decretum, cujuscunque roboratum signo notarii, habituris (*i*). Cumque multa sit laus et salus ubi multa sunt consilia, volumus et mandamus quod vobiscum ad invicem super dubiis conferatis, quod de quacunque re magis expediens et salubre videritis, communi consilio discussuri. Mandata quoque generalia, que communiter hactenus recepistis, ut particularis ex eis et integra nobis habilitas offeratur, authenticari per manum publicam faciatis, authenticatis taliter

(*a*) In impressis et in plerisque codicibus *nostra*, minus juste.

(*b*) In impressis *termini*, male.

(*c*) In omnibus impressis et in quibusdam codicibus *Martine* : menda evidens.

(*d*) In impressis et in codicibus, praeterquam in *Saint-Victor* 241, *Neapoli;* sed omnino mendosum, si conferas quae infra sequuntur.

(*e*) In omnibus *Terrae Laboris*, sed male, sicut ex sequentibus liquet.

(*f*) Alias *Symbaldi*. Corrigimus ex cod. Ambrosiano et ex Parisiensi 8566.

(*g*) In impressis *captivatae*, pessime.

(*h*) In impressis *Caracciae*. Corrigimus ex codicibus Ambros. et Paris.

(*i*) Sic emendamus ex cod. Paris. 202. In impressis *notanter habiturus*.

authenticorum robur penes quoscunque remanserint habituris; quod si notariorum singularitatem insufficientem forte videritis, adjectione novorum eorum insufficientiam utiliter suppleatis. Vos preterea, notarie Mirabilis et judex Bartholomee, oculos apertos specialiter habere precipimus super pelago ratiocinii Thome de Brundusio et siclariorum Apulie, ut per incuriam vestram in eos nostra curia non fraudetur.

II.

Fredericus, etc. Ad expeditionem celerem nostrorum fidelium, ratiocinia ponentium coram vobis, ut fisci nostri profectus in eis facilius et celerius procuretur, utiliter et necessario providimus statuendum ut omnes simili (?) (*a*) distinctione temporis non attenta, super recipiendis ratiociniis instanter et efficaciter intendatis; ut ibi sit multa salus, ubi multa consilia, nec aliquid inexpeditum pertranseat seu remaneat imperfectum, ex multarum perspicacia mentium et intuitu quamplurium oculorum. Quocirca fidelitati vestre firmiter et districte precipiendo mandamus, quatenus, non obstante quod quosdam ex vobis pridem mandatum nostrum ad audienda ratiocinia certi et determinati temporis deputaverit, simul amodo et communiter assistatis (*b*) omnibus officialibus ratiocinia posituris, et eorum ratiociniis tam novis quam veteribus audiendis, prout melius poteritis et salubrius, intendatis, super eorum decisione celeri, quantumcunque poteritis solicitudinem impensuri. Ceterum post collationem (*c*) in talibus habitam, unusquisque vestrum cum uno notario per se et singuli sigillatim eadem ratiocinia plene discutiant, ut ex hoc celerior expeditio procuretur. Super qua si dubitatio ulla emerserit, ad alterutrum recurret et communiter conferatur, secundum quod inter omnes convenerit terminanda (*d*). Si vero super aliquo vos omnes dubitare contigerit, curiam nostram per vestras literas

(*a*) Sic. Forsitan *simul* sive *similiter*.
(*b*) In impressis *incitandis ab*. Locus sine dubio mutilus.
(*c*) In cod. 202 *collectionem*.
(*d*) Sic in cod. 202. In impressis *terminando*.

Digitized by Google

consulatis, receptis dudum sigillatim per duos (*a*) ex vobis ratiociniis, per vos similiter coram quibus acta sunt hactenus, finiendis (1).

III.

Federicus secundus, Dei gratia, et cetera, ad rationales, etc. Super infrascriptis capitulis [de] quibus vobis in receptione rationum dubia emergebant et nostram voluistis excellentiam consulere, vobis duximus ad singula respondendum.

In primis de facto excomputacionum quas quidam (*b*) fieri postulabant de hiis omnibus que quacumque ratione vel tempore (*c*) a tempore regis Guillelmi felicis memorie de bajulationibus subtracta fuerunt, ea videlicet ratione quod ostendant (*d*) per pacta eorum camerariatus et bajulationes (*e*) emisse cum omnibus justiciis et rationibus que tempore predicti regis Guillelmi ad jura predictarum bajulationum spectabant vel vendi consueverunt cum eisdem, sicut nostra celsitudo providit; quod de omnibus illis que ante tempus quo eis fuerunt bajulationes vendite vel locate, de juribus bajulationum ipsarum donata fuerunt vel alia ratione subtracta, nulla est eis excomputacio facienda, cum tempore quo bajulationes emerunt, sciverunt vel scire debuerunt quid emebant (*f*), et curia nostra intelligatur non nisi revera que tunc tenebat in suis manibus, vendidisse; presertim cum si sit intentionis nostre velle excomputacionem facere de hiis que tunc erant subtracta, fecisset in pactis aliquam mentionem. Si tamen post concessionem camerariatus factam, aliquid de eis que tempore concessionis in bajulatione erant infra tempus eorum de

(*a*) In impressis *duas*, male.
(*b*) In codice *quidem*.
(*c*) In cod. *tempora*.
(*d*) In cod. *ostendat*.
(*e*) In cod. *bajulationis*.
(*f*) In cod. *emebat*.

(1) Non plures tribus vel quatuor magistri rationales institui solebant. Ex edicto praecedente quatuor adsunt; ex Regesto tamen ad ann. 1240, mense maio, primo quatuor, mox tres tantum pro toto regno, scilicet Thomasius de Brundusio, Angelus de Marra et magister Procopius de Matera notarius curiae.

nostra munificentia datum fuerit, aut portus aliquis qui apertus erat, cum concessio facta fuit, de mandato nostro vel aliquo turbationis casu qui premeditari non potuerit, factus est clausus, pro rata temporis quo nostra concessio vel portus clausio facta fuerit, excomputum facere debeatis; proventibus donatarum rerum et portuum clausorum qui ad eos, si res donate et portus clausi (*a*) non essent, pro rata temporis provenissent, fideliter extimatis [et ita] dilligenter pensatis quod in hujusmodi extimacione nostra curia non fraudetur.

De apodixis que inveniuntur in quaternis veterum rationum posite, in suspenso sic vos tenere volumus ut si in eis justa causa suspicionis (*b*) est posita, eas pro inefficacibus habeatis. Si vero nulla causa notatur in eis, et vos potestis aut per eos qui rationes hujusmodi receperunt aut ex vestro ingenio causam in eis comprehendere quare debeant non admitti, non admittatis. Si vero aut minus justam aut minus rationabilem causam notatam in eis aut vos de jure eas non videritis suspendendas, ipsas vos volumus computare, et si super hiis forte dubium vobis emerserit, nostre excellentie referatis.

De expensis autem que per officiales nostros quocumque tempore pro nostris servitiis facte fuerint, de quibus faciendis vel mandata non habuerint vel apodixas minus solempnes ostenderunt, volumus quod si liquide vobis constiterit expensas nostris servitiis necessarie et utiliter esse factas, licet forte facte fuerint sine mandato vel apodixe que exinde ostenduntur aliquid minus habeant de solempnitate que in apodixis requiritur (*c*) faciendis, debeant eis nichilominus computari.

De apodixis quas officiales non assignatas coram aliis rationalibus (*d*) coram quibus rationes posuerunt hactenus, habere se dicant, recipi a vobis pro videre vos volumus, et si per rationales primos (*e*) summam residui inveneritis esse factam, cum per hoc videatur in ratione fuisse

(*a*) In cod. *clause*.
(*b*) Hic in textum codicis irrepsit glossema, scilicet *alias suspensionis*.
(*c*) In cod. *requiruntur*.
(*d*) In cod. *racionabilibus*, male.
(*e*) In cod. *primo*.

Digitized by Google

conclusum, nullam nunc apodixam debeatis recipere, nisi forte apodixe que nunc ostenduntur fuerint singulariter ac specialiter vel generaliter in protestatione producte coram rationalibus primis, aut ipsarum (*a*) productio fuerit eis per rationales ipsos specialiter et generaliter reservata, vel nisi sint de ipsius residui quantitate soluta sive camere nostre sive familiaribus nostris aut (*b*) alicui de speciali mandato nostro vel etiam cuicunque potuit et debuit de jure persolvi. Si vero residuum non inveneritis esse notatum et apodixe ipse per rationales primos inveniuntur refutate fuisse, a vobis sint, si ostendantur, necdum refutande, sed potius lacerande; si tamen non fuerunt refutate per illos, providendum est utrum sint refutande vel ne. Datum, etc.

---

§ X. Constitutiones generales super officialibus, ne gravamina fidelibus inferant.

LIBER I, TITULUS XC, PARS III.

[*Nova constitutio.*]

Omnes officiales nostros abstinere precipimus a gravaminibus que nostris fidelibus hactenus inferebant, mittendo ipsos interdum pro deferenda pecunia ad erarium nostrum seu pro quibuslibet aliis curie nostre servitiis, interdum ipsorum animalia capiendo; et nec ipsis personis statutis per curiam nostram expensas nec pro vecturis animalium mercedes similiter definitas aliquatenus exsolvebant. Quod qui fecerint, de bonis suis expensas et mercedes eisdem hominibus et curie nostre tantumdem exsolvere compellantur.

LIBER I, TITULUS XCIII, PARS II.

Sic nostra servitia perfici volumus ut occasione ipsorum fidelium nos-

(*a*) In cod. *ipsorum*.
(*b*) In cod. *ut*, male.

trorum aliquis contra justitiam non gravetur. Ideoque presenti sanctione decernimus ut nullus officialis, si ipse equos habeat, occasione servitiorum vel nuntiorum nostrorum, compellat aliquem equum vel jumentum, asinum vel quodcunque vehiculum alicui commodare, sed pretio pro servitiis nostris locet. Quod si non habet, licentiam habeat aliqua compellendi animalia pro servitiis nostris, pretio unius tareni auri per diem cum homine vel sine homine pro dimidio tareno locanda. Ceterum si locata animalia per manifestam ductoris negligentiam vel quod ipsa ultra statutam dietam per malitiam duxerit, mori contigerit, juxta estimationem trium vel quatuor bonorum proborum virorum fidelium, per quos priusquam locatio fiat, estimationem locandi vehiculi volumus fieri, per curiam nostram domino pretium resarciri jubemus. Nullus etiam officialis compellat aliquem equos suos vendere nisi justo pretio curie nostre, quos et per quatuor bonos viros volumus estimari.

---

§ XI. Constitutiones generales super jure dominorum tam in revocatos quam in vasallos exercendo.

LIBER III, TITULUS XI.

De recommendatis vel revocatis non detinendis.

Ad subjectorum nostrorum invidiam non convenit revocare si privatis aliquando commodis nostris intendimus, si jura nostra non patimur ab aliis usurpari. Hinc est quod prelatis ecclesiarum, comitibus, baronibus seu quibuslibet aliis nostris fidelibus firmiter inhibemus quod nullus recommendatos vel ad nostram curiam revocatos in posterum audeat retinere, sed ipsos in civitatibus nostri demanii bajulis vel aliis officialibus nostris sine difficultate assignent vel ad loca ipsis revocatis destinata remittant. Quod si hujus constitutionis nostre quispiam violator temerarius extiterit vel eidem fraudem fecerit, bonorum suorum omnium mo-

Digitized by Google

bilium (*a*) publicatione damnetur. Ceterum ne prelati, comites vel barones seu quilibet alii detentores occasione presentis constitutionis in possessionibus aggraventur quas revocatos ab ipsis tenere contigerit, dum alibi commorantes possessionibus ipsis libere perfruantur, et ne revocati predicti per nos possessionum suarum emolumento priventur, dum ipsis uti non permittantur a dominis vel uti nequiverint, ad remotiora forsitan loca translati; utrisque discreta provisione providimus ut rigore juris communis in hac parte sopito, revocati possessiones easdem hominibus aliis vasallis pristini detentoris distrahere compellantur, et domini vasallos suos emere justo pretio distrahenda (*b*) compellant.

LIBER III, TITULUS XII.

De non opprimendis vasallis a dominis.

Presenti constitutione decernimus ut nullus dominorum vasallos suos contra justitiam opprimat vel ab eis contra constitutionem nostram illicitum auferat. Quod qui fecerit, expensas vasallo suo victori resarciat et ablati duplum curie nostre componat. Vasallus autem qui dominum suum occasione predicta contra justitiam impetere calumniose tentaverit, in expensis victori domino condemnetur. Sic enim utrique consulimus, dum nequitiam domini et vasalli calumniam condemnamus.

---

§ XII. Constitutiones super conditione clericorum, scilicet de beneficiorum pluralitate, de filiis presbyterorum ad successionem paternam admittendis, de clericis in civili judicio responsuris, de rebus stabilibus ab ecclesiis infra annum vendendis.

(Primum documentum inserimus ex MARTENE et DURAND, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1182, n° 65, coll. cum cod. Bibloth. Paris., *fonds S. Germain*, n° 455,

(*a*) Alias *immobilium*, minus recte.

(*b*) Sic emendamus; in impressis *distrahendo*.

pars V, 22. Encyclicam enim esse et quasi legem ad usum totius regni promulgatam quisquis facile animadverterit. Tria autem quae sequuntur, ad exemplum Carcani, sed novo ordine exhibemus, notis quibusdam ad jus in hac parte explanandum perutilibus additis.)

Fridericus, etc. ... justiciario Apulie, etc. ... Sepe contingit quod dum petitionibus nostrorum fidelium clementer annuimus, dum clericis aliquibus ex dignitatis antique fastigio quam habemus in regno seu in ecclesiis regni nostri vacantibus de bonis ecclesiasticis precipimus provideri, beneficia nostra (*a*) quo deberent et etiam volumus privantur eventu, dum frequenter alicui de prima vacatione facta provisio, propriis non contenta limitibus, prebendarum licet improvide pluralitate repletur, et si tunc vacare contingat, omittitur, ut per fraudis excogitate colludium pinguior in posterum habeatur. Illud inelegans etiam plerumque committitur ut si quantitatem certam pecunie ob majoris favoris gratiam de vacantibus prebendis alicui nostra serenitas assignari precipiat, super valore vacantium vel probationibus forsan inductis adulteris vel procuratore non callido circumvento, seu etiam potius gratiose versato, concessa clerico quantitas in curie nostre dispendium ampliatur. Volentes igitur super hiis minus licite facta corrigere et in futurum ne hujusmodi morbus invaleat precavere, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ubicumque per jurisdictionem tuam clericum aliquem ex causis predictis plures prebendas sub unitatis involucro vel plus quantitate sibi a celsitudine nostra collata fraudulenter usurpare repereris, aut spe amplioris exile beneficium omisisse, hujusmodi ultronea usurpatione destituas et utriusque petitionis ostium pinguia taliter expectanti precludas, nulli auctoritate litterarum tibi vel predecessoribus (*b*) tuis hactenus generaliter directarum, beneficium seu prebendam preter nostre majestatis oraculum conferre presumens; quin potius, prout vacare contigerit, vacationis et ipsius valoris annui quantitatem districte nostro culmini rescripturus.

(*a*) Ap. Martene *beneficii nostri*, minus recte.
(*b*) Ap. Martene *successoribus*, male.

Digitized by Google

LIBER III, TITULUS XXVIII.

De filiis clericorum.

Fredericus, etc., Andree regni nostri Sicilie logothete et justitiario provincie, etc. (*sic*) (1). Sicut accepimus nostrorum servitia subditorum, et ipsos, quoties expedit, ad nostra mandata et beneplacita nostra in personis et rebus expositos invenimus; ita spectat ad nostri culminis dignitatem ipsorum commoda digna provisione pensare, ut si quis defectus impediat, auctoritate nostri remotus edicti, commodum curie nostre proveniat (*a*) unde nostrorum fidelium utilitas procuratur. De ordinatione igitur nostra procedit ut quia filii clericorum in paternis et maternis bonis vel rebus pro legitimo defectu natalium jus successionis amittunt, beneficio curie, de potestatis plenitudine quam habemus, subveniatur eisdem (2), ut ea que per successionem habere non possunt,

(*a*) In Palatino *auctoritas curie inde proveniat, unde,* etc. Sensus vero non integrior videtur.

---

(1) Haec addimus ex Matthaeo de Afflictis, t. I, rubr. 89, p. 218, qui habebat istam constitutionem in suo codice, cum hoc titulo. Unde brevius notat: « Erat videndum de officio logothetae circa filios presbyterorum. »

(2) Quomodo ad legitimationem spuriorum, tam a presbyteris quam a laicis etiam conjugatis genitorum, imperator interdum processerit, sat bene liquet ex duobus privilegiis, quae multum ad argumentum nostrum praestare existimamus. Primum adest inter *Petri de Vin. Epistol.*, lib. VI, cap. XVI, coll. cum cod. Paris. Bibl., *Fonds Saint-Germain*, n° 455, ut sequitur: « Fredericus, etc. Dignum esse decrevimus et consentaneum rationi, ut ii quos interdum in » legitimis actibus defectus natalium impedit, legitimationis honore per principem reparentur, » et si quando super his imperialis favor fidelium suorum supplicatione requiritur, liberaliter » largiatur. Inde est quod cum magister Theodinus de Curia, clericus, fidelis noster, pro legi- » timatione P., S., G. et M. filiorum suorum, quos ipse dudum in sacris ordinibus constitutus, » ex Rog. de eadem terra, muliere soluta, se asserit genuisse, majestati nostre humiliter » supplicavit; nos supplicationibus suis benignius inclinati, predictos .... de plenitudine po- » testatis nostre, et ex certa scientia eos spurios esse scientes, legitimamus, et omnia jura » legitima restituimus: ut tanquam legitimi et legitimo thoro nati, in bonis paternis et mater- » nis, que feudalia non existunt, succedant, et ad omnes actus publicos et civiles honores, » si casus se ingesserit, admittantur, et in omnibus aliis suam libere prosequi valeant actio- » nem; objectione prolis illicite in posterum quiescente, et lege aliqua non obstante, et ea

jure locationis a nostra clementia recognoscant. Quare mandamus quatenus per totam jurisdictionem tuam in quibuslibet civitatibus, villis et castris super possessionibus que paterno vel materno jure debentur filiis clericorum, objectione prolis illicite non obstante, certum et annuum reditum pro quantitate rerum adjici facias, sicut commodius videris expedire. Deinde de auctoritate nostre curie filios clericorum in sarcinam paternarum et maternarum rerum et possessionum immittas, salvo certo et annuo reditu de quo teneantur annis singulis in festo natalis Domini nostre curie respondere. Itaque si in constituto censu defecerint, a paternis et maternis bonis penitus excludantur. Adjicimus insuper ut donec parentes ipsorum vixerint, nisi de bonis et possessionibus suis cesserint spontanea voluntate, bona et possessiones suas libere teneant usque ad obitum eorumdem, censu in quaternionibus curie nihilominus annotato, quem filii postquam ad eos paterna et materna bona pervenerint, nostre

---

» precipue que legitimari spurios nisi ex certa scientia non permittit : ita tamen, quod vicesimam partem proventuum omnium bonorum, que praedicte legitimationis beneficio ad » legitimatos eosdem provenerint, singulis annis reddant curie nostre, in recognitionem » gratie, quam eis super hoc duximus indulgendam. Ad hujus autem rei memoriam, etc. » Alterum ineditum extat in cod. Britannici Musaei *Vespas. Cott.*, fol. 405 verso, cum hac rubrica *De legitimatione spurii*, et sub eadem forma fere concipitur : « [Fredericus.] Dignum fore » credimus et consentaneum rationi ut hii quos interdum in legitimis actibus defectus natalium » impedit, legitimationis honore per principem reparentur, et si quando super hoc imperialis » favor requiritur, ad supplicationem fidelium liberaliter largiatur. Inde est quod cum Homodeus qui dicitur Guercius de Verona, fidelis noster, qui legitimos filios se asserit non habere, » pro legitimatione A. filii sui, quem ipse Avinante uxore sua vivente ex Amelina muliere so» luta suscepisse se dicit, majestati nostre humiliter supplicavit; nos supplicationibus ejus » benignum prestantes assensum, predictum A. spurium esse scientes, de plenitudine potes» tatis nostre et ex certa scientia legitimamus eumdem et ad omnia jura legitima restituimus » eum, ut tanquam legitimus et de legitimo thoro natus in paternis bonis et maternis rite succedat, nisi feudalia vel regalia ipsa bona existant, nullis legitimis filiis remanentibus ex » eodem; ad omnes actus publicos et civiles honores, si se casus ingesserit, admittatur, et in » omnibus aliis suam possit libere prosequi actionem, objectione prolis illicite quiescente vel » aliquatinus non obstante, specialiter autem illa que legitimari spurios nisi ex certa scientia » non permittit. In cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus » majestatis nostre sigillo munitum. » In isto tamen privilegio de annuo redditu curiae persolvendo nulla mentio fit; unde comperimus hanc tributi conditionem filiis presbyterorum tantummodo, non caeteris vero spuriis fuisse impositam.

Digitized by Google

curie solvere teneantur; nec bona ipsa possint devolvi ad alios vel alias alienari in prejudicium filiorum per parentes eorum, nisi quatenus nostris legibus est permissum.

LIBER I, TITULUS LXIX, PARS II.

[*Nova constitutio.*]

De burgensaticis petitorio vel quolibet possessorio adipiscende, recuperande vel etiam retinende possessionis clericum seu etiam quemvis religiosum pecuniaria actione conventum, in civili volumus examine respondere, rei qualitate potius in hac parte que petitur quam persone conditione seu judicii qualitate pensata (1).

LIBER III, TITULUS XXIX (2).

De rebus stabilibus non alienandis ecclesiis.

Predecessorum nostrorum veterum principum constitutionem, quam antiqua turbatio preteriti temporis antiquarat, nova provisione novantes, edicimus quod nulli subjectorum nostrorum clerico vel laico liceat domibus Templi vel Hospitalis (3) seu cuilibet alicui loco religioso de quo

---

(1) Haec lex ab antiquo vim obtinebat, si conferas, supra p. 40, constitutionem *si quis clericus* a Guillelmo II emanantem. Odiosa tamen summis pontificibus semper visa fuit. Sed Gregorio IX inde conquerenti, per litteras 20 septemb. 1236 ita Fridericus respondebat : « Quod » enim ad seculare judicium et ad talliarum solutionem interdum clerici compelluntur in patri» monialibus vel in feudis, realis vel personalis actionis delectu non habito super eis, hoc non » ad nomen injurie, *sed ad juris executionem* potius credimus reducendum. In beneficiis autem » ecclesiasticis vel obligationibus contractis ab eis nulla permittimus clericos coram civili judicio » conventione vexari, adeo quod contra eos in civilibus criminibus etiam, que lesionem nostre » continent majestatis, super quibus *secundum veterum legum scita* civilis judicis deberet esse » cognitio, parcissime jus dicatur.» Cf. Constitut. Guillelmi regis *De personis clericorum*, p. 48.

(2) In editione anni 1773, haec constitutio ad annum 1238 refertur. Multo tamen antiquior est, ut infra videre erit.

(3) Eadem prohibitio super feudalibus et burgensaticis acquirendis domui quoque Theutonicorum, quanquam imperatori carissimae, non minori juris rigore imponebatur. Quod pro certo comperimus ex mandato quod ediderunt Martene et Durand, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1183-1184, n° 68; coll. cum codice Biblioth. Paris., *Fonds Saint-Germain*, n° 455, pars V, p. 23, et est ita : « Fridericus, etc., justiciario, etc. Exposuerunt et conquesti sunt excellentie

nostre curie certum servitium minime debeatur, possessiones hereditarias vel patrimoniales vendere vel donare inter vivos aliquo donationis modo, nisi ex equalis causa permutationis transferre. Ceterum si in ultima voluntate aliquem de predictis locis heredem instituerit, tunc domus que institutionem vel legatum acceperit, teneatur infra annum alicui de proximis defuncti vel de burgensibus nostris relicta stabilia vendere; at si ultra annum facere predicta distulerit, possessiones ipsas post anni lapsum fisci nostri juribus volumus applicari (1). De rebus autem quibuscumque

» nostre fratres Hospitalis Sancte Marie Theotonicorum, fideles nostri, quod contra privilegia » ipsis a predecessoribus nostris et nobis concessa, per officiales nostros in multis contra justitiam molestantur. Que privilegia cum nostro conspectui mandaverimus presentari, licet non » ipsa authentica et originalia, sed ipsorum tenores publica manu transumptos nobis presentaverunt, iis tamen que continebantur in eis diligenter inspectis et ad limam conscientie » nostre reductis, volentes eorum jura, quantum sine juris nostri prejudicio possumus, illesa » servari, fidelitati tue precipiendo mandamus quatinus privilegiis authenticis quorum exempla (*var.* capitula) nostre curie presentata tibi sub sigillo nostro transmittimus, diligenter » inspectis, si privilegia ipsa compereris fideliter fuisse transumpta, non permittas fratres » predictos contra privilegia ipsa et contra justitiam molestari; *dum tamen feudalia et burgensatica regni nostri non vendicent vel usurpent, auctoritate privilegiorum ipsorum in quibus* » *generali vocabulo acquisita et justis titulis acquirenda confirmentur eisdem, nulla de constitutione predecessorum nostrorum et nostra habita mentione, per quam loca religiosa quocumque alienationis titulo, preter mansuetudinis nostre sacrum oraculum, acquirere sibi* » *feudalia vel burgensatica prohibentur*. Immunitates tamen et libertates alias ipsis indultas » tam super herbaticis, pedagiis, phalangeticis et specialiter de transitu Fari et de rebus proveniontibus ex fetibus et fructibus possessionum domus ejusdem a regno in Syriam transferendis, libere per officiales nostros tue jurisdictioni subjectos ipsis facias inviolabiliter obser» vari. In possessionibus etiam quas ab ecclesiis et locis venerabilibus aliis justis titulis se » acquisivisse probaverint et quas nunc pacifice possident, non permittas eosdem molestiam » aliquam sustinere. »

(1) Hac constitutione innixus, anno 1238, 28 octobris, querelas papae de spoliatione Templariorum et Hospitalariorum conquerentis juste refellit imperator, cum dicat: « Nonnulla vero » burgasatica que emerunt revocata sunt ab eis, *secundum formam antique constitutionis regni* » *Sicilie* quod nihil potest eis sine consensu principis de burgasaticis inter vivos concedi vel in » ultima voluntate legari, quin post annum, mensem, septimanam et diem aliis burgensibus secu» laribus vendere et concedere teneantur. Et hoc propterea fuit ab antiquo statutum quia si li» bere eis et perpetuo burgasatica liceret emere sive accipere, modico tempore totum regnum » Sicilie .... emerent et acquirerent; et hec eadem constitutio obtinet ultra mare. » Cf. *Assises des Bourgeois*, cap. XXIV, p. 255, et *Chart. Antiocheni principis* ap. Paoli, t. I, p. 81, n° LXXVII.

Digitized by Google

mobilibus, quantumcumque pretiosis, relinquendi predictis domibus et aliis religiosis locis concedimus facultatem.

---

§ XIII. Constitutio de jure *protimeseos*, scilicet de facultate venditoris parentibus concessa ex emptoris manu rem alienatam retrahendi.

(Edider. Saravna, *Constit. regni utriusque Siciliae* (Lugd. 1568 fol.), inter capitula regis Roberti, p. 371; et Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 331-333, e cod. musaei Borbonn. ap. Neapolim, signato VIII, E 24; quibus collatis textum nostrum instituimus. Priorem simul et majorem hujus constitutionis partem ediderunt quoque Cujacius, *De Feudis*, lib. V, p. 227, et Beck, *Corpus juris civilis*, t. II, p. 604. Fragmenta etiam aliquot extant apud Afflictum, Baldum et Oldendorpium. De tempore editae legis nil constat, et Giannonius (*Istor. civile*, t. II, lib. 3, cap. 3, § III), quem in hoc secutus est Pecchia (*Stor. civ. e polit. del regno*, t. I, lib. I, cap. 41), eam Friderico nostro etiam adscribendam esse renuit. Non dubitandum tamen quin omnes consuetudines regni Siciliae, quocumque tempore compilatae fuerint, jus protimeseos, quod etiam vocant *jus praeemptionis* sive *congrui*, admiserint, ut monet Gregorio (*Introduz. allo studio del dritto publ.*, p. 194). Constitutio igitur *Sancimus*, hujus consuetudinis quasi norma et regula, ab ipso Friderico edi potuit ad usum Germaniae vel Italiae ubi jus feudale vigebat, et inde siculas inter leges non immerito locum obtinuisse. Praeterea si quis Assisias regni Jerusalem pervolverit, praecipue *Assises de la cour des bourgeois* (ch. XXX, p. 35), et *Abrégé du Livre des Assises* (ch. XXXIII, p. 260 et seqq.), Fridericum juxta morem et ad exemplar juris ultramarini legem tulisse vel potius ex graecis renovavisse forsitan non negabit.)

Fridericus, etc. Sancimus amodo in omni provincia et in omni civitate si quis forte ex parentela habeat communem fundum vel agrum vel domum vel vineam vel rem immobilem divisam vel indivisam, ex communi emptione vel ex aliquo hujusmodi titulo vel aliquo modo conjunctam (*a*), et voluerit alienare predictas res per venditionem vel emphiteosim vel locationem, [quod] non ante concedimus eas alienare nisi

(*a*) Ap. Cujacium et Beck *vel alio modo aliquo conjunctim.*

prius denuncietur illis (*a*) quos vocamus per ordinem in jus (*b*) protimeseos (*c*). In primis vocentur parentes qui sunt conjuncti, post hos socii qui similiter sunt conjuncti; post hos vocentur illi qui sunt sub uno servitio et sunt conjuncti ex aliqua parte; post omnes istos illi qui sunt conjuncti tantum, etiam si sunt extranei (*d*). Si autem plures sint qui habeant jus protimeseos, omnibus denuncietur ut infra triginta dies (1) solvendo justum pretium sine mora aut quantum quivis (*e*) emptor sine fraude dederit, unusquisque suam portionem recipiat. Verum si infra statutum terminum pretium justum non solverit, de cetero non habebit jus protimeseos, nisi forte quisquam fuerit (*f*) in captivitate vel fuerit deportatus vel in exilium missus, vel absens causa reipublice vel ex propria causa sua sine dolo aut fraude, aut si fuerit minor viginti quinque annis; et licet fuerint isti absentes ex justa causa, tamen tutores vel curatores eorum vel procuratores (*g*) vel defensores infra quatuor menses debent venire et solvere justum pretium cum usuris legitimis et necessariis expensis, et recipere jus protimeseos et extraneos emptores omnino expellere; et si neglexerint hoc facere, resarcient de propriis suis quidquid incommodi illi haberent. Licet autem supra dixerimus quod omnes vocentur (*h*) ad jus protimeseos, tamen si probatum fuerit quod atroces injurias vel manus impias ex proposito venditori vel ejus familie intule-

(*a*) Ap. Cujacium et Beck *non ante liceat ei alienare quam denuntiaverit illis.*

(*b*) Ap. Sarayna *in jure;* ap. Pertz *juris.*

(*c*) Ap. Pertz *prothomiseos.* Vocis vero formam quae magis graeco quadrat, admisimus.

(*d*) Ap. Cujacium et alios diverse et brevius concipitur : *In primis vocentur, etc. Post hos illi qui sunt conjuncti tantum, etiam si extranei sint; post omnes istos vocentur illi qui sunt sub uno servitio et sunt conjuncti ex aliqua parte.*

(*e*) Ap. Sarayna et Pertz *verus.*

(*f*) Ap. Cujacium et Beck *nisi si quis eorum erat.*

(*g*) *Vel procuratores* ap. Sarayna desunt.

(*h*) Ap. Beck *supra diximus omnes vocari.*

---

(1) In Assisiis regni Jerusalem multo brevior terminus, dum intra septem dies tantummodo contineatur.

Digitized by Google

rint vel ipsius substantie gravem jacturam moliti fuerint vel contra ejus vitam nisi sint vel etiam pecuniarium damnum (*a*) intulerint, omnes isti nullo modo sine venditoris voluntate ad jus protimeseos veniant. Ex causa vero dotis vel donationis propter nuptias vel simplicis donationis (*b*) causa mortis aut ex testamento vel ex permutatione vel ex transactione parentes et extranei omnes possunt alienare, nisi forte si quis vendendo vel locando ei qui non habuit (*c*) jus protimeseos, simulate donaverit vel in emphiteosim (*d*) dederit. Ideoque illi qui habent jus protimeseos, possunt exigere juramentum a venditore et emptore (*e*). Si autem post juramentum probatum fuerit contra constitutionem nostram simulate hoc egisse, venditor et emptor penam perjurii debent sustinere, et insuper venditor rem amittere et emptor pretium, et fisco applicabitur (*f*). Fiscus autem vendat rem illam illi qui habet jus protimeseos. Si autem ante juramentum probati fuerint hoc fecisse, venditio erit irrita et cogetur venditor vendere invitus illis convicinis (*g*) qui habent jus protimeseos (1). Prohibemus insuper potentes personas aliquid (*h*) accipere a minoribus sub pretextu adoptionis (*i*) seu donationis simplicis aut causa mortis,

(*a*) Ap. Pertz *peculiare damnum*, verbo *intulerint* deficiente.

(*b*) Ap. Sarayna et Beck repetitur sic : *vel simplicis donationis vel donationis causa mortis*.

(*c*) Ap. Pertz *et qui non habent;* emendamus ex Beck.

(*d*) Ap. Sarayna *vel per legatum*. Ap. Cujacium et Beck *vel legatum*.

(*e*) Ap. Pertz *juramentum venditionis et emptionis*, minus recte.

(*f*) Ap. Beck multo brevius : *simulate hoc fecisse venditorem et emptorem, rem et pretium perdent et fisco applicabitur*.

(*g*) *Convicinis* deest ap. Sarayna.

(*h*) Ex Cujacio et Beck addimus *aliquid*.

(*i*) Ap. Pertz *emptionis;* Cujacius et Beck *adoptionis*, rectius.

---

(1) Totus hic locus a verbis *Si autem ante* apud Beck deest, et res prorsus genti occidentalium quasi incognita. Noscimus tamen jus praeemptionis vicinis quoque reservatum, saltem in Cypro, dum legamus in *Abrégé du Livre des Assises*, loco citato : « C'est assaver que ce il avenoit que ces deux manieres de gent, come est le parent et le veizin, eussent chalongé (retrait) l'éritage qui auroit esté vendu, sachés par droit et par raizon que le parent l'auroit avant dou voizin. »

vel ex testamento vel ex usucapione (*a*) aut sub pretextu defensionis, nisi fuerint parentes (*b*). Potentes autem dicimus non tantum illos qui per se sunt potentes, sed etiam per propinquiores per quos possunt inferre timorem (*c*) alienatoribus aut per promissionem beneficii. Si quis autem potentior qui fecerit (*d*), sit alienus ab illa re et estimationem illius rei prestet fisco. Transcurso autem decennio si non denunciavit (*e*), nulla de cetero moveatur controversia illis qui possident ex aliquo contractu vel ex donatione vel ex testamento, nec ab illis qui habent jus protimeseos nec etiam a fisco (*f*). Scriptum est enim Grecorum legibus de jure protimeseos (1) ubi dicitur de termino et finibus que jus ipsum habet (*g*) : videlicet quod illi qui in circuitu sunt per finem secundum (*h*) ipsam propinquitatem quam ipsi habent, sicut propius (*i*) sunt in venditione conjuncti, victoriam ipsius venditionis habeant; in tali itaque ordine ut illi qui habent ipsam protimesim et non sunt in ipsa terra, sed in alia, habeant in venditione protimesim infra unius anni spatium (*j*); post annum vero nullam protimesim habere debeant neque possint. Si autem sint in ipsa terra vel in ipso loco, habeant protimeseos victoriam usque ad quatuor menses, ita tamen si fuerint a venditoribus solempniter requisiti et non renuntiaverunt emere. Item de ipsa protimese in alio Grecorum capitulo continetur ut qui habent protimesim a tribus partibus, illorum potior sit venditio, et una pars nichil ibi habeat; sed si

(*a*) Addimus ex Cujacio et Beck; ap. Sarayna *vel ex usu tantum*, male.
(*b*) Ap. Pertz *nisi fuerit parentis.* Emendamus ex Sarayna, Cujacio et Beck.
(*c*) Ap. Cujacium et Beck *sed etiam per propinquos possint inferre timorem.*
(*d*) Ap. Sarayna et Beck *Si quis autem ex potentioribus hoc presumpserit facere.*
(*e*) Ap. Cujacium et Beck *sine denunciatione.*
(*f*) Haec a verbo *Transcurso* desunt ap. Pertz. Hic sistunt Cujacius et Beck.
(*g*) Ap. Pertz *finibus que jus habent ipsum.* Ap. Sarayna *fine qui jus ipsum habet.*
(*h*) Ap. Pertz *scilicet.*
(*i*) Ap. Pertz *scilicet proprie;* ap. Sarayna *et prope.*
(*j*) Locum ap. Pertz decurtatum ex Sarayna restituimus.

(1) Hucusque fere transfertur constitutio in latinum ex novella Romani Lecapeni, quae ap. Cujacium, *Ibidem*, p. 229. Nunc aliis novellis Fridericus alludit, verisimiliter quae sub nomine Constantini Porphyrogenetae editae sunt.

Digitized by Google

habeant a duabus partibus, collatione facta recipiant eam omnes sicut propinquitatem habent. Si autem domum prope castrum habeat (*a*), ipse eam habeat qui per castrum habet et non illi qui ipsam protimesim per parietem habent (*b*). Est autem de generali consuetudine approbatum quod tria sunt que protimesim non habent, videlicet via publica, ecclesia et civitas (*c*).

In libris feudorum alia quaedam adduntur Friderico quoque adscripta, quae Cujacius et Beck post constitutionem *Sancimus* inseruerunt, licet constitutionis ejusdem quasi prooemium ea tantummodo fuisse arbitremur. Sic concipiuntur:

Cum omnibus hominibus qui legibus reguntur et moribus, preceptum esse constet jus suum cuique tribuere nec cuiquam jus suum detrahere, libertatis procedente gratia qua naturaliter quod cuique facere libet, nisi quid vi aut jure prohibetur, est concessa facultas; res suas unicuique liberum esse aut propter nuptias donationis aut dotis aut simplicis donationis aut cujuslibet alienationis aut ultime voluntatis [vel] dispositionis causa sive testamentario jure in alium transferre, non est ambigui juris. Sed quoniam et jure precipitur honeste vivere, alterum non ledere, ne hi qui cognatione vel communione vel aliquo propinquitatis modo eorum qui vendunt urbanis rusticisve prediis adherendo, ab his qui intromisceantur ledantur, vel aliter ipsa venditione impediantur, jure protimeseos preferri sancimus.

---

§ XIV. Constitutio sive encyclica de extraneis ad domicilium in Siciliae regnum transferendum invitandis (1).

(*a*) Ap. Sarayna *habeant*.

(*b*) Ap. Pertz *habet*.

(*c*) Ap. Sarayna *curia*; ex nostra sententia rectius.

(1) Haec constitutio multum discrepat ab altera *Cum hereditarium regnum* (vide infra ad mensem decembrem 1233), quae postea tertio constitutionum libro adjuncta fuit. Ex illa enim

Digitized by Google

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. VI, cap. VII, nunc collat. cum cod. Biblioth. Lipsiensis n° 1268, et cod. Paris., *fonds S. Germain*, n° 455. In impressis haec rubrica : *Privilegium concessum extraneis;* fusius tamen in codice Lipsiensi : « *Invitat imperator alienigenas quoslibet ad habitationem regni, et mandat suo officiali ut hoc debeat promulgare omnibus.* »

Fredericus, etc. Etsi causarum varietas, que processibus nostris improvide semper circumfluit, et nacionum pluralitas, que sub dominii nostri felicitate respirat in statu vivendi pacifico, causam nobis continue meditationis adducant; quadam tamen prerogativa familiaris cogitationis inducimur, et assidua meditatione pensamus qualiter peculiaris regni nostri Sicilie populus, cujus specialiter nos cura sollicitat, cujus nobis est hereditas omni possessione preclarior, sic tranquillitatis decore prepolleat ut sub Cesaris Augusti temporibus augeatur. Videntes vero hoc fieri non posse commodius quam si ejusdem regni locuples gremium ad ubertatis sue participium recipiat extraneos et alienigenis filiis, quos fidelium tamen loca pepererint, fecundetur (*a*), humanitatis instinctu commoti, benigna (*b*) quadam provisione decrevimus ut quicunque regni nostri filius effici cupiens, domiciliis illuc et familiis omnino translatis, ipsius habere voluerit incolatum, sicut ad locum pascue libere veniat (*c*), et ab ejus grata fertilitate vescatur, et preter nostre (*d*) ple-

(*a*) In cod. 455 *et filiis quos genuerint loca fidelium fecundentur.*

(*b*) In impressis *quare magna*, male.

(*c*) In codice Lipsiensi locus diverse concipitur : *ut quicumque securitatis omnimode ac quietudinis avidi ad regni nostri venire voluerint incolatum .... ad quod eos libenter et hilariter invitamus, libere veniant, etc.*

(*d*) In impressis *nature*, male.

---

matrimonium inter filios regni et extraneos prohibetur, nisi specialis imperatoris licentia intervenerit. Super qua justissime scripsit L. Volpicella : « E però convien dire che per qualche » strano avvenimento a noi rimasto ignoto Federigo fu costretto a fare quel divieto, e che, » come prima cessò la causa, più non curò che la sua legge fosse stata eseguita. » (*Del diritto di Albinaggio*, p. 35.) Quod si propter necessitatis ingruentis causam, scilicet ut arbitramur, propter Siculorum rebellionem, prohibitio istiusmodi tunc edita fuerit, nihil tamen dubii superest quin se extraneis benignum Fridericus praestiterit in caeteris suis edictis, inter quae constitutio quae sequitur locum non ultimum obtinet.

Digitized by Google

nitudinem gratie, quam sibi favorabiliter pollicemur, in collectis et exactionibus publicis immunitate decennii se gaudeat incommutabiliter potiturum. Tu igitur predicta omnia tam fideliter quam frequenter studioso programmate per jurisdictionem tuam publicare studeas et efficaciter exequi publicata (*a*).

---

§ XV. Constitutio de tempore quo durante medici studere debeant antequam practicare possint, et de salario eorum.

(Nostras disquisitiones latuerunt aliae constitutiones quas super medicis et schola Salernitana Fridericus certissime promulgavit. Hanc novam ad exemplum Carcani edimus; de cujus tempore non bene constat. His tamen verbis ad mensem octobrem anni 1241 utitur Riccardus de Sancto Germano : « Inquisitio apud Sanctum Germanum fit de medicis qui mederi ausi sunt et in tota abbatia, nisi de licentia imperialis curiae et per eam fuerint approbati. »)

LIBER III, TITULUS XLVI.

De medicis.

Quia nunquam sciri potest scientia medicine nisi de logica aliquid presciatur, statuimus quod nullus studeat in medicinali scientia nisi prius studeat ad minus triennio in scientia logicali; post triennium si voluerit, ad studium medicine procedat in qua per quinquennium studeat; ita quod chirurgiam que est pars medicine infra predictum tempus addiscat. Post quod et non ante concedatur sibi licentia practicandi, examinatione juxta curie formam prehabita, et nihilominus recepto pro eo de predicto tempore studii testimonio magistrali.

Iste medicus jurabit servare formam curie hactenus observatam, eo adjecto quod si pervenerit ad notitiam suam quod aliquis confectiona-

(*a*) Haec ultima addimus ex cod. Lipsiensi qui ad fidem cujusdam alterius exemplaris exaratur.

rius minus bene conficiat (1), curie denunciabit, et quod pauperibus consilium gratis dabit.

Iste medicus visitabit egrotos suos ad minus bis in die, et ad requisitionem infirmi semel in nocte, a quo non recipiet per diem, si pro eo non egrediatur civitatem vel castrum, ultra dimidium tarenum auri. Ab infirmo autem quem extra civitatem visitat, non recipiat per diem ultra tres tarenos cum expensis infirmi, vel ultra quatuor tarenos cum expensis suis. Non contrahat societatem cum confectionariis nec recipiat aliquem sub cura sua ad expensas pro certa pretii quantitate, nec ipse etiam habebit propriam stationem. Confectionarii vero facient confectionem expensis suis cum testimonio medicorum, juxta formam constitutionis nostre, nec admittentur ad hoc ut teneant confectiones nisi prestito juramento; omnes confectiones suas secundum predictam formam facient sine fraude. Lucrabitur autem stationarius de confectionibus suis secundum istum modum : de confectionibus et simplicibus medicinis que non consueverunt teneri in apothecis ultra annum a tempore emptionis, pro qualibet uncia poterit et licebit tres tarenos lucrari. De aliis vero que ex natura medicaminum vel ex alia causa ultra annum in apotheca tenentur, pro qualibet uncia licebit lucrari sex tarenos. Nec stationes hujusmodi erunt ubique, sed in certis civitatibus per regnum, ut inferius describitur (2).

Nec tamen post completum quinquennium practicabit, nisi per integrum annum cum consilio experti medici practicetur. Magistri vero infra istud quinquennium libros authenticos tam Hippocratis quam Galeni in scholis doceant, tam in theorica quam in practica medicine. Salubri etiam constitutione sancimus ut nullus chirurgicus ad practicam admittatur, nisi testimoniales litteras offerat magistrorum in medicinali facultate legentium quod per annum saltem in ea parte medicine studuerit que chirurgie instruit facultatem, presertim anatomiam humanorum corporum

(1) Cf. supra lib. III, tit. XLVII, p. 454.

(2) Deest tamen ista constitutionis pars. Unde liquet hanc constitutionem una cum tot aliis ad arbitrium eorum qui principio compilationem redegerunt, fuisse detruncatam.

Digitized by Google

in scholis didicerit, et sit in ea parte medicine perfectus sine qua nec incisiones salubriter fieri poterunt nec facte curari (*a*).

---

§ XVI. Constitutiones super bobus domesticis pro quolibet debito non auferendis et super hortis et vineis colonorum non devastandis.

(Haec duo mandata quae ad generalem agrorum conditionem pertinent, nunc exhibemus, primum scilicet ineditum ex cod. Biblioth. Vindob. *Philol.* n° 305, fol. 129 recto; — alterum ex *Petri de Vin. Epistol.*, lib. V, cap. XX; coll. cum variis bibliothecae Parisiensis codicibus, unde tamen sensus non bene in omnibus restituitur.)

I.

Fredericus, etc. Benigna gratie nostre provisio qua sub quodam humane dilectionis amplexu Cesaree fortune fastigium (*b*) clementer et subjectorum commodis clementius condescendit, tanto libentius ad fideles nostros regnicolas, laborum nostrorum participes indefessos, se naturali quadam debet necessitate pretendere quanto in regnantium protectione precipuos et in serviciorum exhibitione tam devotione quam opere diutius (*c*) predecessoribus (*d*) nostris et nobis ipsos exhibuit varietas temporum firmiores; quorum quidem continuatis laboribus ex quibus fidei clarior scintilla resplenduit, cura nostra clementissime parceret et in presenti (*e*) procella temporum persone nostre laboribus parceremus. Volentes igitur eorumdem commoda in tam urgenti necessitate proficere et eorum in-

(*a*) Callide, ut videtur, legendum *nec fracta curari* proponit Conringius, *Antiq. Academ. dissert.*, t. III, p. 105.

(*b*) In codice *fastidium*.

(*c*) In codice *durius*.

(*d*) In codice *prodentibus*.

(*e*) In codice *presentis*. Caeterum totus locus mutilus videtur.

dempnitati misericorditer providere, fidelitati tue mandamus quatinus facias inhiberi ne pro quacumque collecta vel debito publico vel privato boves domestici, quantumcumque patronus ipsorum curie nostre vel alicui private persone debitor fuerit, auferantur, ut agriculture studium quod in regno nostro liberalissima frugum ubertate fecundo mandavimus exercendum, in nullo penitus negligatur.

II.

Fredericus, etc. Multum nostris derogatur affectibus, si justicie limitem, cujus nos subditis debitores offerimus, transgressorum cupiditas effrenata circumstrepat, et pacis quiete temperiem aliquorum improvisa temeritas inquietet. Sed illud precipue nostris accedit votis infestius, cum, reverentia quasi vilipensa dominii, tantum preceps et incauta divitum majorumque presumit audacia, ut impudenter in pauperes seviat et crudeliter exardeat in minores. Hoc siquidem in civitate . . ., sicut ex hortulanorum et pauperum querula propositione comperimus, committitur insolenter; qui dum ex manuum suarum laboribus, quos ad defendendam inopiam in hortis et vineis excolendis exercitant, fructus expectant, herba frequenter in florem prodiens et raro perfectionem maturitatis attingens rapaci vel violenta falce preciditur, et laborantis manibus exinde previsa compendia preauferuntur. Furit enim in ipsos aliquando furtivis insultibus aggressorum ingluvies, quibus non licet dicere : « Cur venistis? » et sevit persepe viriliter in collectione fructuum impudica fragilitas ancillarum, quibus mittentium animatis imperio repulsam adimit potentia dominorum. Sicque colonus, spe frustratus et premio, tutius eligit damna dissimulare silentio, quam verbis factus horribilis personales injurias rerum cumulare jacturis. Volentes igitur ut vulnus hujusmodi, ne ad alios ex impunitate subrepat, ignis vel ferri severitas violenter abscidat, cui reverentie nostre medicina non prodest; presenti edicto nostro inter alia statuta civitatis ipsius inserendo et tenaciter in antea valituro sancimus ut quotiens masculini sexus aliquis malefactor, cujuscunque conditionis, generis vel etatis, in ipso flagranti maleficio

Digitized by Google

fuerit deprehensus, de nostra licentia capiatur, assignandus tibi [et] per te sine serenitatis nostre oraculo nullatenus liberandus (1). Si vero pedissequam aliquam vel cujuscunque conditionis alterius mulierem evidens ejusdem maleficii deprehensio complectatur, nulla patrono ejus, qui liberas sibi ad excessus hujusmodi laxavit habenas, honorificentia reservata, ipsam per terram publice volumus subjici fustibus, ut culpam perpetrati facinoris ejusdem penalitatis asperitas indicet, et in casu simili delinquendi materiam ceteris interdicat. Hac enim inviolabili jussione statuimus ut nulli hortulanorum ipsorum liceat, ob alicujus violentiam seu rogatum, alia in hortis ipsis spargere semina, nisi ea que usibus et esibus humanis accommodata, telluris hortalis fecunditas producere consuevit.

---

(1) Aliud mandatum de re eadem addimus ex *Petri de Vin. Epist.*, lib. V, cap. XI. Contulimus cum codice Guelferbitano *Aug.* 13-4 et cum altero qui penes D. Thom. Phillipps asservatur sub n° 8390; ut sequitur: « Ne per impunitatem criminum convalescat insolentia perversorum, » fidelitati vestre mandamus quatenus illos qui quasdam segetes discreti viri archidiaconi » Montisregalis in noctis silentio temere devastarunt, ut eidem debitam satisfactionem impen- » dant, veritate agnita, tradita vobis a nobis potestate cogatis; talem penam infligentes » eisdem quod ea ipsis sit ad supplicium et ceteris in exemplum. Si vero aliqui rebelles temere » se opponerent in hac parte, ipsorum temeritatem taliter corrigatis et castigetis, quod qui se » stultum demonstrat in culpa, sapiens sit in pena. »

APPENDIX CONSTITUTIONUM.

Mandata de poena sumenda propter vim mulieribus illatam. — Cf. lib. I, tit. XXI, XXII, XXIII, p. 23–26.

I.

(Inedit. ex cod. Biblioth. Vindobon. dicto *Philologus* 305, fol. 159, recto-verso.)

Fredericus, etc., *tali* judici, etc. Rem horribilem et quieti nostrorum temporum merito displicentem exponente *tali* nuper audivimus : quod dum *talis tali* ancille sue virginis pudicitiam attemptasset nec ipsam ad sue libidinis motum voluntariam invenisset, oportunitate capta de absentia sue uxoris et familie ipsius, ad ipsam ancillam subitum fecit insultum, virginitatis sue spolium cupiens, quod puelle voluntate non poterat, per violentiam obtinere. Quod etiam cum in clamores mulieris prefate, que se imbecillitate muliebri defendere nitebatur, vicinis concurrentibus assequi minime potuisset, continere crimen indictum (?) lesa conscientia non valente, fugam arripuit ut per absentiam sue (juste) vindicte judicium evitaret. Cum igitur raptus habeatur iniquus et nostris legibus ac Deo odiosum (*sic*), fidelitati tue mandamus quatinus ad investigationem malefactoris ipsius omni sollicitudine studiosus existens, inquisitionem de maleficio facias diligentem, ac inventum eumdem cautissima custodia facias reservari; ita quod [si] maleficium sic enormiter et enorme reppereris perpetratum, malefactoris copia tibi deesse non possit quin ad penam continuo valeas prosilire. Equum etenim est ut quem ad perpetrationem hujus criminis temeritas impulsit et ad confessionem facinoris fuga coegit, eumdem diligens custodia teneat et judicii debita pena castiget.

Digitized by Google

II.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. V, cap. IX, cum hac rubrica : « *Cuidam justiciario ut puniat villicum qui domini sui corrupit pedissequam et uxorem.* » Collat. cum variis codicibus Bibl. Parisiensis.)

Rem perniciosam exemplo per... [villicum] (*a*) nuper audivimus perpetratam : videlicet quod cum Petrus miles, fidelis noster, dominus ejus, apud ipsum universaliter rei familiaris depositum, et pudicitiam cujusdam pedisseque sue, imo uxorem propriam, etiam (nisi dici pudeat) fenoris non ignorans, studiose, sed temerarie commendasset; depositarius ipse fide dupliciter violata, perjurio furtum et furto perjurium, quod ex ipsius rei deposite contraria contradictione (*b*) contraxerat, furiose libidinis consortium aggregavit. Hanc igitur inimicitie familiaris pestem, sicut efficaciorem prospicimus ad nocendum, sic pene durioris aculeis ipsam esse decrevimus feriendam; tue fidelitati mandantes quatenus, si est ita, juxta confessionem maleficii, quam consuevit in publicum conscientia lesa producere, vel talibus probationibus qualibus (*c*) hujusmodi maleficium, quod tanquam hominum aspectibus horridum et humanis visibus verecundum, vix aut nunquam ex visu probari posset, exposcit, villicum ipsum prenominatum mutilari continuo vasis seminariis facias; ut ejus acerbe, sed juste vindicte terrore rustici, quin etiam quilibet familiares addiscant luxurie sue frenum imponere, et non tantum in uxoribus dominorum, sed in focariis etiam cum pudicitia fidem et cum fide pudicitiam observare.

Concessio advocationis officii in quibusdam terris. — Cf. lib. I, tit. LXXXIII et LXXXIV, p. 61 et 62.

(*a*) In impressis *pernicioso*, male.

(*b*) In impressis *contractione ;* in codicibus *condictione.*

(*c*) Sic in omnibus. Sensus vero *quales* requirit.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. VI, cap. XXI; intitulatur autem in codice 455 : « Conradus Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. »)

Notum facimus fidelitati vestre quod nos confisi de prudentia et legalitate . . . fidelis nostri, de cujus fide et sufficientia laudabile testimonium serenitas nostra recepit, officium advocationis in terris ipsis eidem duximus concedendum, ut illud ad honorem et fidelitatem nostram debeat de cetero fideliter exercere. Quapropter fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus, postquam vobis constiterit per literas justiciarii regionis ipsius ipsum fidelitatis et officii prestitisse debitum juramentum, de omnibus que ad officium advocationis pertinere noscuntur intendatis et pareatis eidem, tanquam advocato in terris ipsis per nostram excellentiam constituto. Datum, etc.

Exemplum concessionis mulieri filiorum suorum tutrici factae, scilicet ut causas pupillorum in judicio et extra judicium per procuratores ab ipsa statutos exercere valeat. — Cf. lib. II, tit. XLII, p. 112.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. V, cap. L, cum hac rubrica : « *Concedit nobili mulieri tutrici filiorum quod possit constituere procuratorem in causa sua.* » Coll. cum cod. Paris. *Notre-Dame* 202, cod. Guelferbit. *Aug.* 13-4 et cod. Phillipps 8390.)

Fredericus, etc. Imperialis benevolentia, cum fidelium subjectorum et nobilium maxime preces admittit, et suum extollit solium et ad serviendum devotos animat incessanter. Hinc est quod nobilis vir A. civis Senensis, fidelis noster, pro filia sua Isabella, relicta quondam J. de Ruppemontis (*a*), tutrice (*b*) filiorum suorum et Jacobi supra dicti, majestati

(*a*) In impressis *Jacobi Incontrati* (?).

(*b*) Ibidem *nutrice*, male.

Digitized by Google

nostre humiliter supplicavit : ut de innata gratia et potestate nobis imperii divinitus impertita, juris civilis rigorem, qui non aliter sanxit inchoata exerceri certamina nisi quod judicio inchoato, ipse principales persone calumnie subeant juramentum vel jusjurandum; rigorem etiam indicentem ne per tutores vel curatores ante ceptum judicium possint procuratores constitui seu actores, misericorditer temperantes, eidem filie sue, fideli nostre, tutrici filiorum suorum, ad prosequendas lites et explicanda negocia pupillorum in judiciis et extra judicia per procuratores, ab ipsa tutrice statutos vel statuendos, pro quibus cautionem exponet legitimam, et quod ipsi procuratores in causis ipsis sacramenta prestent calumnie, predictos juris rigores per nostram excellentiam relaxari tam pie quam misericorditer mandaremus. Nos autem attendentes grata satis et accepta servitia que dictus A. et antecessores sui nobis et imperio nostro exhibuerunt hactenus et exhibent incessanter, et in antea de bono in melius exhibere poterit gratiora; considerantes etiam nobilitatem mulieris prefate, quod virorum cetibus pro exequendis negociis pupillorum se honeste nequeat immiscere, et ne femine, prosequende litis obtentu, in matronalis pudoris contumeliam irruant, si cogantur masculorum conventibus vel judiciis interesse; cum et legem meminerimus editam (1), que propter pudorem et verecundiam feminarum, eas non sinit testibus vel cetui publico demonstrari, sed per procuratores idoneos imperialem possint adire clementiam, ad etatis veniam impetrandam; his et aliis justis et honestis rationibus inclinati, benignius dicti fidelis nostri supplicationes admisimus, eidem Isabelle filie sue de speciali gratia concedentes ut causas et lites pupillorum suorum in judicio et extra judicium, dum tempus tutele duraverit, per procuratores ab ea statutos vel statuendos, ac si etiam ipsa tutrix hoc faceret, valeat exercere. Eisdem etiam procuratoribus indulgemus ut in litibus in judiciis exercendis ipsi procuratores sacramenta calumnie prebeant, cum pro negociis pupillorum se casus ingesserit opportunus; objectione qua principales persone non fuerint vel lege aliqua non obstante. Statutis etiam civitatis

(1) Cf. supra inter novas constitutiones, p. 180.

Senarum cessantibus in hac parte, et specialiter lege que a principalibus personis exigit calumnie juramentum, et que etiam a tutoribus et curatoribus procuratorem prohibet statuendum : dum tamen pro ipsis procuratoribus caveatur firmum fore ac validum quod duxerint agitandum; ne judicia sint ludibria, vel authoritate nostra se doleant circumventos qui cum talibus contraxerunt.

Mandatum super statu castrorum nunciando et super castellanis non amovendis.— Cf. supra constitutionem *Capitaneorum*, p. 184.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. V, cap. LXXXVIII.)

Fredericus, etc., capitaneo, etc. Cum nomina castellanorum jurisdictionis tue, et statuta castrorum, juxta quorum tenorem seu consuetudinem tam castellanis quam servientibus in stipendiis providetur, numerum servientium uniuscujusque castri, et quibus castris de proventibus ministrantur expense, scire volumus; fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus de predictis omnibus et singulis nostram fideliter instruas majestatem : nullum ex castellanis, qui nunc sunt per ipsa castra statuti, seu in antea per nostram excellentiam statuentur, sine jussione nostri culminis aliquatenus amoturus.

Invectiva in justiciarium quia nimis tepide se gerit in officio sibi commisso, et responsiva ejusdem justiciarii.— Cf. p. 189 et seqq., praecipue vero p. 191.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. III, cap. LXVIII et LXIX.)

Digitized by Google

I.

Ut justorum et delinquentium merita digni censura judicii tractarentur, providit ex alto justicia reges et presides orbis terre actibus humanis preficere, ut justis per retributionis tramitem responderetur ad gloriam, et delinquentibus, qui juris regulas abdicant, responderetur ad penam. Igitur divine bonitatis arbitrium dissolutum hactenus regni regimen digne comitans, ipsius prefecture fastigium in nobis, velut in successore legitimo, collocavit ut transgressorum insolentias potestas nobis tradita flecteret et puniret, ac subditorum fidelium, qui a semita mandatorum nostrorum non deviant, obsequia digne retributionis commercio compensaret. Cumque ad id exequendum non possumus per universas mundi partes personaliter interesse, licet simus potentialiter ubique, nos providimus tamen de fidelioribus regni aliquos, velut nostri membra regiminis, determinatis et certis provinciis presidere, ut quod in potentia gerimus per eos, velut ministros, justicie deduceretur ad actum. Nuper enim exclamantium et conquerentium fidelium nostrorum ad audientiam nostram sedulo clamore pervenit, quod in decreta tibi provincia, juris ordine non servato et timore nostre majestatis abjecto, excessus perpetrantur illiciti, et transgressionum insolentie assidue committuntur, status regni pacifici dulcedine lacessita. Est ne istud de laude providi presidis quod nunc provincia cui preficeris predicat, quod strate violantur et predia, homines occiduntur, committuntur et furta, moventur rixe, excitantur et jurgia, die noctuque perpetrantur enormia, feruntur et arma, nec per te plectuntur exinde transgressores? Imo, ut auribus nostris innotuit, cum ad te deferuntur scelerum patratores hujusmodi, reservantur, et qui personali supplicio sunt plectendi, pecuniario apud te interveniente suffragio, a pena pro commissis sceleribus debita liberantur. Ad quorum exemplar alii elationis spiritum sumentes, in viros justos deseviunt et pacificos indesinenter offendunt : dum impunes transire respiciunt, quos ad personalem penam juris sanctio merito condemnaret. Certe si honorem tuum attenderes, si beneplacitum nostrum observares, procederes solertius in predictis, et in commisso tibi regimine accuratius vigilares; attendendo quicquid inde

Digitized by Google

laudis tibi acquiritur, quod premium a dextera nostre majestatis expectas; cum te incrassante in civitate qualibet jurisdictionis tue, ubi viget fertilitas et victualium copia affluenter exuberat, per partes alias jurisdictionis ejusdem scelerum nequitia perpetratur. Deponas nempe nutrire cutem, et Epicuri studeas vitam ejicere. Et ut ad exercendum tibi commissum officium fias agilior, postponas etiam que corpus nutriunt ad quietem, cum non sit quiescendum presidi, sed continue sit agendum. Et sic commissum tibi modicum regimen vigilanter et prudenter exerceas, quod in decreta tibi provincia premisse transgressiones et vitia depellantur. Quare fidelitati tue, sub obtentu nostre gratie, firmiter et expresse precipiendo mandamus quatenus per partes provincie jurisdictionis tue sine dispendio more discurras, tam provincialibus, tam indigenis singulis, quam advenis et concurrentibus universis justiciam ministrando : et sic a prefatis transgressoribus provinciam ipsam optime purgare procures, et exinde tribulos lesionis evellere, quod prefata facinora et transgressionum enormitas deleantur; transgressores, homicidas et fures, ac publicorum violatores itinerum, ac armorum illicitorum etiam delatores, tam preteritos quam futuros, ultionis debite gladio audacis more presidis viriliter puniendo, ut per te hucusque commissa injuria per cure solerciam redimatur, et soporis hucusque habiti abjecta gravedine, status pacis et justicie per vigilantie solertis excubias reformetur. Sic autem te gerere studeas studiose sollicitum, quod ex effectu laudabilium operum in conspectu nostro commendandus occurras. Sciturus quod si aliter inde feceris, preter indignationem nostri culminis quam incurres, sic contra te ad inflictionem penalem nostra procederet auctoritas, quod dolere merito poteris nostrum te sprevisse mandatum et tante negligentie inertiam commisisse.

II.

Debita reverentia majestatis vestre receptis et intellectis apicibus, in quibus evidentem innocentie mee caussam perpendi negligentis injurie perniciosis maculis obfuscatam, statim obstupui. Sed stupore tractu temporis, exposcente veritatis indagine, ab irreptione corporis recedente,

Digitized by Google

aliquantulum meus animus respiravit : sic quod inflicte macule cogitationis opace cumulum subiens, non nisi conquestionis materiam potuit eructare. En per vestre majestatis apices est assertum quod in regenda provincia ociosum inertemque me gero, tepidum pariter et remissum. Sicque pervigil cura mea dormienti cessit incurie, solicitudo cessit inertie, quieti labor cessit continue, dum pretense incuriositatis opaca caligo luculentam mei laboris operam operit, et false accusationis objectio veritatis instantiam obfuscavit, de quo si dicere liceat, nulla labis contagio polluit nec secreta cordis offensio me remordet. Vellem itaque quod si relata veritatis fulcimento quomodolibet fulcirentur, quod severus juris aculeus equa lance judicii percurreret mentem meam : nam quod de jure venit supplicium, leniter est ferendum. Sed quia teste vero Dei judicio, nulla macula negligentie aspersus, de neglecta cura decrete mihi provincie nulla justa caussa suadente percutior, dolore satis admoneor, et pro tanta calamitate doloris attributo mihi sine causa desidie, compellor emittere spiritum rationis; nisi forsan hanc tantum dixero ultimam esse adverse fortune sarcinam, quia dum miseris aliquod crimen infligitur, que sine caussa perferunt, meruisse creduntur. Scio quod ipsa rerum necessitate cogente, nec minus divine provisionis instinctu, principes gentium sunt statuti, quo vite necisque arbitri gentibus, super quas quisque fortunam, sortem statumque habet, alios velut executores divine scientie stabilirent : quod ubi personaliter esse non possent, adesse potentialiter crederentur, [dum] per loca remota sui regiminis officiales idoneos, quos sui lateris comitatus illustrat, quasi partes sui corporis destinarent. Per quos purgarentur commissa facinora, contentiosa coarctarentur, et jurgia iniqua supplantarentur; excessus eorumque fautores, actores, et complices, personarum et criminum qualitate pensata, pena debita damnarentur, et traderentur morti, potissime publicorum itinerum aggressores, cum intersit reipublice secure quemlibet per itinera publica commeare. Convenit enim ut in delinquentem pro qualitate delicti sententia tribuatur, ne si delinquentibus indulgeatur, ex indulgentia crimina subleventur. Et est a summo preside summa humanarum atque divinarum rerum data nobis instructio, ut iniquis hominibus impium non remaneat presidium, nec

quis peccandi locus delinquentibus relinquatur : sed ille servetur innocens, qui revera innoxius est in culpa, nec reputetur improbus, si quis proba se possit allegatione tueri, quid pro puritate pretendens. Nec ignoro similiter quod cum ex alto justicie solio media statera judicii actus filiorum hominum compensabit, nec boni premiis, nec carebunt suppliciis malefactores. Scio etiam quod officiales qui scelera reperta non judicant, vere conscii velut criminosi festinant, et in eos merito severus exercetur gladius ultionis, ut in sua nequeant nequitia gloriari. Cum igitur unusquisque bene judicet que cognoscit, et horum judex optimus censeatur, qui discussione debita non omissa, sub diligentis examinis lima legitimo testimonio comprobatur, miror tam instructum judicem tam leviter commoveri ad tam levem delationem, qua de malorum deliberatione describor et de funesta pecunie preceptione compulsor : ut sic vendere precio justicie mysterium asseveror, ut veri judicium circa mundi limites relegetur. Siquidem hoc in me concurrente in ea sententia condemnarer, quia ipse contra me testis et judex existerem, et locus testibus exteris laxaretur. Est itaque nequaquam facile credere quod quis sibi fodiat foveam in quam cadat, judex contra se ferat sententiam, et in sui dispendium sic terribile testimonium introducat. Quod idem ipse fecissem, si criminis objecta potentia veritatis fomite foveretur. Discutiat ergo, si placet, vestra serenitas juxta quod jacet ipsius rei veritatis effectus. Circuivi etiam continua discussione decretam mihi provinciam, et ipsam malis hominibus expurgavi, stratas inveni tutas, et predia tutiora, et tutissima corpora civitatum : et nunquam adeo inter vestros subditos decrete mihi provincie quietis et pacis vidi stare concordiam : armorum cruenta spectacula cerno quiescere, que in ipsius officii mei principio effervebant. Supplex igitur queso quod delata non placeant, videlicet quod frequentavi loca fertilia, sterilia vero sicco pede transivi, cutem colere non postposui, nec esse desii de genere Epicuri, quia nunquam fui de tali schola discipulus, nec de tali disciplina magister. Nam quis rei posset esse finalis exitus, quem nullum principium antecedit? Quis sperat posse desinere quod non cepit? Seviat in delatores tam improbos ira Dei, et detrahentes mihi non pertranseat furor vester. Et quia conscientie mee synceritas puritatem lucis desi-

Digitized by Google

derat clarioris, majestati regie (1) humiliter supplico consternatus ad pedes quatenus diligentis inquisitionis officium objecta discutiat, per quam contra me si probationis argumenta prevaleant, vindictam pene non fugio, cui voluntate spontanea me submitto. Presto sum etenim, si quid impium indebite gesserim, corporalibus expiare piaculis, et quodcumque per improvidentiam sensualitas attulit, rationis imperio reformare. Quod si delatorum labia, que ardentis invidie livor exacuit, falsitate farcita veritas ipsa monstrabit, cum se tristi supplicio dignos effecerint, regalis indignationis fulmine feriantur, etc., etc.

---

(1) Si quis inde forsitan ad Conradum post mortem Friderici epistolam fuisse directam conjecerit, id ad rem quam nunc in proposito habemus parvi refert.

FRAGMENTA VARIA AD RES FISCALES PERTINENTIA

EX REGISTRIS FRIDERICI SECUNDI HODIE DEPERDITIS.

Magistros fundicarios. Est nova haec constitutio, quia fundicum hic Federicus imperator imposuit primo. Et ideo tanquam de male quaesito praelati non habent inde decimam. Ar. ff. *pro socio. quod autem. quod concor.* Fundicus solvitur de omnibus mercibus grana XV per unciam. Sed de victualibus seu aliis habentibus jus exiturae quod est plusquam fundici, non solvitur, nec de animalibus nec de possessionibus nec de pannis nec de carnibus nec de pane vendito, sicut dicunt alia statuta imperialia quae sunt in dohanis nec sunt redacta in hoc volumine. De ferro etiam, sale, pice et azario solvitur majus jus. Item mercatores venientes ad locum ubi est fundicus debent exonerare merces in loco fundici, alibi non; quia perderent merces, nisi fundicarius id concedat, quia debet concedere ex antiquo usu quando merces sunt subtiles aureae vel aliae preciosae, quas esse in fundico non est bene tutum. Item mercator qui jus fundici fraudavit vel furari tentavit, perdit merces, puta recedebat jure fundici non soluto, ita quod furtum jam deduxit ad actum, ut in communi distinct. l. *si quis non dicam rapere.* ANDR. DE YSERNIA, ap. SARAYNA, *Constit. regni*, p. 105.

. . . . In herede officialis non habent locum, quia de dolo defuncti non tenetur nisi quantum ad eum pervenit. ff. *de dolo in herede.* In eum ergo vel principalem locum habet inquisitio ut inquiratur quantum [officialis] perceperat in officio et ad tantum dampnetur, nisi doceat se tradidisse et expendisse illud de mandato vel in specialibus negotiis curie et utilitatibus. Unde continetur in registris imperatoris Federici quod heres condempnat (condempnatur) secundum justiciam. — *Constit. summarie et gabellarum regni Sicil.*, ap. Bibl. Paris. n° 4625, fol. 64 recto.

De termino prefigendo ingredienti officiali ad ponendum rationem et de sacramento quod prestat.

. . . . . Ideo si [officialis] interrogatus et sine sacramento de residuo quod habet dicat se non habere vel tantum habere, et deinde plus inveniatur per examen rationis esse apud eum, tenetur de hoc cum pena dupli et carceri mancipatur donec solvat. Idem, si noluit solvere donec fuit inde compulsus per curiam, etiam si non negasset quia non fuit inde interrogatus : ut dicit declaratio imperatoris Federici que est in registris pro quibus est *de admin. rer. ad civitates* (*a*) *pertin.* l. *si in fine.* Detur quo-

(*a*) In cod. *ad curiam*, male. Cf. *Digest.* L, tit. VIII, 7.

Digitized by Google

que ei et prefigatur ei terminus peremptorius ad producendum omnes cautelas scriptas et munimenta quecumque quibus voluerit uti in positione rationis sue, usquedum seu donec sua ratio fuerit disjuncta et examinata per auditorem.... *Ibid.*, fol. 65 recto.

De excomputis que proponuntur curie a cabellotis.

. . . . . Sed si precedenti anno etiam prope finem actum esset aliqua donata aut subtracta, non haberet excomputum. Licet enim dicatur in forma locationis : « vendimus et locamus jura omnia sicut fuerunt anno preterito, » subditur « et si sunt hodie in manu curie ». Unde occurret qui emit caute scire quid emit quidve inde subtractum et donatum est, sicut apparet per declarationem imperatoris Federici (1). In simili etiam si non dicatur « et hodie sunt in manu curie » quasi sic intelligi debet, secundum quod declaratio ipsa dicit. *Ibid.*, fol. 65 verso.

. . . . Cum se ad commercia convertunt . . . nuncii magnatum, in hoc non dicuntur abesse causa reipublice eorum qui miserunt eos; sed si magnates non veniunt ad regem regni et transeunt per regnum alio euntes et curia mandat ut non exigatur ab eis directus, faciat excomputum quia non veniunt ad curiam; sicut quando imperator hoc mandavit de rege Francie eunte ultra mare, quia fecit in excomputum. . . *Ibid.*, fol. 65 verso.

. . . . Item de donatis a fisco non solvitur plazacium, ut dicit declaratio imperatoris Federici; per quod videtur idem in omnibus juribus, donationes regales habent multa privilegia ab aliis. C. *de bonis que liber.* l. *cum multa* in fine. Et non dicitur contrahere qui donationem accipit, ut supra dictum est. . . . *Ibid.*, fol. 65 verso.

. . . Ut si guerra supervenisset et propterea non posset cabellotus exercere cabellam vel mercatores non venirent aut mercationes non fierent licet sine culpa, curia hoc sic tenetur excomputare pro rata ut dictum est; non potuit provideri hic casus quid guerra insurgeret, et ideo tenetur curia ad excomputum, ut dicitur in dicta declaratione Federici pro qua est quod dicitur in glo. (glossa). C. *loca*[*ti*]. l. iij. . . *Ibid.*, fol. 66 recto.

De jure dohane.

. . . . Ubi vero non delato juramento [mercator] interrogatus diceret se nil debere, si postea reperiretur eum debere quando ponitur reus coram magistris rationalibus, tenetur ad duplum : quod non habet locum quando dohanerius similiter interrogatur. Primum constat per registra imperatoris. Sed utrum de perjurio tunc possit accusari si nescienter derogaverit, similiter diximus in capitulo predicto *de consuetudine recti feudi.* § *sacramentum.* — *Ibid.*, fol. 76 recto.

De jure buccerie.

Buceria debet de veteri et de novo scanaturam (*sic*) que est grana V per porcum et

(1) Vide quod supra edidimus, p. 219-221.

pro castrato, pro vacca plus est de veteri ; sed quia cabelloti exigebant pro plancis (*a*) seu locis ubi buczerie fiebant multo plus [quam] ordinatum fuit antiquitus et pro hiis adderentur ad porcum grana iij sicque pro castrato, pro vacca etiam certo aliomodo solvunt ad presens : unde in porco et sic de aliis gr. V et de veteribus juribus gr. iij. Et de novis statutis continetur etiam in registro imperatoris quod est in archivo ut nullus plancas altat (*sic*) in macello nisi curia et quod alibi non, et quod alibi non macellentur carnes, hoc est ad loca inhabitata. Item quod macella semper sint extra civitates et terras et loca habita[ta] propter aeris salubritatem. *Ibid.*, fol. 80 verso.

De jure tintorie seu calandre.

Pro tinctoria debetur certum quid : ut si panni tincti aliunde portentur ubi est tinctoria, solvitur nichilominus certum quid, secundum consuetudinem quasi eadem jura cum ferro et sale ; ista sunt secundum consuetudinem vel *de publica*[*nis*]. l. *Si pupillus* (*publicanus*). *in fine.* Quia hec odiosa sunt, hec non extenduntur nisi in casu quo locuntur solita. ff. *de legibus quondam ;* nam imposita fuerunt hec ab eo qui prepositus fuit regno et imperio, ut in decretali : *ab apostolice.* Pena sua propterea in inferno semper crescit, sicut pena auri et argenti (1). . . . *Ibid.*, fol. 81 recto.

De jure salis.

Saline de jure communi sunt in prediis privatorum. Sunt etiam in prediis censuariis seu curie, et tunc sunt jura regalia. Hodie sal est de novis statutis, quia totum usurpavit Federicus imperator. Unde nullus vendat sal nisi emptum a curia vel officialibus ejus. In Appulia tres thumulos pro uno tareno, in Terra Laboris, Principatu et Aprutio tarenum unum et granum unum pro quolibet thumulo, et ubi curia non habet salinas sicut in Terra Laboris, cabelloti salis faciunt portari sal de Sardinia et de extra regnum. Curia habet multas salinas in domanio suo, etc. *Ibid.*, fol. 81 recto.

De jure piscarie et portus.

Hec jura sunt vetera quia redditus portus et piscariarum in terris habentibus portum et piscarias nominantur inter publica jura. ff. *de verb. sign.* l. *inter publica.* Illud tamen quod superat ductum est per Fredericum imperatorem aut in piscibus qui devehuntur de loco ad locum per mare vel per terram (et tunc si pro passagio exigitur pro piscibus seu salmis piscium transeuntibus, erit de jure passagii), aut in aliis mercibus ad portum aliquem delatis ad vendendum et de novis statutis, sicut Luceria que debet de veteri et novo jure.

Quilibet portus habet in hoc suas leges et certos mores in exigendo et recipiendo : hic Neapoli jus piscarie diem (*lege* dicitur) sexantinum, quasi de sexaginta piscibus vel sexaginta denariis valoris piscium unus debeatur curie.

(*a*) In codice *plantis*, male.

(1) Nihil dubii quin agatur de Friderico quem glossator propter avaritiam mittit in infernum, Dantes vero, quia Epicureae doctrinae sectator dicebatur. Vid. *Inferno*, cant. X.

Digitized by Google

Continetur in dicto registro imperatoris quod Pisani conqueste (*sic*) fuerunt ei quod pro lignis et vegetibus emptis per eos in Neapoli solverunt et consueverunt solvere sexantinum tantum, et officiales Neapolis compellunt eos ad decimam. Mandavit imperator ut si est ita, non compellantur ad decimam, dummodo non repugnet novis statutis suis et juribus curie. Sub hoc jure portus secundum diversa loca sunt jura aliqua certis nominibus designata, secundum est consuetum, et in vulgari denominantur in Neapoli falanga jus quod debetur pro vassello trium vel duarum cabiarum ultra anchoragium. *Ibid.*, fol. 83 recto.

De jure balistarum.

Hoc jus per Federicum imperatorem impositum vassellis navigantibus ultra mare : ut si sit de tribus cabiis, debeat in redditu portare balistas tres curie, unam de turno, unam de leva et aliam bonam, ut valeant uncias quinque; et de hoc dat fidejussores in recessu, quas si non defert exigit curia ab eis aut fidejussoribus uncias auri quinque. Si sit duarum cabiarum, balistas duas. Si unius cabie, balistam unam. Non debetur nisi a vassellis ad partes ultra mare euntibus. Et sic continetur in registro imperatoris quod est in archivio de vassellis progniculorum (*a*), ubi mandat hoc observari, licet subditi murmurent; per quod recessum satis patet quod imposuit hoc. *Ibid.*, fol. 83 recto.

De jure lignaminum marenarie et regalium.

Hec jura nova sunt imposita per Fredericum imperatorem in Calabria et Sicilia; dicuntur esse sublata per aliam impositionem. Sicilia mater tyrannorum, dicit Crisius; diligit nova et novitates amplectitur. Imposuit terris seu universitatibus maxime feudis utile feudum, scilicet (*b*) tot ligna, fustes seu arbores debebantur. Conversa sunt in pecunia : ut pro quolibet ligno debeantur curie octo aut novem tareni, novem in terra Jordanis, octo in Valligratis. Marenaria debita per universitates terrarum et locorum quelibet est unciarum XXIII, tarenorum X. Unde continetur in predicto registro imperatoris quod terra Aydone de Sicilia debet curie anno quolibet pro marenaria uncias trecentas. Debet etiam regales seu regalia sive pro regalibus juribus quelibet regales duos aut plures. Pro quolibet regali debentur tareni novem. *Ibid.*, fol. 83 recto-verso.

De mercatoribus qui faciunt se cives ut non solvant dohanam et quando debent solvere.

Mercatores exteri qui consueverunt solvere de mercibus eorum annuatim magnam pecuniam pro dohana, emunt possessiones et faciunt se cives; solvunt modicum in collecta et evitant solutionem magnam pecunie pro dohana, quia non solvitur a civibus sed ab exteris. Hoc quod fit in fraudem non debet servari, quia sola domus possessio in aliena civitate non facit domicilium. ff. *ad municipalem.* l. *libertus.* § *sola domus.* Secus si mercator ex toto transferat domicilium suum in terram per illam, et fiat ibi

(*a*) Verisimiliter *propugnaculorum.*
(*b*) In codice *debet.*

civis bona fide, non in fraudem apertam, fictam vel presumptam, ut quando duxit uxorem suam nubi (*lege* inibi), in C. *de incolis.* l. *si in patria, lib. X°*, patriam et pretorium uxoris constituit suum domicilium atque transfert, tunc statim est ejus (*lege* civis) et sicut civis non solvit dohanam de contractibus factis per eum, postquam fuit civis; quia oportet eum ex tunc subire munera et functiones cum civibus : et sic non debet duplici dampno gravari, ut sit civis in functionibus et muneribus seu oneribus civibus impositis et exterus in solvenda dohana. Illud ergo quod fit in fraudem saltim presumptam removetur, puta si mercator emit possessionem in loco, sicut dicit declaratio imperatoris Federici. Nam si Capuanus haberet ab antiquo bona materna vel alia in Neapoli, non prohiberetur pluribus locis esse inscriptus. Solvit etiam munera patrimonalia ubi habet possessiones in diversis locis, et sic remanet ratio ut non gravetur duplici onere; et cum dohana non solvatur a civibus, est civis qui tenetur ad munera alicujus civitatis, etiam si ibi non habet domicilium. C. lib. X, *de incolis.* l. *cives.* — *Ibid.*, fol. 86 verso.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

N. B. Si quis constitutionem *Cum hereditarium regnum* (lib. III, tit. XXIII, pars II), scilicet de prohibendis matrimoniis regnicolas inter et alienigenas, reperire voluerit, requirat ad mensem decembrem anni 1233.

Item constitutiones *Nihil veterum principum*, etc., *Statuimus ut magnae*, etc., *Litteras de remissione*, etc., *Praecipimus offerri*, etc., *Hac lege in perpetuum*, etc., *Magister justitiarius*, etc., *Causas per magistros camerarios*, etc. (lib. I, tit. XXXVIII, XXXIX, XL, XLII), scilicet de officio magistri justitiarii et ordinatione magnae imperialis curiae, requirat quoque ad mensem januarium anni 1244.

M. *Melfenses* constitutiones designat; N. illas vero quae novae dicuntur. Quae inter novas inseruntur, typis inclinatis notavimus.

A

		Pag.
Ab officialibus nostris fidem, etc.	N.	213
Ab omnibus regni nostri judicibus, etc.	N.	181
Accusatorem post litem super, etc.	M.	86
Accusatorum temeritatem antiquis, etc.	M.	85
Ad expeditionem celerem nostrorum, etc.	N.	218
Ad laudem et gloriam Dei nostri, etc.	M.	176
Ad legitima pondera et mensuras, etc.	M.	156
Ad officium bajulorum praecipue, etc.	N.	200
Adscriptitios sine voluntate, etc.	M.	119
Ad subjectorum nostrorum invidiam, etc.	N.	222
Advocatorum officium qui dubia, etc.	M.	61
Advocatos tam in curia nostra, etc.	M.	62
Adulterinam monetam cudentibus, etc.	M.	164
Amatoria pocula porrigentes, etc.	M.	167
Animalia in vineis et possessionibus, etc.	M.	161
Apostatantes a fide catholica, etc.	M.	8
Appellationum tempora, etc.	M.	115
Apud justitiarios regionum et omnes, etc.	N.	195
Asperitatem veterum legum, etc.	M.	15
Auctoritatem etiam bajulis, etc.	N.	206
Auctoritatem magistris procuratoribus, etc.	N.	210

B

Bajuli locorum et judices, etc.	N.	201
Bajulos et omnes judices, etc.	N.	204
Bajulus si furem ceperit, etc.	M.	38

Beneficium restitutionis in integrum, etc. . . . . M. 113
Benigna gratiae nostrae provisio, etc.. . . . . N. 237
Blasphemantes Deum et Virginem, etc. . . . . M. 175

C

Capitalem poenam quam contra, etc. . . . . M. 24
Capitaneorum autem et magistrorum, etc. . . . . N. 182
Castellani et servientes ab incarceratis, etc. . . . . M. 44
Castellanis et servientibus castrorum, etc. . . . . M. 17
Castellanorum civiles excessus, etc. . . . . M. 46
Castra, munitiones et turres, etc. . . . . M. 111
Causas alias ordinario judicio, etc. . . . . N. 191
Circa tamen compalatios, etc. . . . . M. 44
Circa violentiarum poenas, etc. . . . . M. 27
Citationis litterae tam per justitiarium, etc. . . . . M. 65
Clementiae imperialis vestigiis, etc. . . . . M. 78
Clerici quos a forensibus, etc. . . . . M. 13
Comes, baro, miles seu quicumque, etc. . . . . M. 13
Comite vel barone viam universae, etc. . . . . M. 135
Comitibus, baronibus ac universis, etc. . . . . M. 133
Communiter tam justitiarii quam, etc. . . . . N. 189
Constitutione praesenti in posterum, etc. . . . . M. 163
Constitutionem divae memoriae, etc. . . . . M. 122
Constitutionum praedecessorum, etc. . . . . M. 13
Consuetudinem hactenus in judiciis, etc. . . . . M. 111
Consuetudinem pravam, etc. . . . . M. 110
Consuetudinem quam olim, etc. . . . . M. 56
Contingit interdum actorem, etc. . . . . M. 71
Contingit interdum aliquem, etc. . . . . M. 94
Contumacem civili et personali, etc. . . . . M. 67
Cordi nobis est per universas, etc. . . . . M. 79
Corruptelae crimen praesenti, etc. . . . . N. 185
Crebra nostrorum fidelium, etc. . . . . M. 38
Culpam non immerito reputantes, etc. . . . . M. 46
Cultus justitiae silentium, etc. . . . . M. 34
Cum circa justitiae tramites, etc. . . . . M. 59
Cum concessiones et privilegia, etc. . . . . M. 100
Cum justitiae copiam per officiales, etc. . . . . M. 61
Cum juxta providum et salubre, etc. . . . . N. 202
Cum nova nostri nominis, etc. . . . . M. 57
Cum per partes Apuliae, etc. . . . . M. 159
Cum satis abundeque sufficiant, etc. . . . . M. 53
Cum universis et singulis regni, etc. . . . . M. 125
Custodes de quorum custodia, etc. . . . . M. 15

Digitized by Google

D

De burgensaticis petitorio, etc. . . . . N. 227
Defensas impositas et contemptas, etc. . . . . M. 22
De personis clericorum totius, etc. . . . . M. 48
De quaestionibus quas inter, etc. . . . . N. 202
De tua fidelitate, prudentia, etc. . . . . N. 214
Dignum fore credimus et consentaneum, etc. . . . . M. 121
Dilationes in judiciis hactenus, etc. . . . . M. 90
Disputare de regis judicio, etc. . . . . M. 9
Divinae justitiae consentientes, etc. . . . . M. 163
Divorum principum praedecessorum, etc. . . . . N. 184
Dohanae de secretis et quaestorum, etc. . . . . M. 36
Domini a vasallis suis assecurari, etc. . . . . M. 134
Dubitationem jurisperitorum, etc. . . . . M. 72
Duram consuetudinem et iniquam, etc. . . . . M. 143
Duram et diram poenam, etc. . . . . M. 52

E

Ea quae ad speciale decus, etc. . . . . M. 53
Eadem poena ferire, etc. . . . . M. 167
Edictorum ordinem priscis legibus, etc. . . . . M. 64
Eorum fraudibus occurrentes, etc. . . . . M. 114
Eos qui scienter perjurant, etc. . . . . M. 175
Eos tantum officiales nostros, etc. . . . . M. 146
Errores eorum qui villanos, etc. . . . . M. 120
Etsi causarum varietas, etc. . . . . N. 234
Exceptione filiationis, generis, etc. . . . . M. 95
Exceptiones dilatorias, prout, etc. . . . . M. 94

F

Fidelium nostrorum injurias, etc. . . . . M. 19
Forjudicatorum bona veluti, etc. . . . . M. 80
Fratribus ob dotes sororum, etc. . . . . M. 130

G

Generalia jura condentes, etc. . . . . M. 75
Grandis utilitas et necessitas, etc. . . . . M. 74

H

Hac edictali lege in perpetuum, etc. . . . . M. 123
Hac edictali lege jubemus, etc. . . . . N. 206

Hi qui per inquisitiones hujusmodi, etc. . . . . N. 192
Homines extra regnum, etc. . . . . M. 44
Honorem debitum atque praecipuum, etc. . . . . M. 50
Honorem nostri diadematis, etc. . . . . M. 134
Hostici exceptionem quam, etc. . . . . M. 92
Humanitate nobis suggerente, etc. . . . . M. 83

I

In aliquibus regni nostri, etc. . . . . M. 136
In causa depositi in qua, etc. . . . . M. 106
In civilibus causis bajulos, etc. . . . . N. 207
Inconsutilem tunicam Dei, etc. . . . . M. 5
In locis demanii nostri aedificia, etc. . . . . M. 144
In locis demanii nostri ubique, etc. . . . . M. 54
In pecuniariis litibus omnibus, etc. . . . . M. 100
In quaestionibus violentiarum, etc. . . . . M. 24
Inquisitiones generales per provincias. . . . . N. 192
Instrumenta de donationibus, etc. . . . . M. 97
Instrumentorum robur et solemnitatem, etc. . . . . M. 58
Intentionis nostrae salubre, etc. . . . . M. 43
Inter caetera capitula quae in, etc. . . . . M. 48
Inter multas et arduas sollicitudines, etc. . . . . N. 207
In terra qualibet regni nostri, etc. . . . . M. 154
Item dira et dura observatio, etc. . . . . N. 194

J

Judex si accepta pecunia, etc. . . . . M. 117
Judices ubique locorum, remotis, etc. . . . . N. 188
Juris gentium induxit auctoritas, etc. . . . . M. 17
Jurisperitorum altercationes, etc. . . . . M. 118
Justi cultoris partes assumimus, etc. . . . . N. 179
Justitiarii de caetero non compellant, etc. . . . . N. 196
Justitiarii nomen et normam, etc. . . . . M. 17
Justitiarii non per calendas, etc. . . . . N. 190
Justitiarii per provincias statuantur, etc. . . . . N. 189
Justitiarios, camerarios, castellanos, etc. . . . . M. 37
Justitiarios regionum certis, etc. . . . . N. 195
Justitiarios regionum, prout, etc. . . . . N. 196

L

Lege praesenti pietatis officio, etc. . . . . N. 180
Leges quae a quibusdam simplicibus, etc. . . . . M. 102
Legum asperitate lenita, etc. . . . . M. 168

Digitized by Google

Lenas sollicitantes alienam, etc. . . . . M. 170
Lenas sollicitantes pudicitiam, etc. . . . . M. 172
Licentiam baronibus et militibus, etc. . . . . M. 129
Lite legitime contestata, etc. . . . . M. 95
Litigator autem qui judicem, etc. . . . . N. 185
Locorum bajuli qui a magistris, etc. . . . . M. 37

M

Magistri camerarii qui per, etc. . . . . N. 197
Magistris procuratoribus nostrae, etc. . . . . N. 210
Magistros camerarios regionum, etc. . . . . N. 197
Magistros fundicarios curiae, etc. . . . . N. 211
Magistros mechanicarum artium, etc. . . . . M. 152
Magnae curiae nostrae magistrum, etc. . . . . M. 49
Majestati nostrae quorumdam, etc. . . . . M. 171
Mala et noxia medicamenta, etc. . . . . M. 166
Mancipia fugitiva quae constitutio, etc. . . . . M. 143
Maritum lenocinii poena coercet, etc. . . . . M. 171
Matres quae publice prostituunt, etc. . . . . M. 173
Matres virgines filias prostituentes, etc. . . . . M. 170
Mercatores quoslibet regni nostri, etc. . . . . M. 155
Minoribus qui aetatis suae suffragio, etc. . . . . M. 139
Minorum jura qui in judiciis, etc. . . . . M. 112
Monomachiam quae vulgariter, etc. . . . . M. 105
Mores dissolutae viventium, etc. . . . . M. 174
Mulier quae dotarium habuerit, etc. . . . . M. 130
Mulieres ad curiam nostram, etc. . . . . N. 180
Mulieribus ubi non modice, etc. . . . . M. 112
Multae leges sacrilegos, etc. . . . . M. 9
Multum nostris derogatur affectibus, etc. . . . . N. 238

N

Non sine grandi consilio, etc. . . . . M. 33
Nullus campio si devictus, etc. . . . . M. 108

O

Ob filiorum culpas innocentes, etc. . . . . M. 82
Obscuritatem legis divi regis, etc. . . . . M. 113
Observent diligentissime judices, etc. . . . . M. 146
Occupatis nobis circa totius, etc. . . . . N. 186
Officia quae personis personaliter, etc. . . . . M. 178
Officiales reipublicae vel judices, etc. . . . . M. 35

Officialis qui sua negligentia, etc. . . . . M. 35
Officiorum periculosa confusio, etc. . . . . M. 40
Omnes bajuli locorum et judices, etc. . . . . N. 205
Omnes nostri regiminis sceptro, etc. . . . . M. 93
Omnes officiales nostros abstinere, etc. . . . . N. 221

P

Pacis cultum qui a justitia, etc. . . . . M. 12
Partes in judicio litigantes, etc. . . . . M. 97
Patarenorum receptatores, etc. . . . . M. 8
Patres pro filiis et e contra, etc. . . . . N. 181
Pecuniam si quis invenerit, etc. . . . . M. 142
Per universas provincias regni, etc. . . . . M. 157
Personas rebus aliis praeferentes, etc. . . . . M. 122
Pervenit ad audientiam nostram, etc. . . . . M. 140
Pervenit ad aures nostri culminis, etc. . . . . M. 157
Pessimam et horrendam questus, etc. . . . . M. 26
Poculum amatorium vel quemlibet, etc. . . . . M. 166
Poena carere volentes innoxios. . . . . M. 82
Poenam calumniae contra calumniantes, etc. . . . . M. 87
Poenam eorum qui in contumacia, etc. . . . . M. 76
Poenam novem unciarum auri, etc. . . . . M. 66
Poenam praecedenti sanctione, etc. . . . . M. 174
Poenas contra mercatores, etc. . . . . M. 156
Post citationem emissam, etc. . . . . M. 88
Post mortem baronis seu militis, etc. . . . . M. 135
Post mundi machinam, etc. . . . . M. 3
Praedecessorum nostrorum veterum, etc. . . . . N. 227
Praesenti constitutione decernimus, etc. . . . . N. 223
Praesenti lege decernimus omnibus, etc. . . . . N. 180
Praesenti lege decernimus ut campiones, etc. . . . . M. 109
Praesenti lege decernimus ut officium, etc. . . . . N. 197
Praesenti lege sancimus ut nec, etc. . . . . N. 194
Praesides provinciarum de feudis, etc. . . . . N. 195
Priusquam citatae partes, etc. . . . . N. 196
Privilegia et instrumenta proditorum, etc. . . . . M. 98
Privilegia quibusdam locis a nobis, etc. . . . . M. 72
Probationum cursibus competenti, etc. . . . . M. 107
Probationum defectum in causis, etc. . . . . M. 107
Pro scripturis et scriptoribus, etc. . . . . N. 205
Prosequentes benivolum nostre, etc. . . . . M. 103
Puritatem quam nos ipsi sectamur, etc. . . . . M. 11

Q

Quadragenalem praescriptionem, etc. . . . . M. 145
Quae passim venalem formam, etc. . . . . M. 169
Quaestiones jurisperitorum, etc. . . . . M. 69
Quaestiones omnes inter fiscum, etc. . . . . N. 200
Qualitas personae gravat, etc. . . . . M. 166
Quamplurium regni nostri fidelium, etc. . . . . M. 132
Quamvis uxorem suam, etc. . . . . M. 169
Quanto caeteris terrae principibus, etc. . . . . M. 11
Quantumcumque sibi litigiosa, etc. . . . . N. 216
Qui coram se spectante, etc. . . . . M. 169
Qui de alto se ipsum praecipitat, etc. . . . . M. 174
Qui dolose domum incenderint, etc. . . . . M. 173
Qui falsitatem instruxerit testibus, etc. . . . . M. 165
Qui falso instrumento nescius, etc. . . . . M. 165
Qui litteras regias aut mutat, etc. . . . . M. 164
Qui nummos aureos vel argenteos, etc. . . . . M. 165
Qui post crimen adulterii, etc. . . . . M. 85
Qui sciens liberum hominem, etc. . . . . M. 173
Quia frequenter sub praetextu, etc. . . . . M. 127
Quia nunquam sciri potest, etc. . . . . N. 235
Quicumque mulierem clamantem, etc. . . . . M. 25
Quicumque toxicum aut malum, etc. . . . . M. 167
Quisquis amodo mederi voluerit, etc. . . . . M. 149
Quisquis de burgensibus aut villanis, etc. . . . . M. 123

R

Rapinas eorum qui de rebus, etc. . . . . M. 32
Regiae majestatis prudentia, etc. . . . . M. 39
Rei vendicatione conventus, etc. . . . . M. 69
Repudium in hac accusatione, etc. . . . . M. 170

S

Saepe contingit accusatorem, etc. . . . . M. 87
Saepe contingit quod dum petitionibus, etc. . . . . N. 224
Saepe contingit quod multitudo, etc. . . . . M. 42
Salubritatem aeris divino, etc. . . . . M. 151
Sancimus amodo in omni, etc. . . . . N. 229
Sancimus lege praesenti, etc. . . . . M. 134
Scire volumus principes nostros, etc. . . . . M. 149
Servos et ancillas omnes, etc. . . . . M. 142
Si civiliter agens ab adversario, etc. . . . . M. 93

Digitized by Google

Si damna clandestina, etc. . . . . M. 29
Si dominus vasallum suum, etc. . . . . M. 129
Si dubitatio aliqua super, etc. . . . . M. 126
Si exceptio peremptoria, etc. . . . . M. 96
Si judex fraudulenter, etc. . . . . M 117
Si maritus uxorem in ipso, etc. . . . . M. 171
Si quando aliquem forjudicari, etc. . . . . M. 84
Si quando contigerit aliquos, etc. . . . . M. 127
Si quando forte contigerit a magistris, etc. . . . . N. 208
Si quando necessitate cogente, etc. . . . . M. 162
Si quem nostrorum fidelium, etc. . . . . M. 63
Si quis aliquem cum armis, etc. . . . . M. 45
Si quis aliquem occisum, etc. . . . . M. 176
Si quis baro vel miles uxorem, etc. . . . . M. 128
Si quis castellanorum, etc. . . . . M. 45
Si quis clericus de haereditate, etc. . . . . M. 40
Si quis in posterum nostri nominis, etc. . . . . M. 20
Si quis patris testamentum, etc. . . . . M. 166
Si quis post litem super personali, etc. . . . . M. 67
Si quis rapere sacratas, etc. . . . . M. 23
Si vasallus a domino suo, etc. . . . . M. 131
Sic nostra servitia perfici, etc. . . . . N. 221
Sicut accepimus nostrorum, etc. . . . . N. 225
Sive reali sive personali actione, etc. . . . . M. 70
Speciale quoddam Francorum jus, etc. . . . . M. 89
Sponte volentibus a lite, etc. . . . . M. 71
Statuimus etiam ut si quando, etc. . . . . N. 202
Statuimus ut juxta decretum, etc. . . . . M. 40
Summo periculo quod ex pugilum, etc. . . . . M. 109
Super incisionibus arborum, etc. . . . . M. 28
Super infrascriptis capitulis, etc. . . . . N. 219

T

Terminum vitae hominum, etc. . . . . M. 16
Testamentorum publicorum, etc. . . . . M. 165

U

Universos et singulos judices, etc. . . . . M. 116
Usurariorum nequitiam qui, etc. . . . . M. 10
Ut delicti fines poenae crudelitas, etc. . . . . M. 161
Ut de successionibus comitum, etc. . . . . M. 138

Digitized by Google

Ut dignitatum gradus et hominum, etc. . . . . M. 148
Ut officialibus et procuratoribus, etc. . . . . N. 212
Ut participatio condecens, etc. . . . . M. 33
Ut universis et singulis regni, etc. . . . . M. 54
Utilitati speciali prospicimus, etc. . . . . M. 150

V

Varietates poenarum super, etc. . . . . M. 147
Violentias subjectorum nostrorum, etc. . . . . M. 27
Volumus et praesentis legis, etc. . . . . N. 187

APPENDIX CONSTITUTIONUM.

Mandata de poena sumenda propter vim mulieribus illatam. 240
Concessio advocationis officii in quibusdam terris. 242
Exemplum concessionis mulieri filiorum suorum tutrici factae. 242
Mandatum super statu castrorum nuntiando et super castellanis non amovendis. 244
Invectiva in justiciarium quia nimis tepide se gerit in officio sibi commisso, et responsiva ejusdem. 244
Fragmenta varia ad res fiscales pertinentia ex registris Friderici secundi hodie deperditis. 250

Digitized by Google

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

ANNO 1231. — INDICTIONE 5.

Mense augusti de mandato imperiali per totum regnum seta cruda emi prohibetur; similiter sal, ferrum et aes emi non nisi a doana imperiali mandatur. . . . . .

Mense septembris apud Sanctum Germanum, sicut per totum regnum, pondera et mensurae mutantur, ponuntur rotuli (1) et tumini. Tinctarias omnes de regno ad opus fisci imperialis recipi praecipit imperator, et super hoc suas mittit litteras generales; quas cum duo Judaei pro judaeca Sancti Germani recipienda detulerint, ipsam Reginus archiepiscopus capi prohibuit, mandans ipsis Judaeis ut ipsam in pace dimittant monasterio Cassinensi. RICCARD. DE S. GERMANO, *Chronic.* ad ann.

(1) De distinctione ponderum ita legitur in codice praelaudato: *Constitutiones summarie et gabellar.*, fol. 99 recto-verso:

Pondus granorum XX. . . . . tarenus I.
Pondus tarenorum XXX. . . . . uncia I.
Uncia una habet in pondere. . . . grana VIC.
Libra una habet in pondere. . . . tarenos IIICLX.
Et sic contingit in se grana VIIIMIIC.

Digitized by Google

[Circa medium septembrem.] Fridericus, Romanorum imperator, Januensibus mandat ut nuncios cum potestate transmittant ad curiam, quam Ravennae celebrandam primo die novembris de consilio summi pontificis indixit.

(Edit. in *Caffar. Annal. Genuens.*, ap. Murator., *Scriptores rer. Italicar.*, t. VI, p. 464, et ap. Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 570; coll. cum codice Mus. Britann. 12031 magnifice exarato, sec. XV, e collect. Franc. Danielis prodeunte.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, potestati totique communi Janue fidelibus suis gratiam et bonam voluntatem suam. Dudum per litteras nostras vos fecisse recolimus plenius certiores qualiter de consilio summi pontificis indiximus primo venturo mense novembris in festo Sanctorum Omnium

---

Rotulus habet in pondere libras II, uncias IX, tarenos X.
In unciis. . . . . uncias XXXIII, tarenos X.
In tarenis. . . . . tarenos M.
In granis in pondere. . . . . grana ^{XX}M.
Degaltrum unum habet rotulos IV.
Libras undecim, unciam unam, [tarenos X.]
Uncias CXXXIII, tarenos X.
Tarenos ^{IV}M.
Grana ^{LXXX}M.
Cantarium ad grossum, videlicet de lana, caseo, lardo, carnibus salatis et aliis mercibus, est in pondere. . . . . degaltra XXV.
. . . . . rotuli C., etc.
Milliarium ad grossum, videlicet de predictis mercibus grossis, est in pondere cantaria VI.
Et continet in degaltro [degaltra] CL.
Item continet in se rotulos DC., etc.
Milliarium de aliis mercibus est cantaria IV.
Et continet in se in pondere degaltra C.
Item continet in se in pondere rotulos ^{IIII}C., etc.

Digitized by Google

generalem curiam in Ravenna, cum rege Alemanie filio nostro et universis imperii principibus vita comite sine defectu quolibet celebrandam; desiderio summo zelantes ad honorem Dei et imperialem gratiam pacem universalem imperii reformare, disponere statum Italie prosperum et tranquillum, sedare discidia civitates inter et extra ferventia et inter vicinos populos omnem turbinem et odii fomitem amovere. Tempus idoneum esse confidimus quo vestra et universalium omnium vota piis monitis nostre mansuetudinis debeant convenire, ut tot incumbentibus dissentionum malis que passim et publice civitates et populos in desolationem impellunt, que intestina et plusquam civilia bella movent, finis debitus imponatur. Nos enim cum omni serenitate cordis et corporis ad ipsius celebritatem curie auctores pacis noveritis advenire, pro dispositione status imperii et dissensionibus ammovendis, cum consilio summi pontificis, assistentia principum et nostrorum provisione fidelium procedere proponentes. Quapropter universitati vestre sub debito fidelitatis quo nobis et imperio tenemini firmiter precipiendo mandamus quatinus eligatis de communi vestro viros industrios et peritos, quot et quales videritis expedire, una cum potestate vestra mittendos ad Ravenne curiam pretaxatam, qui veniant omnium vestrum auctoritate providi consilii moderatione subfulti, qua sufficienter valeant nostris colloquiis et ordinationibus interesse; prudentia et virtute conspicui ut quid de promotione status imperii et tranquillitate totius Italie fuerit per generale colloquium approbatum, pro parte sua et nostra sciant et possint diligenter implere.

Gregorius papa Vercellensi et Brixiensi episcopis electoque Mantuano scribit quod, cum Fridericus, Romanorum imperator, cum filio ejus et Alemanniae principibus colloquium in partibus Lombardiae habere intendat, ipsi moneant rectores Societatis Lombardiae ne quid impedimenti huic colloquio afferant. Reate, 27 septembris.

Digitized by Google

(Edid. partim Raynald., *Annal. eccles.*, tom. XXI, § III, ad ann. 1231.)

Gregorius, etc. Vercellensi et Brixiensi episcopis et electo Mantuano, etc.

. . . . . .

. . . . . .

Ex parte imperatoris ejusdem nostris est nuper auribus intimatum quod idem intendit habere generale colloquium cum nobili viro nato suo aliisque principibus Alemannie in partibus Lombardie; promittens nostro consilio se usurum nihilque facturum quod in derogationem pacis existat Ecclesiam vel ejusdem societatis homines offendendo, exhibiturus possibilem et honestam de securitate hominibus societatis predicte prestanda, quam eidem consuluerimus cautionem. Nolentes igitur ullam dari cuiquam materiam malignandi, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus convenientes in unum dilectos filios rectores societatis ipsius, super cautione predicta et aliis tractatu cum eis prehabito, diligenter monere ac inducere procuretis ne quod eidem ad hoc impedimentum patiantur opponi, sed dictum nobilem et alios ad ejus propter hoc presentiam venientes libere ac tanquam viros pacificos per Lombardiam transire tam eundo quam redeundo permittant, ita quod nullam sustineant injuriam vel offensam; proviso ne si ejus colloquium per ipsos contra nostrum consilium contingeret minus provide impediri', pacis negotium videatur per eos et quoad eos quasi studiose dissolvi. Quia vero dictus imperator proponit accelerare colloquium, mandatum nostrum curetis adimplere celeriter, tamen caute, cum hec omnia velimus esse secreta; nobis cito et fideliter rescripturi quidquid super hoc inveneritis apud eos, ut insinuatione vestra suscepta possimus negotio providere sicut fuerit providendum.

Datum Reate, V kalendas octobris, pontificatus nostri anno V.

---

apud Fanum, novembri. Fridericus, Romanorum imperator, Ottoni comiti Gelriae omnia quae comes Gerardus pater ejus ab imperio tenuit, concedit et

Digitized by Google

confirmat; mandans ipsum personaliter per Trajectensem episcopum, recepto prius fidelitatis et hominii juramento, investiri.

(Edidit LACOMBLET, *Urkundenb. für die gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 89, n° 173, ex Redinghovens samml., III, fol. 5.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Otto comes Gelrie fidelis noster nostre celsitudini supplicavit quatenus ea que olim comes Gerardus pater ejus [a nobis et imperio tenuit, sibi concedere dignaremur. Nos itaque considerantes grata obsequia que idem comes Gerardus nostre (*a*)] dudum exhibuit majestati, sperantes ab eodem comite Ottone filio ejus recipere gratiora, suis justis supplicationibus inclinati, ea omnia que nominatus olim pater ejus in vita sua et usque ad diem obitus sui de gratia et concessione nostra suum per privilegium vel alias absque privilegio tenuit, dummodo juste a nobis et imperio tenuisse noscatur, predicto comiti Ottoni concessimus et confirmavimus, et fratrem Aylhardum de hospitali Theutonicorum investivimus exinde loco sui, et ipsum per dilectum principem nostrum venerabilem Trajectensem episcopum mandavimus auctoritate nostri culminis juxta presentis tenorem pagine personaliter investiri, recepto ad opus nostrum et regis filii nostri ab eodem comite fidelitatis et hominii juxta consuetudinem imperii juramento (1). Ad cujus concessionis et confirmationis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum sibi fieri fecimus et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

(*a*) Quum una linea in codice manuscripto ceciderit, ita supplevit editor, quem sequimur.

---

(1) Extat apud BONDAM, *Charterboek*, p. 398, hujus Ottonis Gelriae comitis privilegium, ubi legitur : « Ego impetrata et accepta potestate et speciali licentia a domino Friderico gloriosissimo imperatore et semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, nec non a domino Henrico illustri rege Alemannie, de consilio et consensu imperii seu regni majorum, ex ipsorum indulto et super hoc mihi plenitudinis potestate collata, de Embricensi villa (Emmerick) regiam seu imperialem condidi civitatem. Datum Emmerik, ann. 1233, II kalendas junii. »

Datum apud Tianum (1), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense novembri, quinta indictione.

In civitate Ravennae, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, Johanni marchioni Brandenburgensi et Oddoni fratri ejus, si Johannem praemori contigerit, marchiam Brandenburgensem cum ducatu Pomeraniae concedit et confirmat.

(Edider. Gercken, *Cod. diplom. Brandenb.*, t. VII, p. 28. — Dreger, *Cod. Pomeran.*, t. I, p. 149. — Hertzberg, *Recueil*, t. I, p. 353. — Ludewig, *Reliquiae manuscript.*, t. XII, p. 627, ex transumpto anni 1421, ubi bulla aurea tunc temporis integra describitur, et est in solita forma.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Requirit imperii dignitas et celsitudo exigit principalis ut favore cesareo vota principum compleantur, quorum merita transfundi debent liberaliter in heredes qui non minus paterne fidei quam virtutis creduntur effici successores defectumque parentium circa imperii decus effectu devotionis complere. Inde est igitur quod presentis scripti serie notum fieri volumus imperii fidelibus tam modernis quam posteris universis quod dilectus princeps noster Johannes, marchio de Brandenburg, nostro culmini supplicavit quatenus marchiam Brandenburgicam cum omni honore et pertinentiis suis et alia feoda que quondam Albertus marchio Brandenburgensis pater ejus de manu nostra et imperii possidebat, quemadmodum eidem Alberto genitori suo et heredibus ejus privilegium liberalitatis nostre inde concessimus, una cum ducatu Pomeranie eidem Johanni et Oddoni fratri suo, si ipsum Joannem premori contigerit,

---

(1) Sic in codice. Legendum tamen potius credimus *Fanum* in Marchia quam *Teanum* in Terra Laboris. Mense etenim novembri jam imperator versus Ravennam properabat.

Digitized by Google

ac heredibus utriusque concedere et confirmare de nostre celsitudinis gratia dignaremur. Nos autem attendentes devotionem et fidem dicti quondam Alberti marchionis patris eorum, quam ad nostram et imperii celsitudinem habuit et quam devote nobis et imperio servierit quoad vixit, sperantes insuper ab eisdem Johanne et Oddone fratribus tanquam paterne successores fidei servitia recipere gratiora, predictam marchiam Brandenburgensem cum omni honore, proventibus et juribus ad eam spectantibus, nec non et alia feuda que nominatus marchio pater eorum a nobis et imperio noscitur tenuisse, sicut olim eo superstite sibi et heredibus suis concessimus, item prenominatis Johanni marchioni et Oddoni fratri ejus, si premori contigerit eumdem Johannem, ac heredibus eorum ex certa scientia juxta consuetudinem imperii concedimus et perpetuo confirmamus; de superabundantiori gratia nostra confirmando eisdem ducatum Pomeranie, prout dictus quondam [marchio] et predecessores eorum noscuntur a nostris predecessoribus tenuisse. Presentis quoque privilegii auctoritate mandamus quatenus nulla persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, predictum Johannem marchionem et Oddonem fratrem ejus ac eorum heredes contra concessionis et confirmationis nostre paginam molestare presumat. Quod qui presumpserit, penam quingentarum librarum auri se compositurum agnoscat, medietatem curie nostre et reliquam injuriam patienti. Ad hujus itaque concessionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt B. patriarcha Aquilegensis, . . . Ravennas, . . . Magdeburgensis, B. Panormitanus archiepiscopi, E. (*a*) Babenbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, . . . Wormatiensis, . . . Osenburgensis, N. Reginensis, . . . Ymolensis, . . . Brixinensis episcopi, A. dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Carinthie, . . . landgravius Thuringie, H. comes de Waldenberg, L. landgravius de Luckenburg, A. comes de Schweburg (*b*), H. comes de Ortenburg, L. comes de

(*a*) In omnibus *C.*, male.

(*b*) Forsitan *Adolphus comes de Schauenburg.*

Halremunt, M. comes de Mulburg (?), G. comes de Harnestein sacri imperii in Italia legatus, G. (*a*) dapifer, C. pincerna de Clingenburg, Th. comes Acerrarum, . . . marchio Lansa, B. comes de Loreto, Richardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Frederici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense decembris, quinte indictionis, imperante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini Coloniensis archiepiscopi totius Italie archicancellarii, recognovi.

Datum in civitate Ravenne, anno, mense et indictione prescriptis.

In civitate Ravennae, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, a Conrado abbate Sancti Johannis in Thurthal in sua praesentia constituto advocatiam ecclesiae ejusdem recipit nunquam ab imperio alienandam, et jura tam a se quam a vice advocato suo exigenda definit.

(Edid. Neugart, *Cod. diplomat. Alemanniae*, t. II, p. 164, ex autographo in arch. monast. S. Galli.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Licet ex suscepto regni gubernaculo omnibus imperii fidelibus simus debitores ad justitiam exhibendam et ad juris defensionem eorumdem, diligentius tamen viros religiosos oculo benigniori respicere tenemur et eis suisque ne graventur indebite, pia solicitudine providere. Hujus itaque rei gratia dilectus fidelis noster Cunradus abbas Sancti

(*a*) Scilicet *Guarnerius de Bolland.*

Digitized by Google

Johannis in Turtal, certam habens fiduciam super benignitate ac providentia majestatis nostre, ad nostram apud Ravennam accedebat presentiam et coram testibus subscriptis, etc. [Sequitur de verbo ad verbum, sicut in privilegio Henrici septimi, dato apud Nuremberc, 20 decemb. 1227, quod supra, t. III, p. 363; nisi quod pro *Elbrechinber,* nunc legitur *Gebrechimber;* item pro *et in curia nostra ad prosequendas,* legitur *et cum esse in curia nostra voluerint ad prosequendas.* Ita tamen concluditur :] presentem paginam bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus roborari.

Hujus autem rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, Albertus Magdeburgensis, . . . Ravennas et B. Panormitanus archiepiscopus, . . . Pabinbergensis, . . . Wormaciensis, . . . Brixiensis, . . . Osemburgensis, N. Reginus, . . . Ariminensis, . . . Ymolensis, . . . Lausanensis, . . . Fesulanus episcopi, . . . abbas Monasteriensis, Albertus dux Saxonie, Gebardus de Arnestein legatus imperii in Italia, comes Adulfus de Schounbuch (*a*), comes [L]udolphus de Alremont, comes Heinricus de Waldenberch, comes Magnardus de Munegeult (*b*), Ulricus burgravius de Witin, Gottfridus de Hoenloch, Gunzelinus senescalcus, Cunradus pincerna de Clingenburg, et alii quamplures.

Signum domini imperatoris Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense decembri, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo et Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum in civitate Ravenne, anno, mense et indictione prescriptis.

(*a*) Forte sicut supra legendum *Schaunburg* seu *Schauenburg.*

(*b*) Idem qui supra vocatur *M. comes de Mulburg.* Legendum autem videtur *Munegevelt,* scilicet *Munchfelden,* arx cum oppido infra Lindaw, ut monet Neugart.

In civitate Ravennae, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces Henrici abbatis de Tegernsee, statuit ut nulli abbatum hujus monasterii liceat bona ejus in ducatu Austriae quibusdam in detrimentum monasterii collata, postquam ad demanium ejus redierint, ullo modo alienare.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. VI, p. 207, inter monumenta Tegernseensia, et ap. Oefele, *Scriptor.*, t. II, p. 83.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Si ad loca religiosa et personas ecclesiasticas oculos excellentie nostre benigne convertimus et utilitatibus suis misericorditer providemus, imperialis celsitudinis nostre nomen extollimus et nobis per id eterne retributionis merita comparamus. Universis igitur imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod Henricus venerabilis abbas de Tegernse, dilectus fidelis noster, nostre celsitudini exposuit qualiter quidam abbates predecessores sui bona quedam de demanio monasterii ipsi[us] in ducatu Austrie deputata vite fratrum ejusdem, que prefatum monasterium a nobis et imperio tenet, quibusdam in feodum concesserant in prejudicium nostrum atque imperii et in evidentem monasterii ipsius ac fratrum in eo degentium lesionem. Propter quod excellentie nostre humiliter supplicavit ut tam commodis nostris et imperii quam indempnitati monasterii ejusdem et vite fratrum ipsorum salubriter providentes, bona predicta quam cito ea vacare contigerit et redire ad demanium suum, extrahi non pateremur de demanio monasterii supradicti. Nos igitur supplicationibus suis favorabiliter inclinati statuimus firmiter injungentes ut nulli quem de cetero dicto monasterio preesse contigerit, liceat bona prefata postquam ad demanium monasterii ejusdem redierint, de demanio monasterii ipsius extrahere, infeudando ea vel alio quocunque alienationis modo de ipsius potestate vel demanio subtrahendo. Nec ullus sit qui ausu temerario contra predicta venire

Digitized by Google

presumat. Quod qui presumpserit indignationem culminis nostri se noverit incursurum et penam insuper XX marcarum argenti, quarum medietas camere nostre et medietas altera ipsi monasterio applicetur. Ad hujus autem rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens privilegium fieri jussimus celsitudinis nostre sigillo munitum.

Hujus autem rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegiensis, A. Magdeburgensis, B. archiepiscopus Panormitanus, . . . archiepiscopus Ravennas, . . . episcopus Pabimbergensis, . . . episcopus Wormaciensis, . . . episcopus Brixinensis, . . . episcopus Osemburgensis, N. episcopus Reginensis, . . . episcopus Ariminensis, . . . episcopus Ymolensis, . . . episcopus Lausannensis, . . . episcopus Fesulanensis, . . . abbas Monasteriensis, A. dux Saxonie, G. de Harnesten sacri imperii in Italia legatus, . . . comes de Schonburch, . . . comes de Alrement, . . . comes de Waldenberch, . . . comes de Mulegeult (*sic*), . . . burgravius de Witin, G. de Hoemloch, G. (*a*) senescalcus, C. pincerna de Clingenburch, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXXI, mense decembris, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico II, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus XII, regni Jerusalem VII et Sicilie XXXIIII, feliciter. Amen.

Datum in civitate Ravenne, anno, mense et indictione prescriptis.

In civitate Ravennae, decembri.

Fridericus, Romanorum rex, abbatem et fratres ecclesiae Cisterciensis ordinis quae dicitur Buch supra Muldam in sua protectione suscipit, eisdemque bona ab Henrico de Chorun quondam oblata confirmat.

(*a*) Scilicet *Gunzelinus*, qui supra.

Digitized by Google

(Edider. Schoettgen et Krevsig, *Diplomataria*, t. II, p. 179.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Summas Deo laudes et gratiarum devotas actiones offerimus, si personis religione conspicuis et locis divino cultui deputatis nostrum favorem clementer impendimus, et munimenta ac eorum commoda prosequentes inter bonorum nostrorum copias que de plenitudine Cunctipotentis accepimus, munificentie nostre gratia suo statui providemus. Hinc est igitur quod presentis scripti serie volumus esse notum imperii fidelibus tam modernis quam posteris universis quod venerabilis . . . abbas et fratres Domino famulantes in ecclesia Cisterciensis ordinis que vulgo dicitur Buch, sita supra Muldam juxta castrum Liznik, fideles nostri, supplicarunt celsitudini nostre quatenus eos, dictam ecclesiam cum universis ibi degentibus et cum omnibus bonis suis tam mobilibus quam stabilibus que in presentiarum largitione pontificum, oblatione fidelium vel justo titulo emptionis sunt adepti vel in antea poterunt adipisci, sub speciali protectione et favore imperiali nostro recipere, et bona insuper eidem ecclesie oblata per Heinricum de Chorun que sita sunt prope Polex et vocantur Bylsin que Yrmeganda mulier et Fridericus et Heinricus filii ejus ministeriales imperii predicto Heinrico de Chorun vendiderunt, de nostra dignaremur gratia eidem ecclesie confirmare, sicut regni Romani nostri tempore a liberalitate nostra fuerunt confirmata et in indulto eis privilegio continentur, et ut venditionem ipsam factam a libera muliere et liberis ejus ministerialibus imperii ratam misericorditer haberemus. Nos igitur attendentes religionem Cisterciensis ordinis in eadem ecclesia firmiter observari et quam devote iidem fratres ibidem Domino famulentur, devotas pro nobis orationes Domino porrigentes, divine retributionis intuitu cui debemus quicquid vivimus et valemus, dictos fratres, ecclesiam memoratam et cunctos ibidem degentes cum omnibus eorum mobilibus et stabilibus que in presentiarum largitione pontificum, oblatione fidelium, vel justo emptionis titulo sunt adepti vel in antea poterunt adipisci, sub nostra et imperii defensione recipimus speciali; confirmantes eidem

ecclesie de immensa nostra clementia bona predicta pie sibi ab eodem Heinrico de Chorun oblata, quorum venditionem, sicut eidem Heinrico per liberam mulierem et filios ejus ministeriales imperii facta est, ratam clementer habemus. Preterea ex superhabundanti gratia nostra concedimus et eidem ecclesie indulgemus ut quecumque bona in partibus illis infra sex miliaria circa ecclesiam antedictam oblatione pheodatorum imperii sive ministerialium, auctoritate concessionis Romani dudum regni nostri tempore sibi indulte, hactenus est adepta, tranquille possideat, et licitum sit a modo infeodatis vel ministerialibus imperii de bonis que tenent ibidem ab imperio, predicte ecclesie offerre juxta tenorem privilegii nostri dudum Romani regni nostri tempore sibi indulti [et] sive in vita sive in eorum obitu erogare. Ad hujus itaque protectionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri fecimus et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegiensis, . . . Magdeburgensis et . . . Ravennas archiepiscopi, . . . Babinbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, . . . Osenburgensis, . . . Brixinensis, . . . Mutinensis et N. Reginus episcopi, A. dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Karinthie, comes H. de Ortemberg, Warnerus et Philippus de Bollando, G. de Hoynloch, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense decembris, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini Henrici (*a*) Coloniensis archiepiscopi totius Italie archicancellarii, recognovi.

[Datum] in civitate Ravenne, anno, mense et indictione prescriptis.

(*a*) In editis *Zeveri*, male. Pro nomine tamen forsitan legendum *venerabilis*.

Ravennae, decembri. Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Ahusen, cum omnibus possessionibus ejus, sub speciali sua et imperii recipit protectione.

(Edit. in Schütz, *Corp. histor. Brandenb.*, Sylloge, pars II, 71, num. 33, et ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 183, num. DCCIV, ex originali unde sigillum in ora dextra et sinistra laesum appendet ex filis sericis rubri ac viridis coloris.)

Fr[idericus] Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos adtendentes fidem puram et devocionem sinceram . . . venerabilis abbatis ecclesie in Ahusen fidelis nostri, de munificentie nostre gratia personam ejus cum omnibus bonis suis tam ecclesiasticis quam mundanis sub protectione et defensione nostra et imperii recepimus speciali. Mandantes et firmiter inhibentes quatenus nullus sit qui eundem abbatem in persona et rebus suis impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit indignacionem nostram se senciat incursurum. Ad hujus itaque protectionis ejus memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Datum Ravenne, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense decembri, quinte indictionis.

Ravennae, decembri. Fridericus, Romanorum imperator, Hermanno magistro hospitalis Theutonicorum et fratribus ejus terram quamdam incultam confert, de orto episcopi Acconensis usque ad terminos terrae Ja-

Digitized by Google

nuensium et alio latere de via quae ducit ad Saphat usque ad fluvium.

(Memorat. et extract. ap. Duellium, *Hist. ord. equit. Theutonic.*, pars II, n° 7, ubi inseritur in diplomate Conradi IV, de anno 1243, mense decembri. Dolendum est quod Duellius Friderici privilegium non transcripserit integrum neque saltem ex quo fonte idem hauriri possit indicaverit.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, etc...

Hujus autem rei testes sunt : Balianus dominus Sydonis, Otto de Montebeliardo regni Jerosolymitani comestabulus, Warnerus Theotonicus, frater Terrisius preceptor domorum hospitalis Sancti Johannis in Apulia, Zaccarias senescalcus Antiochie, Thomas comes Acerre, Manfridus marchio Lantza, Berardus comes Loreti, Ricardus camerarius, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense decembris, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum Ravenne, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat sententiam per Henricum regem filium suum latam super revocatione communitatum et constitutionum a civibus Bisuntinis firmatarum contra jus Nicolai archiepiscopi civitatis ejusdem. Ravennae, decembri,

(Inedit. in *Collect. Droz*, Bibl. reg. Paris., *Franchecomté*, t. XXVI, fol. 251 recto 252 verso, ex cartul. Bulleti.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis

Digitized by

imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod dilectus noster princeps Nicolaus, venerabilis Bisuntinus archiepiscopus, ad presentiam nostram accedens nostre celsitudini supplicavit quatenus revocationem communitatum, constitutionum, novitatum et conventionum vinculo fidei firmatarum, que per Bisuntinos cives motu et auctoritate propria fuerunt acceptate, sicut ex constitutione dilecti filii nostri Henrici illustris Romanorum regis et per sententiam principum facta fuit et in scripto ejusdem regis filii nostri sibi indulto plenius continetur, nostro prosequi et approbare assensu ac de nostra confirmare gratia dignaremur. Nos igitur inspecto tenore transcripti ejusdem regis et sententie principum que sub testimonialibus litteris A. Sancti Vincentii Bisuntini et fratris O. Bellevallis abbatum nostre fuerunt curie presentata, attendentes quoque devotionem et fidem ejusdem principis nostri archiepiscopi Bisuntini, quam ad nostram excellentiam et imperium gerit, ejus supplicationibus clementer annuimus et eamdem revocationem communitatum, videlicet constitutionum, novitatum et conventionum a Bisuntinis vinculo fidei formatarum, sicut per eumdem regem filium nostrum principum approbante sententia facta est et [in] indulto sibi regis ejusdem scripto plenius continetur, nostro prosequimur et approbamus assensu ac de nostra gratia confirmamus. Ad hujus itaque nostre confirmationis memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum sibi fieri fecimus et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt : B. patriarcha Aquileiensis, . . . Madeburgensis archiepiscopus, E. Babimbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, H. Vormatiensis, . . . Osemburgensis et N. Reginensis episcopi, A. dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Karinthie, H. landgravius Thuringie, comes Henricus de O[rtemberch], comes Henricus de Nassowe (*a*), Warnerius de Bollande, et alii quamplures.

Datum Ravenne, anno dominice incarnationis MCCXXX° primo, mense decembri, quinta indictione, imperante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem

(*a*) In codice *Nassore*, minus recte.

Digitized by Google

et Sicilie rege, anno imperii ejusdem duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie trigesimo quarto, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, Uberto Cumano episcopo et ecclesiae ejus venas metallorum quae inveniuntur in districtu ejusdem episcopatus, concedit. Apud Ravennam, decembri.

(Edid. Ughelli, *Italia sacra*, t. V, p. 299.)

In nomine Dei eterni. Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod venerabilis Cumanus episcopus Ubertus, fidelis noster, nostre celsitudini attentius supplicavit ut venas metallorum que inveniuntur in territorio et districtu Cumani episcopatus, sibi et eidem ecclesie de innata gratia concedere dignaremur. Nos autem attendentes fidem et devotionem episcopi memorati quam ad nos et imperium nostrum gerit et habet, considerantes insuper qualiter eadem ecclesia predecessoribus nostris dive memorie augustis et imperio devota fuerit ex antiquo, volentes eam dignis beneficiis ampliare, de speciali gratia concedimus et donamus dicto episcopo et eidem ecclesie sue venas metallorum que inveniuntur in territorio et districtu episcopatus ejusdem, ut ipsis de liberalitate nostra gaudeat et utatur; presentis scripti auctoritate mandantes quatenus nullus sit qui eum vel dictam ecclesiam suam contra presentis concessionis nostre paginam molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus itaque nostre concessionis memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus sigillo nostre majestatis munitum.

Hujus rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, Madeburgensis et Ravennas archiepiscopi, B. dux Karinthie, comes H. de Horthemberch, Gotifredus et Cunradus de Hohenloch, et alii quamplures.

Digitized by Google

Signum domini Friderici invictissimi imperatoris (*sic*).

Datum apud Ravennam, anno dominice incarnationis MCCXXXI, mense decembri, V indictionis.

[Decembri.] Fridericus, Romanorum imperator, burgensibus de Lugano mandat ut obedientiam quam debent Uberto Cumano episcopo et ecclesiae ejus non amplius denegare praesumant.

(Edit. ap. Tatti, *Degl. annal. sacr. della citta di Como*, decad. II, p. 936, ex vet. tabul. episcop. Cumani. Memorat. quoque ap. Rovelli, *Storia di Como*, t. II, p. 326.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator augustus (1), burgensibus de Lugano gratiam suam et bonam voluntatem. Significatum nobis est per supplicationem Uberti dilecti nostri Cumani episcopi, quod vos respectum et obedientiam quam ei debetis et ecclesie Cumane denegatis, cum tamen dubium non sit nec esse possit quin vos et locus vester ad districtum et honorem Cumane pertineat ecclesie. Quoniam igitur nobis etiam notum est vos et locum vestrum ipsi ecclesie subjectos esse, mandamus vobis et mandando precipimus quatenus ipsi dilecto nostro Cumano episcopo debitam per omnia obedientiam exhibeatis. Nos enim sustinere nec debemus nec volumus ut contra justiciam, rationem et honorem ecclesie Cumane veniatis (*a*), cervicem protervam contra ejusdem

(*a*) In libro *minuatis*, male.

---

(1) Deest titulus regni Jerusalem et Siciliae. Quum vero Cumanus episcopus clare nominetur *Ubertus*, non conjici potest quod ad Fridericum primum istae litterae referri debeant. Conveniunt cum mandato Henrici sexti, dato 1191, id. julii., indict. X; memorantur etiam in privilegio Henrici de Luxemburgo, ubi tamen non dicitur utrum avo an nepoti tribuendae sint. Cf. Ughelli, *Ital. sacr.*, V, 302 et 303.

loci episcopum contumaciter erigendo, cujus vos mandatis stare oportet (1). . . . . .

. . . . . .

Fridericus, Romanorum imperator, Astuldum Johannis Bernardini de Castro Novo publicum tabellionem imperii constituit. Ravennae, decembri.

(Edit. in epist. Franc. Bonainii, ap. *Archiv. stor. italian.*, append. n° 12, p. 465, ex regist. veter. a notario Crescentio in 25 septembris 1248 scripto et ap. archiv. comm. Corton. asservato, fol. 95 verso.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos confidentes de prudentia et legalitate Astuldi Johannis Bernardini de Castro Novo, fidelis nostri, recepto ab eo juxta consuetudinem fidelitatis et officii juramento, constituimus eum publicum tabellionem imperii ut amodo publici tabellionatus officium ubique per imperium ad honorem et fidelitatem nostram debeat fideliter exercere. Quocirca universitati vestre precipiendo mandamus quatenus predicto Astuldo in hiis que ad ejusdem publici tabellionatus officium spectare noscuntur, intendatis de cetero, tanquam publico tabellioni a majestate nostra statuto ad honorem et fidelitatem nostram, et nullus sit qui eum super eodem officio publici tabellionatus temere impedire vel perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

---

(1) Finis et notae chronologicae desunt. Tatti vero et postea Rovelli has litteras ad annum 1233, qua nescimus auctoritate, referunt. Quas, quum res adhuc incerta sit, ibi potius duximus exhibendas.

Digitized by Google

Datum Ravenne, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense decembris, quinte indictionis.

Apud Ravennam, 25 decembris.

Mense decembri imperator apud Ravennam natale Domini magnifice celebrat. Et eo die licentiam dedit omnibus de regno qui secum iverant in propria revertendi. Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann.

ANNO 1232. — INDICTIONE 5.

Ravennae, 11 januarii.

Fridericus, Romanorum imperator, Hermanno magistro domus Sanctae Mariae Theutonicorum mandat ut Rainerio abbati de Monte Amiate in Tuscia privilegia ejusdem ecclesiae restituat; quae quidem propter sacramentum fidelitatis ab eodem abbate praestandum, deposita fuerant.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 150, n° 700, ex origin. ap. Florentiam.)

Datum Ravenne, XI januarii, V indictione.

Ravennae, 14 januarii.

L'imperatore. . . ando a Ravenna, dove a i quattordeci di gennaro nella camera del vescovo si convenne insieme con Gulielmo

Digitized by Google

de gli Amati podestà di Parma, Bernardo et Rolando Rossi, Gerardo Valdora, Rolando Rangone et cinque altri oratori Parmegiani. Gli era ancora Ferrario Cane podestà di Cremona con XVI ambasciatori della medesima citta, i quali à Cavazano pretore di Pavia con sei oratori dessa republica, Gerardo Albino pretore de' Modenesi et VIII oratori di quegli, insieme con quattro ambasciatori Dertonesi; i quali tutti insieme con l'imperatore diversi concili celebrarono contra i Milanesi (1). CORIO, *Histor. di Milano,* p. 95, recto-verso.

Fridericus, Romanorum imperator, revocat communia, consilia, magistros aliosque officiales civium qui in omni civitate vel oppido Alemanniae sine episcoporum beneplacito erant statuti; irrita simul declarans omnia privilegia quae vel ipse vel praedecessores sui, archiepiscopi etiam et episcopi super societatibus vel communibus in praejudicium principum et imperii dederunt sive privatae personae sive cuilibet civitati.

Apud Ravennam, januario; apud Aquilegiam, aprili; apud Portum Naonis, maio.

(Extant varia hujus constitutionis exemplaria pro variis episcopatibus; quae quidem inter se tantum notis chronologicis discrepant: scilicet 1° *Apud Ravennam, mense januario* 1232, pro Brema, Colonia et Wormatia: MADER, *Antiquit. Brunsw.*, p. 257, edit. ann. 1678. — LUNIG, *Reichsarchiv,* tom. IX, p. 441, et tom. XIII, p. 4. — *Apologie der Erzst. Cöln*, 13. — BOSSART, *Securis*, 209. — SCHANNAT, *Hist. Wormat.*, prob., p. 110. — PERTZ, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 286, variantibus omnium collatis. — 2° *Apud Aquilegiam, mense*

(1) « Anno Domini MCCXXXII, imperator apud Ravennam manens bellum molitur contra Longobardos, sed non profecit, Longobardis viam praecludentibus filio suo regi et militiae Germanorum. Circa mediam quadragesimam imperator Ravenna relicta navali cursu tendit Aquilegiam. » GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, II, 364. Cf. HERM. ALTAH., CAFFARI et RICC. DE S. GERMANO.

Digitized by Google

aprili, pro Maguntia, Treveri et Ratispona : Königshoven, *Her. von Schilter*, 618. — Lunig, *Reichsarchiv*, tom. VII, 403, quem partim assecuti sunt Schaten et Brower. — Ried, *Cod. diplomat. Ratisp.*, I, 367. — Hontheim, *Hist. Trevir.*, I, 711. — *Monum. Boic.*, t. XXXI[a], p. 550. — Remling, *Urkundenb fur Speier*, t. I, p. 193. Cujus quoque exemplar nitidum invenitur in cod. Balduini archiep., *Archiv. Berol.*, I, c. 3. — 3° *Apud portum Naonis. mense maio*, pro Metiis, ex originali quo usus est Pertzius. Hujus ultimi fragmentum mendosum exhibuit Schannat, *Vindem. litter.*, I, 196, cum notis 1233, *mense madii, datum in foro julii.*)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Cum Romane monarchiam dignitatis ipso auctore per quem reges regnant et principes obtinent principatus, qui super gentes et regna constituit sedem nostram principalem, teneamus et simus in potestatis plenitudine constituti, imperatoriam condecet majestatem eos per quos cepit et in quibus consistit nostre glorie celsitudo, qui et vocati sunt nobiscum in partem sollicitudinis cum a nostra celsitudine decus recipiant et decorem, non solum in suis antiquis juribus tueri pariter et fovere, immo quantum equitas sinit et permittit ratio, novis et honestis tam juris quam gratie muneribus decenter et honorabiliter decorare. Sane cum ex defectu juris pariter et neglectu in partibus Alemannie adeo in usum sint redacte quedam consuetudines detestande ut boni speciem preferentes, iniquitatem quodam falso pallient velamento, quibus et principum imperii juri detrahitur et honori et imperialis nichilominus auctoritas per consequens enervatur; nostre incumbit sollicitudini precavendum ne hujusmodi consuetudines quas censemus potius corruptelas, in diuturniora tempora protrahantur. Volentes igitur ut libertates et dona que dilecti nostri et imperii principes ex dono nostri culminis nunc possident et sunt pro tempore possessuri, latissima interpretatione gaudeant et quieta omnimodis ipsi principes ea possideant libertate, hac nostra edictali sanctione revocamus in irritum et cassamus in omni civitate vel oppido Alemannie communia, consilia, magistros civium seu rectores vel alios quoslibet officiales qui ab universitate civium sine archiepiscoporum vel

episcoporum beneplacito statuuntur, quocumque per diversitatem locorum nomine censeantur. Irritamus nichilominus et cassamus cujuslibet artificii confraternitates seu societates quocumque nomine vulgariter appellentur. Item hac nostra edictali sanctione placuit statuendum ut in omni civitate vel oppido ubi moneta jure cuditur nec mercimonia nec victualia aliquo argenti pondere emantur seu vendantur, preterquam illis denariis qui cuilibet civitati vel oppido sunt communes. Sicut enim temporibus retroactis ordinatio civitatum et bonorum omnium que ab imperiali celsitudine conferuntur, ad archiepiscopos et episcopos pertinebat, sic eamdem ordinationem ad ipsos et eorum officiales ab eis specialiter institutos perpetuo volumus pertinere, non obstante abusu aliquo si quis in aliqua civitate forte contrarius extitisset; quod de facto potius quam de jure censemus. Ut igitur talis omnino removeatur enormitas et abusus nec auctoritatis aliquo velamine pallietur, omnia privilegia, litteras apertas vel clausas quas vel nostra pietas vel predecessorum nostrorum, archiepiscoporum etiam et episcoporum super societatibus, communibus seu consiliis in prejudicium principum et imperii sive private persone dedit sive cuilibet civitati, ab hac die in antea in irritum revocamus ac frivola penitus et inania reputamus; protestantes hanc nostre constitutionis seu sanctionis seriem exquisitam ex decreto principum et ex nostra certa scientia in forma judicii processisse. Statuimus igitur et imperiali sanctimus edicto quatenus nulla omnino alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana persona huic nostre constitutioni seu sanctioni ullo adveniente tempore aliquatenus contraire vel obviare presumat. Quod qui presumpserit, preter indignationem nostram, sciat se XV librarum auri puri pena mulctandum, quas fisco nostro volumus applicari. Ad hujus autem constitutionis et sanctionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presentem divalem paginam fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, A. Maidburgensis, ... Ravennas, B. Panormitanus archiepiscopi, E. Babenbergensis, H. Wormaciensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, Brixinensis, Osenburgensis, Curiensis, Reginus, Imolensis, Mutinensis, Faventinus

episcopi, A. Saxonie, O. Meranie et B. Karinthie duces, H. de Ortemberch, H. de Nassawe, C. de Hohenloch, S. de Spanheim et H. frater ejus, L. de Hohenstat, comites, G. de Arnstein sacri imperii in Italia legatus, G. de Bonlandia, Gunzlinus, Richardus imperialis aule camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Moguntini archiepiscopi in Germania archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXI, mense januarii, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie XXXIV, feliciter. Amen.

Datum apud Ravennam, anno, mense et indictione prescriptis.

In civitate Ravennae, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Sifridi Ratisponensis episcopi, privilegium avi sui Friderici I monasterio Rohrensi indultum confirmat, idemque cum possessionibus et hominibus in protectionem suam suscipit.

(Edit. ap. Hund, *Metropol.*, t. III, p. 260. — Dalhammer, *Canonia Rorensis*, 41. — *Monum. Boica*, tom. XVI, p. 115, n° XV.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Regi regum de cujus clementia regimen moderamur imperii et diversorum feliciter obtinemus sceptra regnorum, debita gratitudine complacemus, si locis divino cultui deputatis nostri munimen culminis et munificentie nostre beneficium liberaliter elargimur. Nec indigne ti-

Digitized by Google

tulos laudis acquirimus si nostrorum aliquis principum ad id interventu favorabili nos inducit. Presentis itaque scripti serie noverit presens etas et futura posteritas quod dilectus princeps noster Syfridus venerabilis Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius, nostre celsitudini propensius supplicavit quatenus Rorense cenobium olim a suis fundatoribus eidem sue Ratisponensi ecclesie pia devotione collatum, felicis memorie avi nostri divi augusti domini Friderici vestigiis inherendo, cum omnibus fratribus, bonis, possessionibus et personis eidem cenobio pertinentibus sub nostra imperiali protectione, salvo ejusdem episcopi et successorum suorum jure, recipere, et privilegium quod ab eodem avo nostro pro bono statu ac libertate cenobii conservanda indultum extitit, de nostra dignaremur gratia confirmare. Nos igitur suis justis supplicationibus benignius inclinati, predictum Rorense cenobium cum omnibus fratribus in eo degentibus, bonis, possessionibus ac personis ad ipsum spectantibus sub nostra et imperii protectione, salvo ejusdem Ratisponensis ecclesie, episcopi et successorum suorum jure, recipimus speciali, confirmantes eidem monasterio de munificentia nostra privilegium quod a predicto avo nostro dive recordationis augusto fuit pro bono statu et libertate ipsius monasterii conservandis obtentum, sicut in eodem privilegio plenius continetur. Statuimus preterea specialiter intervenientis obtentu et presentis privilegii auctoritate sancimus ut quia monasterium ipsum non hereditarium, sed electum gratuito habuit advocatum, primitiva libertate Ratisponensium episcoporum privilegiis roborata letetur, et nulli liceat sub pretextu seu titulo beneficiarie concessionis fratribus ejusdem cenobii, hominibus aut colonis eorum contra eamdem libertatem exactiones illicitas aut gravamina indebita imponere, vel bona justo titulo sibi collata vel que in antea rationabiliter conferentur contra justitiam invadere et preter juris ordinem destituere vel auferre. Presentis insuper privilegii auctoritate mandamus quatenus nemo quietem predicti monasterii perturbare, aut infra claustrum et ambitum ejusdem cenobii quelibet judiciaria secularisve potestas presumat causas agere aut judicia secularia exercere, per que fratres ibidem sub regula beati Augustini Domino famulantes non possent quiete ac libere divinum officium

celebrare. Si qua vero persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis protectionis et confirmationis nostre paginam venire temptaverit, penam viginti librarum auri se compositurum agnoscat, medietatem curie nostre ac reliquam parti injuriam patienti. Ut autem hec protectio et confirmatio nostra perpetuam obtineant firmitatem, presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, Magdeburgensis, Ravennas et B. Panormitanus archiepiscopi, E. Babinbergensis, Wormaciensis, Brixinensis, N. Reginus et Mutinensis episcopi, A. dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Karinthie, comes Henricus de Hortinberg, comes de Nassaw, comes Conradus (*a*) de Hohenloe, C. pincerna, Warnerius de Bollandia, M. marchio Lanza, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Ego Syfridus imperialis aule cancellarius, vice domini Coloniensis archiepiscopi totius Italie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo primo, mense januarii, V indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum in civitate Ravenne, anno, mense et indictione prescriptis.

Ravennae, januario. Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Conradi episcopi Osnaburgensis, ei et ecclesiae ejus confirmat advocatias legitime acquisitas super bonis mensae suae et capituli majoris et aliarum conventualium et parrochialium ecclesiarum.

(*a*) Ap. Monum. Boic. *Corrensis*, male.

Digitized by Google

(Edit. ap. Mösen, *Osnabruck Gesch.*, 3ª pars, docum. nº 149, ex copia Henseler. sup. autogr. descripta.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod dilectus princeps noster C. venerabilis Osemburgensis episcopus nostro culmini supplicavit quatenus advocatias conquisitas super bonis mense sue et capituli majoris et aliarum ecclesiarum conventualium sive parrochialium et quas in posterum ab iis qui jure possunt eas conferre conquisierit, sibi et ecclesie sue de nostra confirmare gratia dignaremur. Nos autem attendentes ejus episcopi principis nostri devotionem quam ad nos et ad imperium gerit et habet, de innata munificentie nostre gratia confirmamus eidem et ecclesie sue advocatias legitime acquisitas super bonis mense sue et capituli majoris et aliarum conventualium et parrochialium ecclesiarum, et quas valebunt juste in posterum adipisci ab hiis qui conferre poterunt pleno jure; presentis scripti auctoritate mandantes quatenus nullus sit qui eumdem episcopum, ecclesiam suam, capitulum majus et alias ecclesias supradictas contra presentis nostre confirmationis paginam super hoc molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationi nostre se noverit subjacere. Ad hujus itaque confirmationis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt: B. patriarcha Aquilegensis,... Magdeburgensis et Ravennas archiepiscopi,... Babinbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, Brixinensis, Wormaciensis, Reginensis, Mutinensis et Imolensis episcopi, A. dux Saxonie, A. dux Moravie (*a*), O. dux Meranie, B. dux Karinthie, comes H. de Ortemberg, comes H. de Waldenberc, G. (C.) pincerna, Gottefridus et Conradus de Hohenloe, Warnerius et Philippus de Bollandia, et alii quamplures.

Datum Ravenne, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense januarii, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper

(*a*) Sic in impresso, sed male, et superabundat.

augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Apud Ravennam, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, Osnaburgensem episcopum cum ecclesia ejus, capitulo, hominibus, possessionibus atque bonis sub sua et imperii speciali protectione recipit.

(Edit. ap. Möser, *Ibidem*, n° 150, ex eodem fonte.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes immensam devocionem dilecti principis nostri Conradi venerabilis Osemburgensis episcopi, quam ad nostram excellentiam et imperium gerit, eum, ecclesiam suam, capitulum, homines, possessiones et bona sua sub nostra et imperii protectione recepimus speciali; presentis scripti auctoritate mandantes quatenus nullus sit qui eum amodo, ecclesiam, capitulum, bona et possessiones suas contra presentis protectionis nostre paginam temere debeat molestare. Quod qui presumpserit indignationem culminis nostri se noverit incursurum. Ad hujus autem protectionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus sigillo nostro munitum.

Datum apud Ravennam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense januarii, quinte indictionis.

In civitate Ravennae, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Walteri abbatis, monasterium Medlicense (Mölk) cum hominibus et bonis ejus sub sua et imperii protectione recipit.

(Edid. Hueber, *Austria ex archivis Mellicensibus illustrata*, p. 18.)

Digitized by Google

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Waltherus abbas Medilicensis monasterii, fidelis noster, celsitudini nostre humiliter supplicavit quatenus ipsum monasterium suum, fratres, homines et omnia bona sua sub nostra et imperii protectione recipere et tam jura quam libertates ac bona que in presentiarum rationabiliter possidet vel in antea justo titulo poterit adipisci, de nostra dignaremur gratia confirmare. Nos autem suis justis supplicationibus benignius inclinati, predictum abbatem cum eodem monasterio Medilicensi, fratribus, hominibus et omnibus bonis ejusdem monasterii sub nostra et imperii protectione recipimus speciali. Confirmantes sibi de innata munificentie nostre gratia tam jura quam libertates et bona que in presentiarum dictum monasterium Medilicense rationabiliter habere dignoscitur, vel in antea justo poterit titulo adipisci, presentis scripti auctoritate mandantes quatenus nulla persona sit, sublimis vel humilis, ecclesiastica seu mundana, que jamdictum monasterium contra hujus protectionis et confirmationis nostre paginam molestare presumat, etc. (*sic*).

Hujus quoque rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis,... Medeburgensis,... Ravennas et B. Panormitanus archiepiscopi, E. Babinbergensis, S. Ratisbonensis imperialis aule cancellarius,... Wormaciensis et N. Reginus episcopi, A. dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Karinthie, comes H. de Hortenberch,... comes de Nassowe, Warnerus de Bolandia, comes Chonradus de Hohenloe, et alii quamplures.

Datum in civitate Ravenne, anno dominice incarnationis M.CC.XXXI, mense januarii, V indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem abbatis Medlicensis, sententiam ab Henrico de Chunring de bonis in Rasenfeld inter eumdem abbatem et Seyfridum de Chalchaw latam confirmat.

(Edid. Hueber, *Austria illustrata*, p. 19, sed minus integre, ut sequitur:)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus, etc., quod Waltherus abbas Medlicensis, fidelis noster, nostre celsitudini supplicavit quatenus sententiam latam secundum consuetudinem terre inter eumdem abbatem et Seyfridum de Chalchawe super questione insimul habita coram Heinrico de Chunring, tunc temporis rectore Austrie, de bonis in Rasenveld que idem abbas emerat a comite de Playen (1), etc. (*sic*).

Datum Ravenne anno dominice incarnationis MCCXXXI, mense januario, IV indictione (*sic*).

Ravennae, januario. Fridericus, Romanorum imperator, ad preces nobilium de Hönberg in Nordgau concedit ut bona ipsorum apud Höchstädt et castrum Pfaffenhofen cum omnibus pertinentiis juribusque comiti Henrico de Ortenburg obligare valeant, et haec imperii feoda in manibus praedicti comitis usque ad redemptionem permaneant.

(Memorat. ap. Huschberg, *Gesch. des gesammt. hauses Ortenburg*, p. 81, ex cod. MSS. quod *Gallisch* vocat.)

Datum Ravenne, anno [dominice incarnationis] M.CC.XXXI, mense januario, V indictione.

Ravennae, januario. Fridericus, Romanorum imperator, cives Comacli tanquam speciales homines et piscatores suos sub protectione imperii recipit,

---

(1) Scilicet anno 1229, V kal. aprilis. Vide Hueber, *Ibid.*, p. 16 et 17.

Digitized by Google

eisque confirmat possessiones et jura quae avi et patris sui temporibus tenuerunt.

(Edider. Muratori, *Piena esposizione dei diritti imper. sopra Comacchio*, p. 362.— Lunig, *Cod. Italiae diplomat.*, t. I, p. 1579, et t. IV, p. 23; in hac ultima edit. minus recte.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis clementia ideo benigne consuevit fidelium petitiones admittere ut et ipsi puritatem in fide et in servitiis suas arctius corroborent voluntates. Ea igitur ducti consideratione laudabili, per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidem puram et devotionem sinceram quam ad nos universi cives civitatis nostre Comacli, fideles nostri, semper habuerunt et habent, de solita gratia nostra qua bene meritos et fideles imperii nostri consuevimus intueri, civitatem ipsam tanquam speciale domanium imperii et omnes cives ejusdem tanquam speciales homines et piscatores nostros (*a*), sub protectione et defensione nostra et imperii recipimus et habemus; eis abundantiori gratia in perpetuum confirmantes villas, sylvas, portus, aquas, prata, possessiones et omnia alia tenimenta et jura, nec non et omnes libertates et immunitates quas tam in ripaticis, aquaticis, piscariis et predictis aliis dudum temporibus domini imperatoris Friderici avi et domini imperatoris Henrici patris nostri recordationis inclyte et usque ad hec felicia tempora nostra tenuerunt, sicut eis omnibus usi sunt rationabiliter et quiete, salvo in omnibus jure imperii. Mandantes et firmiter statuentes quatenus nullus comes vel baro, nulla potestas seu commune, nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictam civitatem nostram Comacli et cives ejusdem super predictis contra hanc protectionis et confirmationis nostre paginam molestare seu temere perturbare presumat. Quod qui presumpserit, preter indignationem nostram, quadraginta marcarum argenti penam se noverit incursurum, quarum medietatem camere nostre et re-

(*a*) *Et piscatores nostros* desunt ap. Lunig, t. IV.

liquam passis injuriam adscribimus (*a*) persolvendam. Ad hujus autem protectionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Hujus vero rei testes sunt : B. patriarca Aquilegensis,.. Magdeburgensis, Ravennas et... Panormitanus archiepiscopi, Sifridus Ratisponensis, imperialis aule cancellarius,... Brixinensis,... Curiensis,.. Mutinensis,... Reginensis et.. Imolensis episcopi, dux Saxonie, dux Meranie, dux Karinthie et... landgravius Thuringie, comes H. de Hortemberg, comes H. de Nassouve, comes S. de Spannhein, G. de Bollandia, Gunzelinus, et Ricardus imperialis aule camerarius, et alii quamplures.

Ego Sifridus Dei gratia Ratisbonensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini (*b*) Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense januarii, quinta indictione, imperante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus Romani duodecimo, regni Jerusalem septimo et regni Sicilie trigesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum Ravenne, anno, mense et indictione prescriptis.

Ravennae, februario.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces Johannis Sabinensis episcopi, conventui monialium Sanctae Mariae de Battant licentiam concedit construendi furnum infra moenia civitatis Bisuntinae et excolendi ad unam carrucam de terris incultis in loco de Chaillou.

(Edit. ap. *Mémoir. et doc. inéd. pour l'hist. de Franche-Comté*, t. III, p. 523-525, ex cod. Miscell. 2043, cote 10, in Bibl. Bisunt.; confirmatum a rege Romanorum Wilhelmo de Hollandia ap. Brunswig, 7 kal. aprilis, ann. 1252.)

(*a*) Alias *asserimus*, minus juste.

(*b*) In primo Lunigii exemplari *serenissimi* legitur, forma tamen tunc prorsus incognita et valde dubia.

Digitized by Google

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod J. episcopus Sabinensis (1), dilectus amicus noster, rogavit excellentiam nostram quatenus abbatisse et collegio monasterii Sancte Marie de Battan, Cisterciensis ordinis, cui prestitit idem episcopus Deo auctore principium, divine pietatis intuitu et suarum precum obtenta (*sic*), licentiam construendi furnum ad opportunitatem earum infra menia civitatis Bisuntine in aliquo fundo quem in presentiarum sunt adepte, [concedere dignaremur.] Nos igitur ejusdem venerandi episcopi precibus inclinati, attendentes quoque locum divino cultui dedicatum et quod degentes ibidem incessanter Domino famulantur, volentes earum commoditatibus et quieti misericorditer providere, concedimus de innata nostra clementia dicte abbatisse et conventui monasterii memorati licentiam construendi furnum infra Bisuntine menia civitatis ad opus et opportunitatem ipsarum. Concedentes insuper ut liceat eis excoli facere in predicto territorio [in] loco de Chaillou et laborare ad unam carrucam de terris incultis que sunt ibi, sicut cives ejusdem civitatis excolunt et laborant. Ad hujus itaque concessionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum fieri precepimus et sigillo majestatis nostre fecimus insigniri.

Hujus quoque rei testes sunt: B. patriarcha Aquilegensis, A. Magdeburgensis, T. Ravennensis archiepiscopi; episcopi Bambergensis, Wormaciensis, Curiensis, Imolensis, Mutinensis; Albertus dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Carinthie, comes Henricus de Hortenberck, comes H. de Nassau, comites de Sponen (*a*), Gunzelinus, Warnerius de Bonlandia, Richardus camerarius, et alii quamplures.

Datum Ravenne, anno dominice incarnationis M.CC.XXXI, mense februarii, quinta indictione, imperante domino nostro Frederico, invictis-

(*a*) Sic; revera *de Spanheim.*

(1) Johannes Algrin seu de Abbatisvilla, Bisuntinus archiepiscopus ab anno 1225 usque ad 1227, postea cardinalis episcopus Sabinensis, monasterium monialium de Battant fundaverat juxta fontem dictum *de la Mouillère*, extra civitatis muros.

simo Romanorum imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus duodecimo, regni Hierusalem septimo, regni vero Sicilie trigesimo quarto, feliciter. Amen.

Ravennae, februario. Fridericus, Romanorum imperator, Bertholdo patriarchae Aquilegiensi protectionis litteras concedit adversus Istriae communitates, specialiter Polam, Caput Istriae et Parentium.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 150, n° 709, ex notitia ipsi a Pertz communicata. Privilegium asservatur in archivo Vindobon.)

Datum Ravenne, anno dominice incarnationis MCCXXXI, mense februarii, quinta indictione.

Ravennae, 22 februarii. Fridericus, Romanorum imperator, constitutionem renovat contra omnes, et praecipue contra nominatos hujus temporis haereticos.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 184, num. DCCV, ex authentico in archivo Wirzburgensi, et ap. Pertz, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 287-288. Haec constitutio de verbo ad verbum edictum anni 1220, 22 novemb., num. 5 et 6, exprimit, adjecta in fine sententia *Adjicimus — restructure*. Cf. supra, t. II, p. 4-6.)

Incipiunt capitula constitutionis contra Patarenos edite per dominum Fr. illustrem Romanorum imperatorem semper augustum, Jerusalem et Sicilie regem.

Catharos, Patarenos, Speronistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos et omnes hereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua dampnamus infamia, diffidamus atque bannimus. Censentes ut bona talium confiscentur nec ad eos ulterius revertantur, ita quod filii ad suc-

Digitized by Google

cessionem eorum pervenire non possint, cum longe sit gravius eternam quam temporalem offendere majestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum Ecclesie juxta considerationem suspicionis qualitatemque persone propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tanquam infames et banniti ab omnibus habeantur. Ita quod si sic per annum permanserint, ex tunc eos sicut hereticos condempnamus. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro ut potestates et consules seu rectores quibuscumque fungantur officiis pro defensione fidei prestent publice juramentum quod de terris sue jurisdictioni subjectis universos hereticos ab Ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt; ita quod amodo quandocumque quis fuerit in potestatem perpetuam vel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare. Alioquin neque pro potestatibus neque pro consulibus habeantur, eorumque sententias ex tunc decernimus irritas et inanes. Si vero dominus temporalis requisitus et monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab heretica pravitate, post annum a tempore monitionis elapsum terram ipsius exponimus catholicis occupandam qui eam, exterminatis hereticis, absque ulla contradictione possideant et in fidei puritate conservent; salvo jure domini principalis, dummodo super hoc nullum prestet obstaculum nec aliquod impedimentum opponat, eadem nichilominus lege servata contra eos qui non habent dominos principales. Credentes preterea, receptatores, defensores et fautores hereticorum bannimus, firmiter statuentes ut, si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso jure sit factus infamis nec ad publica officia seu consilia vel ad eligendos aliquos ad hujusmodi (*sic*) nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus ei preterea super quocumque negocio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam optineat firmitatem nec cause alique ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per illum nullius penitus sint momenti. Adicimus insuper quod hereticus convinci per hereticum possit, et quod domus Pa-

tarenorum receptatorum, defensorum et fautorum eorum, sive ubi docuerint aut manus aliis imposuerint, destruantur nullo tempore restructure (*a*).

Datum Ravenne, XXII februarii, V indictionis.

Ravennae, martio. Fridericus, Romanorum imperator, constitutionem suam generalem contra haereticos promulgans, fratres ordinis praedicatorum de Wirzeburg, pro fidei negotio in partibus Theutoniae deputatos, sub sua et imperii speciali recipit defensione, eosque omnibus imperii fidelibus commendat.

(Editum in *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 186-190, num. DCCVI-DCCVII ex authent. in archivo praedicatorum Wirceburg. et Ratispon., et ap. Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 288-289, ex authent. praedicatorum Bremens., in tabul. civit. Bremensis. Est vero encyclica omnibus praedicatorum in Germania domibus missa.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, dilectis principibus venerabilibus archiepiscopis, episcopis aliisque prelatis ecclesiarum, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, scultetis, burgraviis, advocatis, judicibus, ministerialibus, officialibus et universis per totum imperium constitutis, presentes litteras inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Commissi nobis celitus cura regiminis et imperialis cui dante Domino presidemus fastigium dignitatis materialem quo divisim a sacerdotio fungimur gladium adversus hostes fidei et in exterminium heretice pravitatis exigunt exerendum, ut vipereos perfidie filios contra Deum et Ecclesiam insultantes, tamquam materni uteri corrosores, in judicio et justicia persequamur; maleficos vivere non passuri per quorum scientiam seductricem mundus inficitur et gregi fidelium per oves has morbidas gravior

(*a*) Sic pro *restruende*, nisi forte *restaurande*.

infligi[tur] corruptela. Statuimus itaque sanctientes ut heretici quocumque nomine censeantur, ubicumque per imperium dampnati fuerint ab Ecclesia et seculari judicio assignati, animadversione debita puniantur. Si qui vero de predictis postquam fuerint deprehensi, territi metu mortis redire voluerint ad fidei unitatem, juxta canonicas sanctiones ad agendum penitentiam in perpetuum carcerem retrudantur. Preterea quicumque heretici reperti fuerint in civitatibus, opidis seu locis aliis imperii per inquisitores ab apostolica sede datos et alios orthodoxe fidei zelatores, hii qui jurisdictionem ibidem habuerint ad inquisitorum et aliorum catholicorum virorum insinuationem, eos capere teneantur et captos artius custodire, donec per censuram ecclesiasticam condempnatos dampnabili morte perimant qui fidei et vite sacramenta dampnabant. Simili quoque pena plecti censemus omnes quos ad fovendum hereticorum errorem callidi hostis astutia suscitat advocatos, vel parat illicitos defensores, maxime cum facinus quos inquinat equet, nisi monitione premissa destiterint et eorum vite duxerint consulendum. Eos preterea qui convicti in uno loco de heresi ad alia loca se transferunt ut cautius possint effundere virus heretice pravitatis, debitam censemus subire vindictam, ubi super hoc per viros ab eodem errore conversos ad fidem necnon per alios qui eos de heresi convicerunt, quod in hoc casu licite concedimus faciendum, evidens testimonium habeatur. Item mortis sententie duximus addicendos si quos hereticorum ad judicium tractos, in extremo vite periculo heresim abjurantes, postmodum de falso juramento constiterit et fide mentita convinci, ac eos contigerit ejusdem morbi spontaneam incurrere recidivam, ut sibi dampnabilius iniquitas sit mentita et penam debitam mendacium non evadat. Omne insuper proclamationis ac appellationis beneficium ab hereticis, receptatoribus et fautoribus eorundem penitus amovemus; volentes ut de finibus Alemannie in quibus semper extitit fida fides, heretice labis genimina modis omnibus deleantur. Ceterum quia quanto majora divine nutu miserationis accepimus et altiorem locum pre filiis hominum optinemus, tanto devotiora debemus obsequia gratitudinis conferenti; si quando igitur in nostri maledicos nominis nostri culminis excandescit auctoritas, si reos lese majestatis in personis

eorum et suorum liberorum exheredatione dampnamus, multo dignius justiusque contra divini blasphematores nominis et catholice detractores fidei provocamur; eorundem hereticorum receptatorum, fautorum et advocatorum suorum heredes et posteros usque ad secundam progeniem beneficiis cunctis temporalibus, publicis officiis et honoribus imperiali auctoritate privantes, ut in paterni memoria criminis continuo merore tabescant; vere scientes quia Deus zelotes est et peccata patrum in filios potenter ulciscens. Nec id a misericordie finibus duximus excludendum ut si qui paterne heresis non sequaces latentem patrum perfidiam revelarint, quacumque reatus illorum animadversione plectantur, predicte privationi non subjaceat innocentia filiorum. Ad hec notum fieri volumus universis priorem et fratres ordinis predicatorum de Wirceburg pro fidei negotio in partibus Theotonie (*a*) contra hereticos deputatos, fideles nostros, ceteros quoque qui ad hereticos judicandos accesserint et convenerint, nisi eorum aliqui ab imperio sint proscripti, eundo, morando et redeundo sub nostra et imperii speciali defensione receptos, et quod apud omnes sub ope ac recommendatione fidelium imperii esse volumus inoffensos. Universitati vestre mandantes quatinus quocumque et apud quemcunque vestrum pervenerint, benigne recipiatis eosdem et personas eorum ab incursu hereticorum eis insidiantium conservantes indempnes, omne consilium, ducatum et auxilium impendatis pro tam acceptis coram Domino negociis exequendis. Hereticos vero quos deprehenderint et ostenderint ipsi vobis, in jurisdictione vestra singuli capientes diligenti custodia detineatis (*b*), donec post ecclesiastice dampnationis judicium penam subeant quam merentur. Sciturі quod in executione ipsius negocii gratum Deo et laudabile coram nobis conferetis obsequium, si ad abolendam de partibus Alamanie novam et insolitam heretice infamiam pravitatis, opem et operam una cum eisdem fratribus prestiteritis efficacem. Et si quis

(*a*) Diverse in variis exemplaribus concipitur, scilicet : *fratres predicatores et minores Ratispone pro fidei negotio in partibus imperii nostri contra*, etc. — *Priorem et fratres ordinis predicatorum de Prema (Brema) pro fidei negotio*, etc.

(*b*) Ap. Monum. Boic. *detinendos*, sensu non absoluto.

foret exinde negligens vel remissus, inutilis coram Domino et in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere.

Datum Ravenne, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense marcii, quinte indictionis (1).

Ravennae, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces Gerardi Bremensis archiepiscopi, confirmat donationem quondam ab Henrico palatino comite Rheni [et duce Saxoniae] ecclesiae Bremensi factam tam in praediis quam in ministerialibus patrimonii ejusdem, sive in archiepiscopatu Bremensi sive ubicumque sint.

(Edider. Tolner, *Histor. Palat.*, 63. — Lunig, *Reichsarchiv*, t. VIII, p. 442. — Lindenbrog, *Scriptor.*, p. 172. — Scheid, *Origin. Guelfic.*, tom. III, p. 665, n° 178. — Lappenberg, *Hamburg. urkundenb.*, t. I, p. 428, n° CDXCVII.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Imperialis excellentie dignitas laudis sue titulos tunc modis omnibus ampliat et extollit, cum suorum vota principum liberali favore prosequitur et benigno. Hinc est igitur quod presentis scripti serie notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod dilectus princeps noster G. venerabilis Bremensis archiepiscopus nostre celsitudini supplicavit quatenus donationem quam olim Henricus palatinus comes Rheni contulit ecclesie Bremensi ac suis privilegiis confirmavit, tam in prediis quam in ministerialibus de patrimonio suo sitis in

(1) Aderat tertia constitutio de judicio et poena contra haereticos exercendis, cum notis chronologicis eisdem, scilicet datum Ravennae, anno MCCXXXII, mense marcii, quinte indictionis, ut memorat et testatur de Lang, in *Regest. Boic.*, tom. II. Licet autem neque in *Monum. Boic.* neque apud Pertz ad hunc locum exhibeatur, non dubitamus quin fuerit illa incipiens *Inconsutilem tunicam Dei nostri*, quam supra retulimus in *Constitut. regni Siciliae*, pag. 5 et seqq.

Digitized by Google

episcopatu Bremensi vel alibi (1), confirmare sibi de munificentie nostre gratia dignaremur. Nos autem predicti archiepiscopi dilecti principis nostri supplicationibus favorabiliter annuentes, attendentes quoque fidem et devotionem sinceram ejusdem archiepiscopi necnon grata et accepta servitia que nobis et imperio semper exhibuit et exhibet incessanter, predictam donationem factam memorate Bremensi ecclesie per jamdictum H. comitem Palatinum tam in prediis quam in ministerialibus patrimonii sui, sive in eodem episcopatu Bremensi vel ubicumque sint, de innata serenitati nostre clementia sibi perpetuo confirmamus. Statuimus insuper et presentis privilegii auctoritate mandamus quatenus nulla persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, prefatum archiepiscopum dilectum principem nostrum contra presentis confirmationis nostre paginam molestare presumat. Quod qui presumpserit penam XX librarum auri puri se compositurum agnoscat, quarum medietatem curie nostre persolvat et reliquum parti injuriam patienti. Ut autem hec confirmatio rata permaneat et robur obtineat perpetue firmitatis, presens privilegium fieri fecimus et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus insigniri.

Hujus itaque rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, A. Magdeburgensis et ... Ravennas archiepiscopi, E. Babinbergensis episcopus, H. Wormaciensis episcopus, ... Polensis (*a*) episcopus, N. Reginus episcopus, G. Brixinensis episcopus, A. dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Karinthie, comes H. de Hortenberch, L. langravius de Luchtimberg, comes W. de Halrenach (*b*), comes G. de Sauniis (*c*), Manfridus marchio Lanzie, comes B. de Loreto, comes Alduinus.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, mense

(*a*) Forsitan *Ymolensis;* nempe Polensis episcopus nusquam inter testes curiae Ravennensi adstantes apparet.

(*b*) Verisimiliter *de Halremunt*, nisi quod supra nominatur *Ludolfus*.

(*c*) Legendum *de Saine*.

---

(1) Vid. ap. Schrid, *Ibid.*, p. 662, donationem ab Henrico comite factam apud Stadium, anno domin. incarn. 1219, indict. VII.

Digitized by Google

martio, V indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus XII, regni Hierusalem VII, regni vero Sicilie XXXIV, feliciter. Amen.

Datum Ravenne, anno, mense et indictione prescriptis.

Ravennae, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, privilegium ab avo suo Friderico primo monasterio Sanctae Christinae juxta Papiam anno 1185 indultum, inserendo renovat et confirmat, et insuper indulget ut nulla praescriptio nisi centenaria eidem monasterio praejudicet.

(Edid. ROBOLINI, *Notiz. stor. di Pavia*, t. III, p. 387 et seqq., ex copia impressa juxta fidem alterius copiae a tribus notariis authenticatae. Nil dubium est, ut ipse animadvertit Robolinius, totum exordium privilegii istius, scilicet quod ad Fridericum secundum attinet, omnino praetermissum fuisse sive a notariis sive potius impressionis tempore : unde punctis additis lacunam supplevimus, delendo verbum *secundus*, quod mendose post Friderici nomen primus editor admiserat.)

. . . . . .

. . . . . .

In nomine Domini et individue Trinitatis. Fridericus, divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Summi regis judicium expectantes ut messem retributionis eterne caritatis preveniamus operibus, ecclesias Dei et monasteria personasque in eis Domino deservientes cum eorum possessionibus in suo jure et honore conservare et manutenere curamus. Ea sane consideratione pietatis, nos predecessorum nostrorum Caroli Magni, Othonis, Henrici primi imperatorum vestigia sequentes, monasterium Sancte Christine virginis et martiris situm in villa Sancte Christine super locum cum omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus que nunc habet vel in posterum prestante Domino juste acquisierit,

Digitized by Google

in protectionem imperialis patrocinii accepimus, et omnes possessiones largitione predecessorum nostrorum regum vel imperatorum seu aliorum quorumcumque fidelium Christi pietate collatas legitime ipsi monasterio sancte virginis et martiris perpetuo tenendas confirmamus: nominatim ipsum castrum Sancte Christine cum omnibus ad se pertinentibus, castrum scilicet Thorianum, castellum Miradolo, castrum Hymam et Brionam, Pratum de Albareto et Runcalia, castellum Sancti Andree super ripam Padi fluminis cum ipso alveo jam dicti fluminis ex utraque parte et portum cum piscaria ex utraque ripa duobus miliaribus protensa et terminata super fluviolum qui vocatur Cocarius ex una parte, ex altera vero parte super ecclesiam Sancti Vitalis usque ad Castellum Novum. Denique confirmamus ipsi monasterio omnes possessiones quas habet in comitatu Papiensi, Mediolanensi, Laudensi, Placentino, Parmensi, Regino, Terdonensi, Veronensi, Cumano. Confirmamus ei etiam curtem Cuniolum super Padum positam dono Berengarii regis ipsi monasterio traditam, curtem quoque Casellarum et curtem Spoledrinam cum pratis, pascuis, venationibus, ripaticis, molendinis et cum omnibus suis pertinentiis quas Bergundius abbas predicti monasterii ab Uberto et Anselmo comitibus de Rovescalla sibi jus in ea dicentibus ordine judiciario evicit, predicto monasterio et in eo deservientibus personis confirmamus. Curtem quoque Bolegum cum suis pertinentiis et cellam que est juxta Montaltum ipsi monasterio, sicut eam juste et legitime possidet, confirmamus. Et ne quis abbatem aut fratres suos de iis devestire aut inquietare presumat sine legali judicio prohibemus, et sicut ab antecessoribus nostris eis indultum est ut potestatem habeant conducendi flumen Olannam usque ad castrum Sancte Christine et in ipso flumine molendina construere ad usus abbatis et fratrum, ita eis idem flumen conducere et molendina in eo ad usus suos collocare concedimus. Supradictas igitur possessiones cum omni juris et honoris integritate supradicto monasterio confirmamus et volumus in pace et tranquilitate perpetuo possidere, ut ab exterioribus molestiis absoluti Deum pro nostra et predecessorum nostrorum salute possint devotius interpellare. Et ne bona ipsi monasterio pie collata possint ab usu abbatis et fratrum alienari aut ipsum mona-

Digitized by Google

sterium imperatorum munificentia et regum ditatum debeat subjici cujusquam potestati, nos divorum imperatorum statuta sequentes decernimus ut nullus imperator aut dux, marchio vel comes aut vicecomes presumat alicui mortalium de iis possessionibus quas supradiximus aliquid donare vel in beneficio concedere, nec alicui archiepiscopatui vel episcopatui idem monasterium subiciat. Cui etiam concedimus ut nulli civitati, nulli communi, nulli persone de fodro imperiali respondeat, nisi nobis vel certo nuntio nostro. Ut igitur hoc nostre concessionis et confirmationis indultum suam in perpetuum firmitatem obtineat, presentem inde paginam conscribi jussimus et sigilli nostri impressione communiri. Cujus auctoritatem si quis ausu temerario corrumpere presumpserit et aliquid de iis que premissa sunt infringere, centum libras auri pro pena componat; quarum medietas imperiali camere et reliqua medietas monasterio injuria leso persolvatur. Hujus rei testes sunt : Conradus Maguntine sedis archiepiscopus, Rudolphus Treverensis electus archiepiscopus, Willelmus Astensis episcopus, Wallo Pergamensis episcopus, Conradus Lubicensis electus, Rudulphus imperialis aule prothonotarius, Conradus dux Spoleti, comes Debaldus de Lechsgemunde, comes Gerhardus de Lon, comes Symon de Spanaym, Guernerus de Bonlant, Leo de Monumento prefectus urbis.

Signum domini Friderici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Gothofridus imperialis aule cancellarius, vice Philippi Coloniensis archiepiscopi et Italie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo centesimo LXXXV, indictione tertia, regnante domino Friderico Romanornm imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XXXIII, imperii vero ejus XXXI. Datum Laude, XVI kalendas februarii, feliciter. Amen.

Nos igitur predicti abbatis piis supplicationibus inclinati, attendentes fidem et devotionem ipsius necnon grata servitia que nobis et imperio prestitit et gratiora prestare poterit in futurum, predictum privilegium de verbo ad verbum huic nostro privilegio inseri et innovari mandavimus, ea omnia que in ipso privilegio continentur prefato monasterio Sancte Christine in perpetuum confirmantes. De abundantiori quoque gratia

munificentie nostre predicto abbati et successoribus ejus liberaliter indulgemus ut nulla prescriptio nisi centenaria prejudicet monasterio memorato. Statuimus igitur et imperiali firmiter sancimus edicto quatenus nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, presentem innovationem, confirmationem et concessionem nostram in aliquo rumpere seu violare presumat vel predictum monasterium in premissis aliquatenus molestare. Quod qui presumpserit centum librarum auri puri pena plectatur, medietate camere nostre et reliqua parti prefati monasterii persolvenda. Ut autem premissa omnia robur perpetue firmitatis obtineant, presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, A. Magdeburgensis, Salzburgensis, Ravennas et B. Panormitanus archiepiscopi, E. Papembergensis, H. Wormatiensis, Reginus et Imolensis episcopi, A. dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Karinthie, comes Henricus de Ortemburg, Guernerus de Bolandia (*a*), Richardus imperialis aule camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Hierusalem et Sicilie regis gloriosissimi.

Ego Siffridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini Henrici venerabilis Coloniensis archiepiscopi in Italia archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, mense martio, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Hierusalem septimo, regni vero Sicilie trigesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum Ravenne, anno, mense et indictione prescriptis.

Ravennae, martio. Fridericus, Romanorum imperator, jubet ut quicumque feuda

(*a*) Ap. Robolini *Guernerus Uborlandia*, male.

vel terras a comite Provinciae et Fulkalkerii tenens guerram et seditionem contra praedictum comitem moverit, eisdem privetur quae ad comitem devolvantur.

(Edider. PAPON, *Hist. génér. de Provence*, t. II, preuves, p. 64, arch. d'Aix, tour du Trésor, 1er quar., 2e liasse.— PERTZ, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 289.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, [Jerusalem et Sicilie rex.] Sicut dignum est vassalos et subditos fidem puram et devotionem sinceram suis dominis exhibentes dignis meritorum premiis honorari, ita videtur consentaneum rationi infideles ac indevotos privari concessis beneficiis et subjici debite ultioni. Quapropter hac lege in comitatu Provincie ac Fulcalkerii perpetuo valitura sancimus ut si qua universitas vel communitas vel singularis persona feudum vel terram seu jurisdictionem vel senioriam vel ea que consistunt in mero imperio vel mixto vel modica cohercione tenens a comite Provincie et Fulcalkerii in dictis comitatibus vel in aliquo predictorum, absque imperiali licentia et mandato guerram et seditionem, spreta fide et religione prestiti juramenti, movit vel moverit in futurum, sacramenta, conspirationes, factiones vel illicitas societates inivit vel inire ausu temerario attentabit contra predictum comitem imperii nostri devotum et fidelem; omnibus que tenet et habet supradictis vel aliis quibuscumque modis in dictis comitatibus, postquam de eorum (*sic*) nequitia patuerit, ipso jure priventur, et ea omnia ad comitatum et dictum comitem devolvantur. Ad hujus itaque rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Datum Ravenne, anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, mense martii, quinta indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, Jacobo Teupolo duci et toti populo Venetiarum libertatem commercii in regno suo Siciliae in- Venetiis, martio.

dulget : scilicet de juribus dohanae in emptione et venditione mercium, de testamentis condendis, de bonis intestatorum, de querimoniis deponendis, de navibus naufragantibus, etc.

(Edid. Fantuzzi, *Monum. Ravenn.*, t. VI, p. 282, e cod. Trevis. Ven., fol. 408, sed minus correcte. Cujus mendosas lectiones, ut melius visum fuit, correximus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus secundus, divina favente clementia imperator Romanorum, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Honor augetur imperii et super regna laudabiliter extollitur principatus, cum duces provinciarum et populos in amicitiam nostram ad robur imperii communimus, et eis liberali provisione perspicimus a quibus dignis honoribus prevenimur. Notum quidem fieri volumus universis tam presentibus quam futuris quod nos attendentes sinceram affectionem amicissimi nostri Jacobi Teupoli ducis et totius populi ducatus Veneti, quam olim erga majestatem nostram firmiter conservaverunt, et precipue nobis per Venetias transeuntibus (1) specialiter singuli et generaliter universi ad nostram presentiam votis ardentibus ostenderunt, excellentiam nostram in omni honorificentia reverentes et se nostris exhibentes beneplacitis in omnibus pronos et paratos, petitiones eorum celsitudini nostre porrectas pro regni nostri Sicilie opportunitate obtinenda dignum duximus admittendas; concedentes eisdem ut amodo homines ducatus Venetiarum in regnum nostrum Sicilie venientes per totum idem regnum eundo et redeundo [et] morando terra marique omni salubritate et indempnitate firmentur in personis et rebus, et ut liceat eis ubique per regnum vendere et emere res et lanas et eas extrahere; ita videlicet quod illi de regno qui vendiderint Venetis et ab eis emerint libere possint vendere et emere, statuto aliquo non obstante; sed de his que vendiderint et emerint Veneti per loca et civitates Apulie, Calabrie et Principatus, non nisi unum tarenum et dimidium de singulis videlicet centum

(1) « [Imperator] itinere transiens per Venetias, ibidem honorifice suscipitur, et ingressus ecclesiam Beati Marci super altare ejusdem dona offert regalia auro et gemmis decorata. » Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes*, II, 364.

tarenis inter emptionem et venditionem officialibus nostris statutis in civitatibus nostris et aliis locis in quibus predicta commercia fecerint, solvere teneantur; reservata nostris officialibus electione de solutione (*a*) predicti juris habenda sive in rebus venditis vel in emptis, quodcumque istarum iidem officiales duxerint eligendum, exceptis auro et argento et cambio monetarum, de quibus in venditione vel emptione dationem vel distractionem (*b*) aliquam exigi a Venetis prohibemus. Concedimus etiam ut naves Venetorum undecumque venerint in Siciliam applicantes pro toto onere uniuscujusque navis unam unciam tantum nostris officialibus Veneti solvant; quod si voluerint aliquas merces emere vel extrahere de Messana (*c*), de singulis quarticollis de octo cantariis (1) et tarenum unum pro jure solvant. Panormi vero de gemmis opere factis (*d*), de armellinis et aliis rebus quas vendiderint et emerint ibi, Veneti aliquid non exsolvant (2). Preterea concedimus ut si que vel si quis Venetorum in regno nostro Sicilie mori contigerit, libere possint absque contrarietate aliqua condere testamentum et licite disponere de rebus suis, et juxta quod testator disposuit observetur. Si quis vero Venetorum ab intestato in eodem regno nostro decederet, quicumque Venetus aderit, bona defuncti conservanda recipere permittatur. Quod si nemo presens fuit Venetorum, bajulus loci ea recipere ac conservare debeat sub testimonio bonorum virorum, vel in defectu bajuli alicui de ipso loco bone fidei et opinionis viro bona eadem committantur, singulis in publicum scriptum redactis, et penes quem quecumque bona ipsa deposita fuerint vel recepta, sicut per litteras et nuntium duci Venetorum super [hoc] transmissum fuerit, cui mandaverit assignentur. Concedimus insuper ut mercatores et homines regni

(*a*) Ap. Fantuzzi *emptione dissolutione*, perperam.
(*b*) Ap. Fantuzzi *divestraxione*, pessime.
(*c*) Ap. Fantuzzi *de Mescha*, male.
(*d*) Ap. Fantuzzi *facte*, minus recte.

(1) Vide supra, p. 265, not. 1.

(2) Quae omnia postea mutata fuerunt, cum bello inter Venetos et Fridericum exorto, iste in ordinatione novorum portuum et extractione victualium Venetos specialiter prohibuit. Vid. mandatum 5 octobr. 1239 et seqq.

nostri ea tantummodo Venetias deferant ad mercandum que ementur in regno. Ad hoc addentes concedimus ut si quando contra Venetos in regno nostro querimonie deponuntur, tertiaria vel aliquod non exigatur propter hoc ab eis nec aliquod damnum patiantur (*a*). Presentis quoque privilegii auctoritate mandamus quatenus si contigerit aliquam navium Venetarum vel de ipsis Venetis undecumque, qualitercumque cum rebus suis regni partes attingerint, quocumque casu vel infortunio in aliquo loco regni subire naufragium, Veneti cum omnibus rebus quas extrahere et salvare potuerunt, salvi sint et indemnes, habentes a bajulis nostris locorum in quibus idem casus evaserit, subsidium et favorem. Ad hujus itaque concessionis memoriam et perpetuam firmitatem, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus insigniri.

Hujus autem rei testes sunt : Bertholdus patriarcha Aquilegensis, E. Babinbergensis, ... Wormatiensis episcopi, Saxonie, Meranie et Karinthie duces, lantgravius Turingie, comes H. de Hortemberg (*b*), comes Sene, marchio de Foemburg, marchio Lancia, Giordanus Filangerus mareschalcus, Tebaldus Francisius, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Federici secundi, Dei gratia illustrissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Hierusalem et Sicilie regis.

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini venerabilis (*c*) Coloniensis archiepiscopi, imperialis in Italia archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XX[X]II, mense martii, indictione quinta, imperante domino nostro Federico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus duodecimo, regni Hierusalem septimo, regni Sicilie XXXIIII, feliciter. Amen.

Datum Venetiis, anno, mense, indictione suprascriptis.

(*a*) Ap. Fantuzzi *nec aliqua nedum patiatur*, male.

(*b*) Boehmerus (*Regest. imper.*, p. 152, n° 715) his addit, qua nescimus auctoritate, *comes H. de Waldenburg, lantgravius de Leuchtenberg.*

(*c*) Ap. Fantuzzi *venerii*, male.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, Johannem abbatem et fratres monasterii Sancti Nicolai de Littore Rivoalti cum omnibus bonis eorum sub sua protectione recipit, statuitque ut de praedictis bonis jura imperii recolligant, sibi vel nuntiis suis assignanda. Venetiis, martio.

(Edider. MARGARINI, *Bullar. Cassin.*, t. II, p. 267. — FLAM. CORNELIO, *Eccles. Venetae antiq. monum. illustratae*, t. IX, p. 107, ex archivo Sancti Nicolai de Litore.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Ad eterne vite premium nobis credimus profuturum si locis divino cultui deputatis misericordie nostre viscera reserantes, eorum indempnitati benigne prospicimus et quieti, ac suis utilitatibus providendo protectionis et gratie nostre munimen eis liberaliter exhibemus. Inde est igitur quod notum esse volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos honestam vitam et laudabilem conversationem Johannis venerabilis abbatis monasterii Sancti Nicolai de Littore Rivoalti prope civitatem Venetiarum et fratrum in eodem monasterio Deo famulantium, nostrorum fidelium, benigno intuitu attendentes, eumdem abbatem, monasterium et fratres cum omnibus possessionibus et bonis eorum que per imperium juste tenent et possident et que de cetero rationabiliter et legitime poterunt adipisci, specialiter in terris et locis infrascriptis: videlicet in Sacco, in Aquilegia, in Istria, in Parentina civitate, in partibus Bononiensibus, in episcopatu Tarvisino, in diocesi Ferrariensi et episcopatu Eugubii sub protectione ac defensione nostra et imperii recepimus speciali. Statuimus insuper et sancimus ut fodrum, albergarias, districtum, collectas, bannum, placitum, assaltum (1) et cetera jura

(1) Vocem *assaltum* praetermissam a Cangio interpretatur Margarinus in suo dict. Longob. *onus personale* vel *reale*.

imperii que de possessionibus predicti cenobii nobis et imperio spectare noscuntur, abbas et fratres ejusdem monasterii ad opus curie nostre recolligant et conservent. Ita quod nec patriarcha, archiepiscopus, episcopus, marchio, comes, neque aliqua magna vel parva persona de possessionibus predicti monasterii et nominatim de hiis que habent in territorio quod Saccus dicitur, aliqua de iis que juris nostri et imperii sunt ab eis exigat vel requirat; sed nobis cum Italiam intraverimus vel specialibus nostris nuntiis ea dictus abbas et fratres cum integritate persolvant. De affluentiori quoque nostre gratia majestatis duximus statuendum ut si quando contingat guerram emergere inter civitatem Venetiarum et civitates imperii, nichilominus liceat abbati et fratribus memoratis proventus et victualia terrarum et possessionum suarum que in imperio habent extrahere et ad monasterium ipsum pro eorum sustentatione deferri facere, non obstantibus bannis vel statutis alicujus civitatis. Si quis igitur ausu temerario contra presentem divalem paginam nostram in aliquo venire presumpserit, se noverit centum marcarum argenti pena mulctandum, quarum medietas curie nostre ac reliqua passis injuriam persolvatur. Ut autem hec nostre protectio et constitutio majestatis inconvulsa permaneat et robur obtineat firmitatis, presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegiensis, E. episcopus Bambergensis, H. episcopus Wormaciensis, E. episcopus Polensis, A. dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Karinthie, comes Henricus de Ortemberch, Gauzolinus dapifer, Albertus Sudelle, Manfridus marchio Lanza, comes Alduinus, comes Berardus de Loreto, Richardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Hierusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini vener[abilis] Coloniensis archiepiscopi Italie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense martii, quinte indictionis, imperante domino

Digitized by Google

nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum Venetiis, anno, mense et indictione prescriptis.

Venetiis, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Pauli abbatis Sancti Georgii de Venetiis, inserit et confirmat privilegium ab avo suo Friderico primo anno 1177 eidem monasterio Sancti Georgii indultum, additque ut victualia sua per imperium sine jure passagii monachi deferre valeant.

(Edid. Flam. Cornelio, *Eccles. Venet. ant. monum. illustr.*, t. VIII, decas undec., pars II, p. 241, ex arch. monast. S. Georgii majoris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Inter cetera pietatis opera que imperialis magnitudinis titulos evehunt et gloriam sue majestatis extollunt, illud creditur potissimum ad salutem quod locis religiosis et sacrosanctis ecclesiis elargitur. Inde est quod Paulus venerabilis (*a*) abbas Sancti Georgii de Venetiis fidelis noster, in nostra presentia constitutus, celsitudini nostre quoddam privilegium presentavit indultum monasterio dicti Sancti Georgii a quondam imperatore Friderico felicis memorie avo nostro; supplicans nobis humiliter et devote ut privilegium ipsum et omnia que continentur in eo confirmare sibi, successoribus suis et eidem monasterio de nostra gratia dignaremur. Cujus privilegii tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Ad omne vite meritum et temporalis imperii gubernaculum apud Regem regum credimus nobis proficere si ipsius ecclesiis boni status augmentum de nostra clementia studeamus

(*a*) In impresso *Venerio*, male.

apponere. Cum igitur tuitionem gloriosi predecessoris nostri dive memorie Henrici quinti imperatoris ex ipsius scripto (*a*) cognovissemus collatam (*b*) ecclesie Sancti Georgii que est in Venetiis, super omnibus possessionibus quas eadem ecclesia in Romano tenet imperio, dignati sumus tam commendabilia prefati principis imitari vestigia. Hinc est itaque dum essemus apud Venetias, hortatu amici nostri Sebastiani Ziani illustris ducis Venetie et petitione Leonardi venerabilis (*c*) abbatis de Sancto Georgio, eamdem ecclesiam Sancti Georgii et Sancti Stephani pro reverentia et amore eorumdem sanctorum in nostre imperialis tuitionis speciale patrocinium circa omnia bona et quelibet jura que eidem ecclesie in nostro spectant imperio, adeo clementer suscepimus ut ei per omnes ejus pertinencias pacis et quietis usum per omne Romanum imperium mandato nostro stabiliamus et ipsum quietis et pacis usum diligenti defensionis opera providere intendamus. Confirmamus ergo prefato monasterio omnes possessiones et universa bona et res mobiles sive immobiles et omnia jura que predicta ecclesia in toto Romano imperio nunc juste possidet et tenet vel de cetero rationabiliter Deo annuente adipisci poterit, ac imperialis nostre auctoritatis edicto statuimus firmissimeque precipimus ut nullus patriarcha, archiepiscopus, dux, marchio, comes, vicecomes, advocatus, vicedominus, gastaldus, villicus, decanus et nulla prorsus magna seu parva, ecclesiastica aut secularis persona per albergarie vel telonei vel fodri occasionem nec pro... alicujus eventu nec per aliquod exactionis alteriusve gravaminis ingenium prenominatum monasterium ac ejus abbatem suosque successores inquietare seu molestare aut disvestire presumat. Preterea ex nostre imperialis auctoritatis vigore precipimus ut homines prefati monasterii qui resident vel pro tempore residerint in prefatis possessionibus, nullo modo distringantur per prefatas personas nisi in generali placito et ita demum ut vel [per] abbatem vel per suum missum causa dirimatur sine ullo banni gravamine. Si quis autem contra hec nostre imperatorie preceptionis statuta et jussa aliquatenus venire et aliqua ex his

(*a*) In impresso *scripti*.

(*b*) Ibidem *collatum*.

(*c*) Ibi quoque *Venerio*, et in catalogo abbatum ambo vocantur *Venerii*, perperam.

Digitized by Google

infringere aut violare attemptaverit, pena centum librarum auri purissimi noverit se condemnatum, quarum medietas imperiali fisco, residua predicte ecclesie, abbati suisque successoribus persolvatur. Ut hec vero prefato Sancti Georgii monasterio rata deinceps et inconvulsa permaneant et in oblivionem non cadant, presentem paginam fecimus inde conscribi et majestatis nostre sigillo roborari. — Testes quoque placuit annotari Ulricus Aquilegiensis archiepiscopus patriarcha, Henricus Gradensis patriarcha, Christianus Maguntinus archiepiscopus, Philippus Coloniensis archiepiscopus, Arnaldus Treverensis archiepiscopus, Conradus Salzburgensis archiepiscopus, Vitalis Castellanus episcopus, Marinus Cloiensis episcopus, Leonardus Torcellensis episcopus, Sebastianus Ziani dux Venetie, Florentius comes Hollandie, Conradus marchio Montisferrati, Theodoricus marchio de Saxonia, Conradus marchio Anconitanus, Joannes Entius predicte ecclesie advocatus, Leonardus comes Absaren (?), Dominicus comes Iadre et alii quamplures. — Signum Domini Friderici Romanorum imperatoris invictissimi. — Ego Godefridus cancellarius vice Philippi Coloniensis archiepiscopi et Italici regni archicancellarii, recognovi. — Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo centesimo septuagesimo septimo, indictione decima, regnante domino Friderico Romanorum imperatore glorioso, anno regni ejus vigesimo sexto, imperii autem vigesimo tertio. — Datum Venetiis in palatio ducis, sextodecimo kalendas septembris, feliciter. Amen.

Nos autem supplicationibus ejusdem abbatis benignum prestantes assensum, attendentes quoque grata servitia que nobis exhibuit et que in antea exhibere poterit gratiora, prescriptum privilegium de verbo ad verbum conscribi jussimus, et de merita nobis munificentia ipsum ac omnia que continentur in eo sibi successoribusque suis et eidem monasterio Sancti Georgii confirmamus perpetuo. De abundantiori quoque gratia nostra concedimus eidem abbati et successoribus suis ut victualia sua que habent per quaslibet partes imperii ad usum et utilitatem eorum ad predictum monasterium secure et sine jure passagii deferre valeant, civitatum (*a*) banno non obstante. Statuimus igitur et imperiali edicto sanci-

(*a*) In impresso *valeat civitatem*, male.

mus ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, predictam confirmationem et concessionem nostram infringere seu violare presumat. Quod qui presumpserit preter penam que in dicto privilegio continetur, centum libras auri componat, medietate camere nostre et reliqua medietate passis injuriam persolvenda. Ut igitur presens concessio et confirmatio nostra robur obtineat perpetue firmitatis, presens privilegium fieri et bulla [aurea] typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt: B. venerabilis (*a*) patriarcha Aquilegensis, E. Papimbergensis episcopus, H. Vormatiensis episcopus,... Polensis episcopus, A. dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Carinthie, comes H. de Waldenberch,... marchio Lancea, Riccardus imperialis aule camerarius, et alii quamplures.

Signum (*b*) domini Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus et imperalis aule cancellarius, vice domini H. venerabilis Coloniensis archiepiscopi in Italia archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, mense martii, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie trigesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum Venetiis, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Aquilegiam, martio.

Meinhardus junior comes de Gorzia, in praesentia Frederici Romanorum imperatoris et magnatum imperii, Hermanno magistro hospitalis Theutonicorum resignat quidquid Meinhardus senior

(*a*) Hic quoque *venerio*, male.

(*b*) Ap. Cornelium *Signum manus*.

Digitized by Google

patruus suus eidem hospitali in Brissenich, Carpenal et alibi contulit.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgart. Pendet fragmentum sigilli cerei filis amarantini et flavi coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense martii, indictione quinta, imperante domino Friderico invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege feliciter. Amen. Cum a summo rerum opifice cujus nomini loca religiosa deserviunt et ecclesie dedicantur, cuncta bona proveniant que arbitrii dispensatione celestis ad usum et oportunitates hominum conferuntur, interest devotionis humane suum liberaliter respicere largitorem et de bonorum ubertate percepta illis locis et ecclesiis providere in quibus honorificatur precipue cultus ejus et Christi pauperes spiritu militant indefesso; quorum quies ab universis fidelibus est optanda et procuranda diligenter indempnitas, ut sopitis questionibus et controversiis relegatis possint liberius Domino famulari. Hac igitur consideratione nos Meinhardus junior comes de Gorzia clementer inducti, qui paternis et patruelibus bonis Deo auctore successimus, attendentes et recognoscentes qualiter clare memorie comes Meinhardus senior patruus noster proprietatem in Brissenich hospitali Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem pro remedio anime sue pia devotione contulerit, omnem questionem, impeticionem et controversiam et si quod jus in predicta proprietate habuimus seu habere debuimus, fratri Hermanno venerabili magistro ejusdem hospitalis, in presentia predicti domini nostri incliti Romanorum imperatoris Friderici semper augusti Aquilegie tunc temporis existenti (*sic*), presentibus quoque subscriptis principibus Berhtoldo venerabili Aquilegiensi patriarcha, Eggeberto Babenbergensi et Heinrico Wormatiensi episcopis, B. preposito Aquilegiensi et C. archidiacono ejusdem ecclesie, Ottone duce Meranie et aliis plerisque magnatibus Alemannie, scilicet Alberto comite de Tirol, Heinrico comite de Orthenberch, Ulrico comite de Eppan, Alberone de Wangen, Ottone Burgongia, Volkero de Rifenberch et Ulrico fratre ejus, Cholone de Flabsperch, Rudolfo de Arees, Volkero

de Doremberch, testibus videlicet subnotatis, spontanea et gratuita voluntate remisimus, renuntiavimus et resignavimus Brissenich cum omnibus sibi attinentibus in silvis, in agris, in pratis, in pascuis, in piscariis, in Carpenal quicquid dictus comes patruus noster ibidem habuit et in Blankar tres mansos, aput Sanctum Peregrinum unum mansum qui pertinet ad piscariam, sicut predictum quondam patruum nostrum dicto hospitali recognoscimus contulisse; et ut Deo qui fecit nos majoris gratitudinis obsequium impendamus ac ejusdem hospitalis provideamus in perpetuum munimini et quieti, contulimus et confirmavimus prefato magistro et successoribus ejus ac hospitali jamdicto prescriptam proprietatem in Brissenich cum omnibus pertinentiis suis, necnon et homines qui spectant ad eam, videlicet Blanchum, Ulricum fratrem ejus et.... filium Jacobi, Heinricum Tirenwecke et Wintherum una cum omnibus aliis hominibus, viris et mulieribus ad eam pertinentibus; ita quod nec advocatias neque judicia nec aliquid juris in predictis bonis nobis vel nostris heredibus reservamus; sed predictum hospitale libere cuncta et quiete possideat sine nostra et heredum nostrorum molestia et contradictione. Ad hujus autem rei perpetuam firmitatem et securitatem hospitalis memorati, presens scriptum fieri jussimus sigilli nostri munimine roboratum.

Actum aput Aquilegiam, anno, mense, indictione et testibus suprascriptis.

In civitate de Friule, 29 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, Lanfrancum abbatem Sanctae Mariae de Pratalea investit de jurisdictione et comitatu villarum Bursignanae, Tencarolae, Nemoris, Tramontis, et ab eo juramentum fidelitatis recipit.

(Edid. Margarinus, *Bullar. Cassin.*, t. II, p. 266, ex arch. S. Mariae de Pratal., caps. VI, n° 7.)

In Dei nomine, anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, indictione quinta, die tertio exeunte martio, in presentia

Digitized by Google

eorum quorum nomina infra continentur, dominus Federicus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, rex Sicilie et Jerusalem, investivit dominum Lanfrancum Dei gratia abbatem monasterii Sancte Marie de Pratalea, recipientem pro ipso monasterio, de jurisdictione et comitatu ville Bursignane et ville Tencarole et ville Nemoris et ville Tramontis et totius sui territorii quod amodo habet, secundum quod ipse et sui antecessores hucusque habuerunt vel tenuerunt in predictis villis vel in suo territorio, et in presenti fecit sibi representare librum ut eidem domino imperatori fidelitatem juraret. Et sic dictus dominus abbas pro monasterio predicto eidem domino imperatori fidelitatem juravit, excepto domino papa et domino suo abbate Sancti Benedicti de Lirone. Testes interfuerunt dominus Bertoldus Aquilegiensis patriarcha, et episcopus Polensis, et episcopus Concordiensis, Federicus prepositus Aquileiensis, et comes de Gorz et Huido de Porcillis et Oldericus de B.... et Oldericus de ... veania et Bregogna de Spinenberg et archidiaconus Aquilegiensis et Bertoldus de Tricano marescalcus domini patriarche et dominus Henricus archidiaconus et canonicus Padue et dominus Prudentius de Roma et alii. Actum in Civitate de Friule (1), in camera palatii domini patriarche.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem praepositi et canonicorum capellae suae Sancti Servatii in Trajecto, divisionem bonorum inter praepositum eumdem et canonicos concorditer factam ratam habet et confirmat.

Apud Civitatem in Foro Julii, aprili.

(Inedit. e chartul. S. Servatii MS. Bibl. reg. Paris., tom. I, f. 29; tom. II, f. 14 recto; tom. III, f. 104 verso. Originali quod apud Hagam-Comitis asservatur, sigillum cerae albae filis sericis rubeis appensum erat.)

---

(1) Haec urbs, *Cividale di Friuli* vel simpliciter *Cividale* nominata, octo leucis Aquileia distat versus septentrionem ad radices montium. Tum infra, tum apud Riccardum de Sancto Germano per corruptelam *Sibidatum* quoque vocatur.

Digitized by Google

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Si ad promovendum ecclesiarum imperii nostri statum nostra debet favorabilis esse sublimitas, multo favorabilius tranquillo earum statui providere tenemur que cappelle nostre sunt imperii speciales. Universis igitur fidelibus nostris imperii tam modernis quam posteris volumus esse notum quod prepositus et canonici cappelle nostre Sancti Servatii in Trajecto, fideles nostri, tum proposita per quosdam eorum, tum transmissa per litteras insinuatione monstrarunt attentius supplicando quatenus, quia pro scandalo et dissentione vitandis que pro rebus indivisis oriebantur sepius inter eos, ad prescriptam divisionem et certum concordium devenerunt, videlicet ut idem prepositus et successores sui habeant amodo curiam de Meychold (*a*) et curiam de Duobus Montibus cum integritate sua et marcas decem et medietatem omnium placitorum in omnibus curiis, reliquas omnes vero curias canonici habeant cum universis proventibus et exerceant pleno jure, de eis sicut voluerint ad eorum commodum disponentes, divisionem et concordium ipsum assensu nostro approbare et de nostra confirmare gratia dignaremur. Nos igitur quieti eorum providere volentes et attendentes insuper quod sublata de medio eorum materia dissentionis et scandali, divino cultui devotius instudebunt, supplicationibus suis duximus misericorditer annuendum; digno approbantes assensu et de nostra gratia confirmantes predictam divisionem et concordium inter eos factam gratuita et spontanea voluntate: videlicet ut prepositus et successores sui habeant amodo curiam de Meyeheld et curiam de Duobus Montibus cum integritate sua et marcas decem et medietatem omnium placitorum in omnibus curiis, reliquis vero curiis universis cum omnibus proventibus et medietate omnium placitorum cunctis ejusdem cappelle canonicis perpetuo reservatis. Presentis quoque privilegii auctoritate mandamus quatenus nulla persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis approbationis et confirmationis nostre paginam venire presumat. Quod qui presumpserit centum marcas argenti se com-

(*a*) Infra autem *Meyeheld*, forsitan *Meyghold*.

Digitized by Google

positurum cognoscat, medietatem camere nostre et reliquam medietatem passis injuriam persolvendam. Ad hujus autem approbationis et confirmationis memoriam et stabilem firmitatem, presens privilegium fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Hujus rei testes sunt S. Maguntinus archiepiscopus, B. patriarcha Aquilegiensis, E. Salzeburgensis archiepiscopus, E. Papimbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, H. Wormacensis et.... Herbipolensis episcopi, abbas Sancti Galli, A. Saxonie, O. Meranie et B. Carinthie duces, comes H. de Hortemberch, comes Sene, Warnerius de Bollandia, Gunzelinus, G. et C. de Hohenloch, Riccardus camerarius et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. [*Monogramma.*]

Ego Siffridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini S. Maguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, mense aprilis, quinte indictionis, imperante domino nostro Frederico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus duodecimo, regni Hierosolymitani septimo, regni vero Sicilie trigesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum apud Civitatem in Foro Julii, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Civitatem in Friola, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem abbatis de Bebenhausen, bona quae monasterium apud Ezzelingen juste possidet, ab omni data et exactione eximit.

(Edider. MART. CRUSIUS, *Annal. Suevic.*, pars III, lib. I, p. 29.— BESOLD, *Docum. rediv. monast. Wirtemb.*, t. I, p. 231. — MONE, *Zeitschrift für den ober-Rhein*, t. III, p. 113.)

Digitized by Google

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos, ad supplicationem venerabilis abbatis in Bebenhusen fidelis nostri, inspecta quoque religione ibidem degentium qua divino cultui famulantur, divine pietatis intuitu et pro remedio animarum divorum augustorum progenitorum nostrorum memorie recolende ac incolumitate nostra et salute anime nostre, exemimus bona sua que monasterium memoratum in Ezzelingen juste tenet et possidet ac in antea justo titulo poterit adipisci, ab omni data et exactione, et ipsum volumus amodo in eisdem bonis esse liberum et immune; ministerialibus et civibus ejusdem loci specialiter inhibentes quatinus nullus eum contra presentis exemptionis et immunitatis nostre paginam molestare presumat. Quod qui presumpserit, tanquam mandati nostri transgressorem, se noverit indignationi nostri culminis subjacere. Ut autem hec nostra exemptio firma semper et inconcussa permaneat, presens scriptum fieri fecimus sigillo majestatis nostre munitum.

Hujus rei testes sunt S. Moguntinus archiepiscopus, E. Salzburgensis archiepiscopus, E. Papenbergensis episcopus, S. Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, H. Wormaciensis episcopus, C. abbas Sancti Galli, H. marchio de Baden, G. et C. fratres de Hohenloch, Wernherus dapifer de Bollanda, C. de Clingenberc, W. de Limpurg, C. de Winterstetten pincerne, H. de Sremberc (*a*), H. de Waltresten et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXXII, mense aprilis, indictionis quinte, imperante domino nostro Friderico II Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Hierusalem septimo, regni vero Sicilie trigesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum apud Civitatem in Friola, anno, mense et indictione prescriptis.

(*a*) Idem forsitan qui infra *de Liebesberg*.

Digitized by Google

Bertholdus patriarcha Aquilegensis et undecim principes imperii, assidente Friderico Romanorum imperatore, testantur se ab Henrico Romanorum rege ejus filio fuisse requisitos ut jurarent quod si contingeret dictum regem contra capitula quae patri suo juravit venire, eidem imperatori assisterent et a juramento fidelitatis quo eidem Henrico tenebantur absolverentur.

Apud Sibidatum in Foro Julii, aprili.

(Edider. SPIESS, *Aufklarungen*, p. 229. — RIED, *Cod. diplom. Ratisb.*, tom. I, p. 366, et PERTZ, *Monum. Germ. Historica*, t. IV, p. 290.)

Nos Bertholdus patriarcha Aquilegiensis, G. (*a*) Salzeburgensis et A. Magdeburgensis archiepiscopi, E. Pabembergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, H. Herbipolensis et H. Wormaciensis episcopi, C. electus Frisingensis, C. abbas Sancti Galli, A. dux Saxonie, O. dux Meranie et B. dux Karinthie. Tronus imperialis cui velut capiti membra conjungimur, sic nostris insidet humeris et nostra compage firmatur ut et imperium quadam excellenti majestate preemineat et noster ab eo refulgeat principatus. Nos quoque ad subeunda secum sollicitudinis onera tenemur, qui tranquillum statum et requiem sedis sue diligimus pacis et justicie cultibus inherere. Per hoc itaque presens scriptum notum fieri volumus modernis et posteris universis quod nobis in Foro Julii aput Sibidatum assistentibus serenissimo domino nostro Friderico secundo Dei gratia inclito Romanorum imperatori semper augusto, Jerusalem et Sicilie regi, dominus Henricus illustris Romanorum rex filius ejus nos cum multa precum instancia requisivit et requirendo rogavit quatenus coram predicto domino imperatore genitore suo mediatores essemus pro eo, et juraremus quod si contingeret dictum regem non tenere nec conservare capitula que dicto domino imperatori patri suo juravit et fide data promisit (1), se-

(*a*) Sic; legendum vero *E*.

(1) Aderant de hoc juramento item et de promissione duo instrumenta hodie deperdita, sci-

Digitized by Google

cundum continentiam scriptorum que communiter habent, et contra ea venerit, quod absit, nos ad insinuationem et requisitionem quam dominus imperator per certos et speciales nuncios et litteras suas nobis faciet, simus cum eo et assistamus ei contra eumdem regem filium suum ad paternum beneplacitum et mandatum; et ex tunc idem rex a juramento fidelitatis quo sibi tenemur absolvit, ut inde simus penitus absoluti. Nos autem pro generali commodo et honore imperii et unanimitate ipsorum dominorum nostrorum ad nimiam instantiam et preces regis juravimus formam predictam solempniter coram patre, et sicut tenemur observabimus bona fide. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fieri jussimus sigillis nostris munitum.

Actum apud Sibidatum in Foro Julii, anno dominice incarnationis MCCXXXII, mense aprilis, V indictionis.

Aquilegiae, aprili. Fridericus, Romanorum imperator, in praesentia et de consilio Henrici filii sui et magnatum imperii, principatum ecclesiae Laurissensis (Lorsch) ad archiepiscopum Maguntinum cum omni honore et jure ejus transfert, eumque investit ut hunc principatum amodo teneat, salvo jure quod inde imperio debetur.

(Edit. ap. LUNIG, *Spicileg. ecclesiast.*, *Reichsarchiv*, t. XVI, p. 33. — GUDENUS, *Cod. diplomat.*, tom. I, p. 512, n° 202, — et in *Chronic. Laurish.*, ap. STRUVE, t. I, p. 155. — Hoc quoque diploma, sed non integrum, extat ap. JOANNIS, *Script. Mogunt.*, t. III, p. 98.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et

---

licet patentes litterae bulla aurea Henrici regis munitae et epistola specialis ad papam directa; quas fusius memorat Gregorius papa in suis ad archiepiscopum Treverensem litteris, dat. Reate 5 julii 1234, quae infra. Cf. epistolam Friderici ad principes circa initium anni 1235.

Digitized by Google

Sicilie rex. Romani principis decus extollitur et augusta sedes imperii decoratur, cum principatus in quibus consistit et viget imperium in sua dignitate congrua provisione reparat et conservat, et illas ad eorum reparationem et conservantiam personas eligit et preponit que cum prerogativa commissarum sibi ecclesiarum, cum sue merito dignitatis efficientes ad id et accepte fore censentur. Universis igitur imperii fidelibus tam modernis quam posteris volumus esse notum quod nos considerantes tenuem statum ecclesie Laurissensis ab honore et nomine principatus processu temporis collabentem, ut non minus imperio quam sibi deficere videatur; attendentes insuper quod per dilectum principem nostrum Sifridum archiepiscopum Maguntinum, cujus grata servitia quotidie imperio prestita nostro conspectui cum multa gratitudine se presentant, nec non per eamdem Maguntinam sedem, velut obsequiosam semper imperio et nostris honoribus efficacem, servitium ejusdem principatus imperio debitum, quod per ejusdem ecclesie impotentiam nobis hactenus est subtractum, integre poterit exhiberi, assistente nobis et approbante dilecto filio nostro Heinrico Romanorum rege semper augusto (1), super his providere volentes, una cum deliberatione et consilio principum, de innata providentia et nostre gratia majestatis eumdem principatum ecclesie Laurissensis cum omni honore, vasallis, ministerialibus, castris, oppidis, proventibus, juribus et pertinentiis suis sicut ad nos et imperium noscitur pertinere, eidem Maguntine ecclesie, dicto Maguntino archiepiscopo et successoribus ejus imperiali auctoritate in perpetuum donavimus et concessimus, et nominatum principem nostrum venerabilem Maguntinum archiepiscopum presentibus principibus solempniter investivimus ut eadem ecclesia Maguntina, idem Maguntinus archiepiscopus et successores ejus amodo principatum ipsum teneant et possideant et ad honorem nostrum et imperii illum foveant et conservent, salvo jure quod inde debetur imperio. Presentis privilegii auctoritate mandantes quatinus nullus prin-

(1) « Imperator apud Aquilegiam Pascha (11 aprilis) celebrat, filio suo rege ad ipsum veniente et quibusdam principibus Alemanniae. » Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 364. Cf. *Herm. Altah.* et *Chronic. Salisb.*

ceps, dux, marchio, comes, scultetus, advocatus, ministerialis, nullave persona sublimis vel humilis, ecclesiatica vel mundana, contra presentis donationis et concessionis nostre paginam ausu temerario venire presumat. Quod qui presumpserit sciat se preter indignationem nostram cui se noverit subjacere, in sue temeritatis vindictam centum libras puri auri compositurum, quarum medietas curie nostre et reliqua parti passe injuriam persolvetur. Ad hujus itaque donationis et concessionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens privilegium fieri fecimus et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, E. Salzburgensis, A. Magdeburgensis et B. Panormitanus archiepiscopi, E. Babinbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius et H. Wormatiensis episcopi, A. Saxonie, O. Meranie et B. Karinthie duces, C. abbas Sancti Galli, H. magister Theutonicorum, Meinardus de Goerze, A. de Schowenburc, H. de Waldenberc, M. de Muleburc, C. de Holloch (*a*), G. de Eppenstein, H. de Liebesberg comites, Richardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice predicti domini Sifridi venerabilis archiepiscopi Maguntini in Germania archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, mense aprilis, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege gloriosissimo, anno imperii ejus XII, regni Jerusalem VII, regni vero Sicilie XXXIIII, feliciter. Amen.

Datum Aquilegie, anno, mense et indictione predictis.

Apud Aquilegiam, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Siticinae (Sittich)

(*a*) Certissime de *Hohenloch*.

Digitized by Google

in Carinthia, ad preces abbatis Conradi, confirmat forestarum et venationum jus, quod comes Albertus de Weichselberg monasterii fundator super plurimis ejusdem bonis sibi reservaverat, quum postea propter damna monasterio illata, eidem filia Alberti Sophia, uxor quondam marchionis Istriae, idem jus resignaverit.

(Inedit. ex exemplari in *Collectione Fontaninia* ap. archiv. imp. Vindob., t. II, fol. 339; cujus notitiam nobis liberaliter communicavit Boehmerus.)

Hujus rei testes sunt : Sifridus archiepiscopus Moguntinus, B. patriarcha Aquilegiensis, . . . Salzburgensis archiepiscopus, Bambergensis episcopus, S. Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius, . . . Wormatiensis episcopus, . . . abbas Sancti Galli, dux Saxonie, dux Carinthie, comes Adolphus de Schauenburg, comes H. de Ortenburg, comes Sene, Wernerus de Boland, et alii quamplures.

Signum, etc. Ego Sifridus, etc.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, mense aprilis, quinte indictionis, etc.

Datum apud Aquilegiam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio de Stein super Rhenum ordinis Sancti Benedicti ipsius jura et privilegia confirmat. Apud Aquilegiam, aprili.

(Inedit. et extract. ex chartulario penes D. de Lassberg apud Mersbourg per D. de Liebenau, patricium Lucernensem; cujus vir ille Boehmero et Boehmerus ipse vicissim nobis copiam fecit.)

Hujus rei testes sunt, etc. *Ut supra, nisi quod adduntur* marchio de Baden et comes de Gorzia.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, mense aprilis, quinte indictionis, etc.

Datum apud Aquilegiam, anno, mense et indictione prescriptis.

Digitized by Google

Apud Aquilegiam, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, ad requisitionem Burcardi burgravii Magdeburgensis, monasterio de Berge concedit et confirmat advocatiam super bonis monasterii, quam idem Burcardus anno 1221 in fraudem imperii eidem monasterio vendiderat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 152, n° 722, ex originali apud Magdeburgum ipsi a Stockio communicato.)

Datum apud Aquilegiam, anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, mense aprilis, quinta indictione.

Apud Civitatem, 1° mail.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sancti Petri in Augia (Weissenau) confert praebendam parrochialis ecclesiae in Bregenz, olim a se Burchardo de Rienegge ministeriali suo collatam et a fratribus monasterii ejusdem redemptam.

(Inedit. ex *Cod. tradit. Augens.*, hodie in Biblioth. Vadiana civit. S. Galli, E, II, oct. min., fol. 110; cujus nobis copiam fecit cl. vir Kausler, *Monumentorum Wirtembergensium* editor egregius.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Si de bonis nobis a Creatore nostro collatis conferentis intuitu sacris locis et personis religiosis aliquid elargimur, retribuentes ei modicum de multis que gratuito tribuit nobis, affectum pie devotionis ei offerimus et in recompensationem eternorum premiorum salutis nostre commoda procuramus. Noverint igitur tam presentes quam futuri quod nos considerantes laudabilem conversationem et vitam honestam virorum religiosorum cenobii Sancti Petri in Augia summo regi

Digitized by Google

jugiter devote famulantium, divinitus inspirati ab eo cujus sacer spiritus rigans salubriter corda peccatorum eos (*a*) clementer accendit ad fructus penitentie faciendos, prebendam parrochialis ecclesie in Prigantia ubi (*b*) jus patronatus ad nos spectare dinoscitur, quam olim a nobis Burchardo de Rinegge ministeriali nostro collatam, prefati religiosi viri pro quinquaginta marcis argenti redimerunt, dicto cenobio Sancti Petri in Augia et fratribus Deo ibidem servientibus ad honorem Omnipotentis Dei contulimus, ut defectus victus, si quos forte hactenus sustinuerunt, ipsius prebende subsidio releventur; statuentes ut nulli ejusdem cenobii preposito unquam liceat eandem prebendam nisi ad communes et necessarios usus fratrum mutare vel alienare.

Hujus rei testes sunt : Bertoldus Aquilegiensis patriarcha, Sigefridus Maguntinus et Eberhardus Salzburgensis archiepiscopi, Eggebertus Babenbergensis et Sigefridus Ratisponensis, imperialis aule cancellarius, episcopi, Cuonradus abbas Sancti Galli, Albertus Saxonie, Otto Meranie et Bernhardus Carinthie duces.

Hanc autem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Acta sunt hec anno gratie (*sic*) dominice incarnationis M° CC° XXX° II°, mense maii, indictione V°.

Datum apud Civitatem, primo die maii (*c*).

Apud Sibidatum in Foro Julii et apud Utinum, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, cum filio suo Heinrico rege conveniens, rogatus a principibus, privilegia ipsis ab eodem rege Wormatiae 1231, 1 maii, concessa, cum quibusdam tamen modificationibus, renovat et confirmat.

(*a*) In codice S. Galli *quos*.

(*b*) In codice eodem *et*.

(*c*) Notandae sunt in chartulario quaedam singulares formae, quae forsitan ex originali non proveniunt.

(Edidit Pertz, *Monum. German. Histor.*, tom. IV, p. 291-293. — Hujus confirmationis plura exempla pro singulis Germaniae ecclesiis confecta esse videntur : scilicet apud Sibidatum pro ecclesia Moguntina, quod in tabulario regio Monacensi adservatur et in *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 191, num. DCCVIII, typis vulgatum est; — pro ecclesia Treverensi apud Hontheim, *Hist. Trev.*, t. I, p. 711. — Exemplar quoque (ut videtur) Argentoratense, ab Obrechto descriptum, adest in Schilter., *Instit. jur. publ.*, tom. II, p. 117. Curia jam dimissa, Utini confecta sunt 1° Magdeburgense exemplar quod in domo civium Halensium aurea bulla munitum inspexit praelaudatus Pertz, saepius typis impressum, sed sub dato *mensis martii*, quum autographum clarissime *mense madio* habeat, editum ab Heineccio, *De sigillis*, p. 219-220; Dreyhaupt, *Beschreib. des Herzogth. Magdeb.*, II Theil, p. 279; Ludewig, *Reliquiae*, tom. VII, lib. IV, p. 515-519, cum specimine aureae bullae; Wiedeburg, *Annal. litter. Halens.*, ann. 1756, cujus errores nuperrime notavit Förstemann in *Neve Mittheilung. des Thüring. sächsisch. Vereins*, t. I, p. 105; 2° exemplar Wirceburgense aurea bulla munitum quod in tabul. reg. Monac. quoque adservatur, edit. ab Wölckern, *Histor. Norimb.*, p. 65, et in *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 194, num. DCCIX; 3° exemplar Wormatiense a Schannato, in *Hist. Wormat.*, p. 111, editum cum notis in praefatione. Ediderunt quoque Hanselmann, *De dom. Hohenl.*, tom. II, p. 83, n° XVIII, et de Rubeis, *Monum. eccl. Aquileg.*, p. 700 : iste vero diploma non integrum exhibuit.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Excelsa nostri sedes imperii exaltatur, ac principalia moderamina imperii (*a*) in omni justicia et pace disponimus, cum ad nostrorum jura principum et magnatum debita provisione prospicimus, in quibus, velut honorabilibus membris insidet caput, ita nostrum viget et consistit imperium, et tanta cesaree magnitudinis moles regit et evehit quorum humeris innititur et portatur. Noverit igitur presens etas et futura posteritas quod in Foro Julii apud Sibidatum una cum dilecto filio nostro Heinrico Romanorum rege convenientes, rogati per principes et magnates quorum ibidem diligenda nobis aderat multitudo, ut gratiam eis ab eodem

(*a*) In exemplo sive potius exemplis apud Utinum diebus aliquot postea confectis pro *imperii* legitur *regiminis*.

Digitized by Google

rege (*a*) filio nostro in generali curia Wormacie indultam (1) nostre auctoritatis munimine prosequi dignaremur, dignum duximus eorum precibus favorabiliter annuendum, ut pote qui non indigne in eorum promocione nostrum et imperii statum intendimus commode promovendum. Concedimus igitur juxta quod idem rex filius noster noscitur concessisse ac perpetue confirmacioni donamus, statuentes quatenus nullum novum castrum vel civitas in fundis ecclesiarum vel occasione advocacie per nos vel per quemquam alium sub pretextu quolibet construantur. Item quod nova fora non possint antiqua aliquatenus impedire. Item nemo cogatur ad aliquod forum ire invitus. Item strate antique non declinentur nisi de transeuncium voluntate. Item in civitatibus nostris novis bannitum miliare deponatur. Item unusquisque principum libertatibus, jurisdictionibus, comitatibus, centis sibi liberis vel infeodatis utetur quiete, secundum terre sue consuetudinem approbatam. Item centumgravii recipiant centas a domino terre vel ab eo qui per dominum terre fuerit infeodatus. Item locum cente nemo mutabit sine consensu domini terre. Item ad centas nemo sinodalis vocetur. Item cives qui phalburgere dicuntur penitus ejiciantur. Item census vini, pecunie, frumenti vel alii quos rustici constituerunt hactenus se soluturos, relaxentur et ulterius non recipiantur. Item principum, nobilium et ministerialium ecclesiarum homines proprii in civitatibus nostris non recipiantur. Item principibus, nobilibus, ministerialibus et ecclesiis proprietates et feoda per civitates nostras occupata restituantur nec ulterius occupentur. Item conductum principum per terram eorum quam de manu nostra tenent in feodo, vel per nos vel per nostros non impediemus vel infringi paciemur. Item non compellantur aliqui per scultetos nostros ad requisicionem (*b*) eorum que a longinquo tempore ab hominibus receperant, priusquam se in nostris civitatibus collocarent, nisi homines ipsi fuerint imperio immediate subjecti, quos tenebuntur juvare super eorum jure in foro eorum in quorum terris talia sunt percepta. Item in civitatibus nostris

(*a*) In altero exemplari additur *dilecto*.

(*b*) In altero *ad restitutionem*, rectius.

(1) Cf. supra, tom. III, p. 458.

nullus terre dampnosus, vel a judice dampnatus, vel proscriptus recipiatur scienter. Recepti convicti ejiciantur. Item nullam novam monetam in terra alicujus principis cudi faciemus, per quam moneta ejusdem principis deterioretur. Item civitates nostre jurisdictionem suam ultra civitatis ambitum non extendant, nisi ad nos pertineat jurisdictio specialis. Item in civitatibus nostris actor forum rei sequetur, nisi reus vel debitor principalis ibidem fuerit inventus; quo casu (*a*) ibi tenebitur respondere. Item nemo recipiat in pignore bona quibus quis infeodatus sit, sine consensu et manu domini principalis. Item ad opera civitatum nullus cogatur nisi de jure teneatur. Item homines in nostris civitatibus residentes consueta et debita jura de bonis extra civitatem suis dominis et advocatis persolvant, neque indebitis exactionibus molestentur. Item homines proprii advocaticii feodales qui ad dominos suos transire voluerint, ad manendum per officiales nostros non artentur. Ad hujus itaque concessionis et confirmacionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens privilegium fieri fecimus majestatis nostre sigillo munitum.

Hujus autem rei testes sunt S. Maguntinus archiepiscopus, B. patriarcha Aquilegensis,... Salseburgensis et ... Magdeburgensis archiepiscopi, E. Papimbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, ... Herbipolensis, H. Wormaciensis episcopi,... Frisingensis electus, abbas Sancti Galli, A. dux Saxonie, O. Meranie et B. Karinthie duces (*b*), comes H. de Hortenberc, comes A. de Scohenburch, comes Seine (*c*), Gerlacus de Butingen, G. de Bollandia, Gunzelinus (*d*), G. et C. de Hohenloe,... pincerna de Winterstet,... pincerna de Clingeburc, Richardus camerarius, et alii quam plures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, (*Monogramma*) Jerusalem et Sicilie regis.

Ego Siffridus (*e*) Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius,

(*a*) In altero *causa*, minus recte.

(*b*) Hic additur in altero ... *marchio de Baden.*

(*c*) In altero vice *comes Seine* legitur *comes ... de Waldenberc.*

(*d*) In altero *Gunzelinus* deest.

(*e*) In altero additur *Dei gratia.*

Digitized by Google

vice domini Siffridi Maguntini archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense maii, quinte indiccionis, imperante domino nostro Fr. secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege; anno Romani imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo et regni Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum aput Sibidatum in Foro Julii (*a*), anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, ad requisitionem Henrici Wormatiensis episcopi, cives Wormatienses constitutioni in curia Ravennatensi editae de cassandis communitatibus civitatum obedire recusantes, proscribit. Apud Utinum in Foro Julii, maio.

(Edidder. Schannat, *Hist. episc. Wormat.*, t. I, p. 369. — Lünig, *Reichsarchiv*, t. XIV, p. 681. — Bossart, *Securis*, p. 210.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Presenti scripto notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod dilectus princeps noster Henricus, venerabilis Wormatiensis episcopus, in solemni curia Sybidati, presentibus ibidem principibus, conquerendo proposuit coram nobis quod cum in generali curia Ravenne solempniter celebrata, per solempnem constitutionem nostram de communi approbatione principum, consilia, communitates, conjurationes, et his similia que fuerunt in civitatibus Alemanie temere attemptata, duximus omnino cassanda, cives Wormatienses, postquam ad eos constitutio nostra pervenit, consilium facere et tali uti officio presumpserunt, constitutioni nostre presumptuose obviantes. Verum quia idem princeps noster procedi petiit in hujusmodi transgressores, nos

(*a*) In altero *Datum apud Utinum in Foro Julii.*

Digitized by Google

principum omnium qui interfuerunt approbante sententia, omnes illos qui post predicte nostre constitutionis edictum in eadem civitate Wormatiensi consilium facere et ipso uti officio attemptarunt vel amodo attemptabunt, auctoritate imperiali duximus proscribendos, pene in privilegio contente pro eorum transgressu similiter addicentes. Ad cujus rei memoriam, presens scriptum fieri jussimus sigillo majestatis nostre roboratum.

Hujus rei testes sunt B. patriarcha Aquilegiensis, E. Salzburgensis, A. Magdeburgensis archiepiscopi, E. Babenbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius et ... Herbipolensis episcopi, Frisingensis electus, A. dux Saxonie, Otto dux Meranie, B. dux Karinthie, comes H. de Ortenberg, comes Adolphus de Scaeinburch, Warnerus de Bolandia, Conradus et Siffridus (Gotfridus) de Hohenloch, et alii quam plures.

Datum apud Utinum in Foro Julii, anno dominice incarnationis MCCXXXII, mense madii (*a*), indictione V.

Apud Utinum in Foro Julii, male.

Fridericus, Romanorum imperator, Henrico Wormatiensi episcopo dat in mandatis ut domum communitatis in Wormatia funditus dirui faciat, ei insuper concedens fundum ejusdem domus in proprietate ecclesiae Wormatiensis.

(Edid. Boehmer, *Fontes rer. German.*, tom. II, p. 218, n° 4.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Iherusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum universis imperii fidelibus volumus esse notum quod dilecto principi nostro Heinrico, venerabili Wormaciensi episcopo, dedimus in mandatis ut domum que vocabatur communitatis in Wormatia funditus dirui faciat et id firmiter et instanter auctoritate nostri culminis exsequatur. Concessimus insuper ei de gratia nostra fundum ejusdem domus ut in proprietate ecclesie debeat perpetuo

(*a*) Apud Schannat *martio*, male. Quod ipse tamen in textu correxit.

Digitized by Google

possideri. Quare universis et singulis sub obtentu gratie nostre mandamus quatenus nullus sit qui super executione dicti mandati nostri eidem principi nostro contrarium se opponat, sed ad diruitionem ejusdem domus omnes quos exinde requisierit sibi commode assistatis (1); scituri omnes quod quicumque presenti mandato nostro presumpserit contraire, indignationem nostram se noverit incurrisse. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fecimus sigillo nos celsitudinis roborari.

Hujus rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, E. Salzburgensis et A. Magdeburgensis archiepiscopi, E. Babenbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius et ... Herbipolensis episcopi, electus Frisingensis, A. dux Saxonie, O. dux Meranie, B. dux Karinthie, comes H. de Ortemberg, comes Adolfus de Scohenburg, Wernherus de Bonlanden, Sifridus (*a*) et Conradus de Hoenloch, et alii quamplures.

Datum apud Utinum in Foro Julii, anno dominice incarnationis millesimo CC.XXX.II, mense maii, quinte indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, contractum inter archiepiscopum Salzburgensem et Heinricum comitem de Ortemburg, de pueris mutuorum ministerialium inter illos aequaliter dividendis initum, confirmat. Apud Utinum, maio.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 197-198, num. DCCX, ex originali unde sigillum illaesum appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris. — Memoratum quoque et extractum ap. HUSCHBERG, *Geschichte des Hauses Ortenburg.*, p. 86.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem

(*a*) Sic; legendum vero *Gotfridus* sive *Godefridus*.

(1) At cives ipsi Wormatienses eam domum « quae fiebat pulcherrima domus totius terrae » propriis manibus diruere maluerunt ne contra ipsos munitio firmissima foret. « Et contremuit civitas prae ruina ejus. » Vid. ap. BOEHMER, loc. cit., *Annal. Wormat.*, p. 161-162.

Digitized by Google

et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris imperii tam presentibus quam futuris quod H. comes de Ortemberch, dilectus fidelis noster, celsitudini nostre humiliter supplicavit, ut conventionem inter venerabilem Salzemburgensem archiepiscopum, dilectum principem nostrum, et ipsum, de conniventia nostra factam (1), videlicet ut pueri, si quos filia Thuringni de Steveningen ministerialis ecclesie predicte per Corradum de Steynenkirchen ministerialem ejusdem comitis, cui est in matrimonio copulata, genuerit, inter eandem ecclesiam et ipsum equaliter dividantur, ratam habere et confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos igitur attendentes fidem puram et devotionem sinceram dicti comitis H. fidelis nostri, predictam convencionem inter prenominatum archiepiscopum et ipsum factam, ut predictum est, ratam habemus et de nostra gratia perpetuo confirmamus. Ad hujus autem rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum inde fieri et nostre majestatis sigillo jussimus communiri, anno, mense, et indictione subscriptis.

Datum aput Utinum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense madii, quinte indictionis.

Apud Utinum in Foro Julii, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Adolphi comitis Holsatiae, concessionem quam idem comes monasterio monialium in Poretz fecit, confirmat.

(Edid. Moller, *Isagoges ad histor. Chersonesi Cimbricae*, pars quarta, p. 397, ex registro Bocholdiano.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jeru-

---

(1) Instrumentum autem memoratur ap. Lang, *Regest. Boic.*, tom. II, p. 210, et reperitur in codice laudato ab Huschberg, *Gesch. des gesammt. hauses Ortenburg*, p. 86, qui hunc *Gallisch* vocat. Notae autem chronologicae sunt ita: « Acta sunt hec apud Civitatem, [anno] 1233 [1232], indictione V. Datum ibidem, V kalendas maii (27 aprilis). »

Digitized by Google

salem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Adolphus comes Holtsacie (1), fidelis noster, nostre celsitudini supplicavit quatenus concessionem quam juste fecit de quibusdam bonis et juribus suis monasterio sanctarum monialium in Poretz, de nostra confirmare gratia dignaremur. Nos autem suis supplicationibus favorabiliter inclinati, eamdem concessionem factam a dicto comite monasterio antedicto, sicut eam juste fecisse dinoscitur et in suo privilegio facto eidem monasterio continetur (2), de nostra gratia perpetuo confirmamus. Ad hujus autem confirmationis [nostre] memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Hujus autem rei testes sunt : S. Maguntinus archiepiscopus, B. patriarcha Aquilegensis, Salzburgensis et Magdeburgensis archiepiscopi, E. Papenbergensis, S. Ratisbonensis imperialis aule cancellarius, H. Wormatiensis et ... Herbipolensis episcopi, electus Frisingensis, abbas Sancti Galli, marchio de Baden, marchio de Burgowe, comes H. de Hortenberc, Warnerus de Bollandia, Gunzelinus, G. et C. de Hohenloe, pincerna de Winterstetten, pincerna de Clingenburc, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, mense madio, quinta indictione, imperante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus XII°, regni Jerusalem VII° et regni Sicilie tricesimo septimo (*sic*), feliciter. Amen.

Datum apud Utinum in Foro Julii, anno, mense et indictione prescriptis.

---

(1) Idem qui comes de Schauenburg supra vocatur : nempe in instrumento anni 1225 se nominat *Adolphus Dei gratia comes Wagarie, Stormarie, Holtzatie et de Schouwenborch.* Hoc ipso anno patri suo Adolpho hujus nominis tertio successerat.

(2) Scilicet dat. Reinoldesburch in generali omnium Holsatorum expeditione, III kal. octobris, ann. ab incarn. dom. 1226, indict. quarta decima. *Ibid.*, p. 392. Confirmatum quoque ab Alberto Saxoniae duce, anno 1232, ap. Lauenburgum, III nonas augusti.

Apud Utinum in Foro Julii, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad instantiam Adolfi comitis Holsatiae, novae civitati in Hamburg juxta Alstriam confirmat concessiones et privilegia a patre ejusdem comitis eidem civitati jampridem indulta.

(Edit. ap. Lunig, *Reichsarchiv*, t. XV, p. 923. — Lambeccius, *Origin. Hamburg.*, t. I, p. 29. — Lappenberg, *Hamburgisch. urkundenb.*, t. I, p. 430.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Adolphus comes Holsatie, fidelis noster, nostro culmini supplicavit quatenus concessionem juris quod olim secundum antiquam justitiam Lubicensium pater ejusdem comitis fecit civibus nove civitatis in Hamburg juxta Alstriam in bonis et jure suo de areis, pascuis, in fructu arborum sylvestrium, concessam quoque immunitatem ac libertatem telonei spectantis ad eum in tota terra sua et quod bis fieret ibi forum in anno, juxta tenorem paterni privilegii eis indulti, confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos igitur ejusdem comitis Adolphi fidelis nostri supplicationibus favorabiliter inclinati, eamdem concessionem, sicut idem pater ejus predictis civibus nove civitatis in Hamburg secundum antiquam justitiam Lubicensium in bonis et jure suo juste noscitur concessisse, de areis videlicet et pascuis, fructu arborum sylvestrium et immunitate telonei spectantis ad eum in tota terra sua et insuper de foro bis in anno faciendo, prout in indulto eis ejusdem patris sui privilegio plenius continetur, de nostra gratia perpetuo confirmamus. Ad hujus itaque confirmationis memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Hujus autem rei testes sunt : S. Moguntinus archiepiscopus, B. patriarcha Aquilegensis, ... Salseburgensis, ... Magdeburgensis archiepi-

Digitized by Google

scopi, E. Papinbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, H. Wormatiensis, ... Herbipolensis episcopi, ... Frisingensis electus, abbas Sancti Galli, Saxonie, Meranie et Karinthie duces, comes H. de Hortenberc, marchio de Baden, marchio de Burgow, Warnerius de Bollandia, Gunzelinus, G. et C. de Hohenloe (*a*), pincerna de Winterstetten, pincerna de Clingenburc (*b*), Richardus camerarius, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, mense maii, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo et regni Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum apud Utinum in Foro Julii, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, ad instantiam Adolfi comitis Holsatiae, antiquae civitati in Hamburg confirmat concessiones et privilegia a patre ejusdem comitis ei jampridem indulta.

Apud Utinum in Foro Julii, maio.

(Edit. ap. Lappenberg, *Hamburgisch. urkundenb.*, p. 429, n° CDXCVIII.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus, etc. (Sequitur de verbo ad verbum ut in praecedente, cum eisdem testibus et eisdem notis chronologicis, nisi quod in hoc legitur : *Civibus civitatis antique in Hamborch et indulsit in bonis*, etc., et infra denuo : *Predictis civibus civitatis antique in Hamborch.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, etc.

Datum apud Utinum in Foro Julii, etc.

(*a*) Ap. Lunig *G. Zodefrensis*, pessime.

(*b*) Ibidem *de Dingban*, pessime.

Digitized by Google

Apud Utinum, maio. Fridericus, Romanorum imperator, civibus Papiensibus amplissima privilegia ab avo et patre suo et a seipso anno 1219, 29 augusti, eorum civitati concessa, renovat et confirmat.

(Memorat. ap. Robolini, *Notiz. stor. di Pavia*, t. IV, pars 1ª, p. 118, qui impressum dicit ap. *Allegat. civit. Pap. reintegr.*, p. 72. Copia adest in libro copiali seculi XV, fol. 41, in archivo comm. Papiensis.)

[Hujus rei testes sunt, etc.]

Acta sunt hec in Foro Julii (1), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, mense madii, quinta indictione. . . .

Datum apud Utinum. . . . .

Apud Portum Naonis, 10 maii. Fridericus, Romanorum imperator, Heinrico seniori et Heinrico juniori de Plawen propter eorum contra inimicos Ecclesiae strenuitatem, auri et argenti fodinas et omnia metalla quae in territoriis eorum reperire poterunt concedit, cum facultate aureos grossos et denarios monetandi.

(Edit. ap. Lunig, *Reichsarchiv*, t. XIII, p. 233, ex confirmatione Ferdinandi I de anno 1544, 23 februar., et germanice *Ibidem*, p. 589. — Goldast, *Constit. imper.*, t. I, p. 298; ex confirmatione Wladislai Bohemiae regis, anno non notato. — Rousset, *Supplém. au corps diplom.*, pars 1ª, p. 90, ex ipso Goldastio. Unde mendis plurimis privilegium scatet.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jheru-

(1) Hoc nomine Corius et Sigonius decepti, privilegium pro Papiensibus datum *in Foro Livii* (*Forli*) perperam arbitrati sunt et ad annum 1230 id quoque notaverunt. Cf. Corio, *Histor. di Milano*, p. 95 recto, edit. 1554.

Digitized by Google

salem et Sicilie rex, dilectis ac nobilibus viris (*a*) Henrico seniori regni nostri advocato et exercitus nostri capitaneo domino de Plawen et Henrico juniori strenuo militi ejus filio advocato de Plawen (*b*), in perpetuum. Considerata devotione vestra quam geritis circa Deum propter quem non tantum laborum et rerum, verum etiam proprii sanguinis (*c*) prodigi, mortibus vos indifferenter exposuistis, ad propulsandum et evacuandum gentilitatis errorem, cum maxime jam circa Ratisponam civitatem nostram sancte matris Ecclesie inimicos e campo expulistis et occidistis (1) ad laudem Dei nostri et sacri imperii vestreque stirpis ad honorem, propter quam vestram arduissimam (*d*) strenuitatem multa commoda nobis et Ecclesie evenerunt; comperta fidelitate singulorum et omnium vestrum ex nobilissima prosapia veteranorum Romanorum (2) progenita (*e*), quam in obsequiis nostris et imperii indefessam invenimus et probatam, opere precium judicavimus vestris expensis et laboribus imperiali munificentia subvenire. Ea propter vobis Heinricis seniori et juniori de Plawen et omnibus vestris heredibus facultatem concedimus et potestatem ut querere et fodere aurum et argentum aliaque omnia metalla debeatis et possitis, et si que in presenti vel in posterum aurifodine vel argentifodine ac cujuscunque eris commoda vel utilitates in territoriis districti dominationis vestre supervenerint, hec vobis et heredibus cedant omni modo cum proventu, nobis nec alicui ulli aliquid inde te-

(*a*) In impressis *sibi*, male.

(*b*) Ap. Goldast et Rousset *advocato de Plawen* desunt, et legitur *salutem in perpetuum*.

(*c*) Ap. Goldast additur *effusione et*.

(*d*) *Arduissimam* deest ap. Goldast.

(*e*) Ap. Goldast *et omnium vestrorum progenitorum ex nobilissima prosapia veteranorum Romanorum oriundorum*.

(1) De qua gente pagana hic agatur nos omnino fugit, cum parum verisimile sit Pruthenos adhuc gentiles tunc quasi in Allemanniae praecordia insultum hostilem fecisse. Forsitan Slavis quibusdam Bohemiae vel Moraviae alluditur, quorum incursum non memoraverunt historici.

(2) De ista origine nihil constat. Legionem *III Italam* per quatuor secula stetisse comperimus in castris ad imum montem hodie *Ringberg* dictum juxta Ratisponam. Quis autem asseverare auderit quin ultra Danubium etiam Romani mansiones habuerint?

neri debere (*a*). Insuper indulgentes vobis et heredibus vestris masculis ut debeatis et possitis aureos grossos et denarios monetare, que ab omnibus Christi fidelibus ut bona moneta tanquam nostra accepta debeat esse et rata. Donamus etiam oppida Aschk et Selb (*b*) cum omnibus eorum requisitis, quatenus per amborum vestrum vitam de nostro beneplacito et consensu ea possideatis, et deinceps semper frui possitis, et si quando contingat vos ex hac vita decedere, pre omnibus aliis heredibus vestris (*c*) obpignorari debent. Ad evidentiam autem et perpetuitatem omnium premissorum, presentem paginam nostri sigilli appensione munitam vobis decrevimus indulgendam.

Datum apud Portum Naonis (1), anno ab incarnatione Domini M. CC. XXXII, X maii, indictione quinta.

Apud Portum Naonis, 10 maii.

Fridericus, Romanorum imperator, Hermannum, magistrum hospitalis Theutonicorum, nuntium et procuratorem suum ordinat in discordiis quae vertuntur inter se et civitates Societatis Lombardiae.

(Edid. Pertz, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 298, e regest. Gregor., t. III, ann. VI, fol. 83-85, n° 280.)

In nomine Domini. Amen. Anno ejusdem M. CC. XXXII, indictione V, die Jovis XIII intrante madio, in civitate Padue, in sala domus domini Landi canonici Paduani, presentibus testibus rogatis, scilicet domino

(*a*) Forsan *debentes*. Sic tamen apud Lunig et Goldast.

(*b*) In privilegiis posterioribus legitur *Asche et Selewen*.

(*c*) In impressis *nostris* et paulo ante *nos;* quod utique sensum turbat. Cf. privilegium Rudolfi I, ap. Lunig, *Ibid.*, p. 241.

---

(1) Legitur ap. Goldast *ad Portam Naonis in Carinthia*, male. Agitur enim de burgo germanice dicto *Portenaw*, italice *Pordenone*, in Foro Julii.

Digitized by Google

Jacobo episcopo Paduano, domino Nicolao episcopo Regino, domino Jordano priore sancti Benedicti de Padua, domino Guiffredo de Luzino Padue potestate ejusque judice domino magistro Chazolo de Lando, domino Alamanno de Crescenzano. Exemplum procurationis magistri Alamanorum, quod sic incipit :

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis quod nos constituimus, facimus et ordinamus dilectum nostrum fratrem Hermannum, hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem venerabilem magistrum, nuntium et procuratorem nostrum in omnibus controversiis sive discordiis seu causis que vertuntur inter nos et civitates infrascriptas, Mediolanum, Placentiam, Brixiam, Mantuam, Ferrariam, Bononiam, Faventiam et partem ipsarum et earum complices et fautores, et si que sunt alie civitates ejusdem partis; dantes ei plenam et liberam potestatem et mandatum consentiendi et compromittendi de omnibus illis controversiis seu causis nomine et vice nostra in dilectos amicos nostros Jacobum venerabilem electum Penestrinum et Ottonem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano venerabilem diaconum cardinalem, Apostolice Sedis legatos (1), tanquam in arbitros vel arbitratores seu amicabiles compositores, et obligandi nos et ipsum pro nobis in eodem compromisso ad penam et Ecclesie Romane et parti adverse ad penam vel penas aut sine pena, et ad recipiendas obligationes a parte adversa secundum ordinationem et modum et voluntatem per omnia cardinalium predictorum. Nos enim firmiter compromittimus ratum et firmum habere et facere haberi a carissimo filio nostro Henrico illustre Romanorum rege quicquid idem magister super premissis coram dictis legatis et cum ipsis duxerit faciendum et promiserit nos facturos.

Datum apud Portum Naonis, X madii, V indictione.

Ego Jacobinus quondam Gratioli filius civis Bononie, auctoritate imperiali et nunc rectorum societatis Lombardie, Marchie et Romanie nota-

(1) Mense januario istius anni legationem horum cardinalium, tam apud imperatorem quam apud Lombardos, initium jam sumpsisse nos monet Riccardus de Sancto Germano.

rius, supradictum exemplum scripsi, exemplavi, corroboravi et publicavi ex autentico litterarum imperialium domini Friderici predicti bullato et corroborato bulla aurea ejusdem domini imperatoris que est ibi visa dicto authentico pendens, de mandato et voluntate prefatorum dominorum cardinalium, Apostolice Sedis legatorum, et venerabilis magistri Hermanni predicti, nichil addens vel minuens nisi forte in compositione litterarum vel punctis quod sententiam variet aut mutet.

Padnae, 13 mali. Forma compromissi quo Hermannus magister hospitalis Theutonicorum imperatoris nomine ex una parte et rectores et ambaxatores civitatum Societatis Lombardiae ex altera, in Jacobum Penestrinum electum et Ottonem Sancti Nicolai diaconum cardinalem, Sedis Apostolicae legatos, tanquam in arbitros conveniunt super articulis pacis ineundae.

(Edider. Savioli, *Annal. Bologn.*, t. III, p. 114, et Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 294, ex fonte supra laudato. Prima autem forma inseritur in sententia Gregorii IX de anno 1233 ap. Muratori, *Antiq. Ital. med. aevi*, t. IV, p. 326 et seqq., cum variantibus quibusdam. Nomen notarii praecipue mutatur et adest: *Ego magister Rolandinus notarius de Padua*, etc., quem eumdem esse qui Historiam Patavinam conscripsit, in tomo *Scriptorum* octavo insertam, Muratorius ipse suspicatus est.)

I.

In nomine Domini. Amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo trigesimo secundo, indictione V, die Jovis XIII intrante mense madii, temporibus domini Gregorii pape IX et domini serenissimi Friderici, Dei gratia Romanorum imperatoris ac semper augusti, Hierusalem et Sicilie regis, in civitate Padue apud episcopatum in sala domus domini Landi (*a*)

(*a*) Ap. Muratori *Landolfi*.

Digitized by Google

canonici Padue, presentibus testibus rogatis, scilicet domino Jacobo, Dei gratia episcopo Paduano, domino Nicolao eadem gratia Regino episcopo, domino Jordano priore Sancti Benedicti de Padua, magistro Rainerio (*a*) capellano domini Jacobi Penestrini electi, cive Placentino, magistro Egidio scriptore domini pape cive Romano, domino Oddone de Fontana cive Placentino, magistro Cazolo de Lando, domino Allamanno de Crescenzano judicibus potestatis Padue et magistro Cognoscente de Florentia. Ad honorem omnipotentis Dei, beatorum apostolorum ejus Petri et Pauli et sanctissime matris nostre Ecclesie, domini pape, venerabilium dominorum cardinalium Jacobi Penestrini electi et Ottonis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, Apostolice Sedis legatorum, et serenissimi domini Friderici, Dei gratia Romanorum imperatoris semper augusti, Hierusalem et Sicilie regis, et societatis Lombardie, Marchie et Romanie. Cum venerabiles cardinales domini Jacobus Penestrinus electus et Otto Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis Apostolice Sedis legati, sicut in sue legationis litteris plenius continetur, jamdiu requisissent quod dominus Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator, ex una parte et infrascripti rectores et ambaxatores infrascriptarum civitatum societatis Lombardie, Marchie et Romanie et ipse civitates et societas ex altera, super discordia que inter dominum imperatorem predictum et ipsam societatem verti videbatur, se committerent et compromitterent; ipse imperator ex una parte et ipsi rectores et ambaxatores nomine sue civitatis singuli et nomine societatis universi in ipsos dominos legatos, secundam formam articulorum seu capitulorum inferius annotatam. Nomina quorum rectorum et ambaxatorum et civitatum sunt hec : scilicet pro Mediolano domini Ruffinus de Mandello, Lampugnanus Marcellinus rectores, Guffredus de Pusterla et Henricus Gambadus (*b*) judex, ambaxatores communis Mediolanensis; pro Brixia dominus Ognabene de Pessagio (*c*) judex et rector; pro Bononia dominus Aimericus Arpinelli legum [doctor] et dominus Ursolinus de Ursis rectores; pro Pla-

(*a*) Ap. Muratori *Raynaldo*, minus recte.
(*b*) Ap. Muratori *Gambaro*.
(*c*) Ap. Muratori *de Pefazio*.

centia dominus Lanfrancus de Landedo rector; pro Padua dominus Wifredus de Lucino (*a*), Cumanus civis, potestas Padue, domini Nicolaus Matthei de Flabiano judex, Henricus de Manfredis rectores; pro Ferraria domini Wido Visdominorum, Menaboi rectores; pro Faventia domini Gerardus Arcolai (*b*) judex, Guido de Marzano, rectores; pro Cumis Petrus de Romano notarius, nuntius et procurator ipsius communis de Cumis; pro Mantua domini Uguitio advocatus, Martinus de Bonacosis rectores; qui ambo rectores de Mantua consenserunt et compromiserunt in dictos dominos legatos, super formam superius et inferius denotatam in omnibus et per omnia, sequenti die Veneris immediate XIV intrante madio, in sala palatii domini episcopi Paduani que est versus meridiem, presentibus testibus rogatis, scilicet domino Nicolao episcopo Regino, domino Jordano priore Sancti Benedicti de Padua, magistro Rainerio capellano predicti domini electi, magistro Egidio scriptore domini pape, magistro Cognoscente de Florentia et domino Odone de Fontana de Placentia suprascriptis. — Forma autem articulorum seu capitulorum hec est : cum dominus Fredericus imperator gravissime a societate Lombardie, Marchie et Romanie asserat se offensum, pro eo videlicet quod curiam suam quam Ravenne indixerat pro succursu terre sancte, dispositione imperii et aliis quibusdam necessariis et honestis, impedierint ut dicit, non permittendo venire filium suum et principes Alemannie per vias sive stratas imperiales ad ipsum nec adhuc permittant, quin imo et sibi et suis transitum impediant ut proponit; e contrario vero societas dicatur timere de ipso ne velit malum et gravamen inducere super eos, et ideo si qua faciunt vel fecerunt, pro defensione sua se facere asserunt et fecisse; et dominus papa cum fratribus suis attendens quod ex hoc talis et tanta posset discordia surgere et jam esse in januis videbatur, que posset toti christianitati grave dispendium irrogare, precipue propter impedimentum subsidii terre sancte; ac volens tantis periculis precavere, dominum Jacobum Penestrinum electum et Ottonem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum

(*a*) In chronico Patav., ad calcem tomi *Antiquit.* quarti impresso, legitur *Gumbertus de Luzino*, minus recte.

(*b*) Ap. Muratori *Arcolanus.*

Digitized by Google

cardinalem ad partes istas cum plene legationis officio destinarit, sicut in sue legationis litteris plenius continetur; requirunt prefati cardinales tanquam legati Sedis Apostolice et propter factum pacis specialiter destinati, ut super discordia supradicta ipsis legatis nomine suo et nomine Romane Ecclesie dominus imperator et prefata societas et civitates ejusdem societatis taliter se committant: scilicet quod de satisfactione idonea imperatori prestanda, de securitate eidem societati facienda et firmanda et modo adhibendo idoneo, si imperator velit filio suo et principibus Alamannie venientibus ad ipsum a dicta societate liberum transitum exhiberi, primo tractetur per ipsos legatos inter imperatorem et societatem prefatam, et si de communi consensu poterit negotium expediri, Deo gratie referantur. Sin autem, iidem legati habeant potestatem ut expositis omnibus que difficultatem habeant domino pape et fratribus suis, juxta ipsius mandatum et consilium precipiant, ordinent et disponant quidquid ad sedandam discordiam et pacem firmandam viderint pertinere super articulis supradictis. Et si inter imperatorem et memoratam societatem aliqui alii etiam articuli apparerent ex quibus posset discordia generari vel foveri concepta, placeat ut eodem modo et ordine sopiantur. Ideoque venerabilis magister Hermannus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem, nuntius et procurator serenissimi domini imperatoris prefati, sicut in litteris imperialibus bulla aurea bullatis sui mandati dinoscitur plenius contineri ibidem visis et lectis, procuratorio nomine imperatoris ejusdem et pro ipso imperatore ex una parte et suprascripti rectores et ambaxatores nomine dictarum civitatum et pro suis civitatibus ac pro ipsa societate ex altera, sicut erant quilibet a sua civitate super hoc specialiter deputati, ut ostendebant cujuslibet civitatis rectores et ambaxatores per publica instrumenta nomine sue civitatis, cujuslibet civitatis rectores et ambaxatores et nomine societatis predicte insimul universi, ita tamen quod pro illis civitatibus que licet sint vel fuerint de societate, que huic tamen commisso et compromisso non conveniunt cum eis, nullatenus teneantur, consenserunt et compromiserunt in prefatos dominos legatos: scilicet ipse magister Hermannus pro parte imperatoris ex una parte et ipsi rectores et ambaxatores ex altera, sicut erant deputati a suis civitatibus per predicta publica

instrumenta, tanquam in judices ordinarios vel arbitros seu arbitratores sive amicabiles compositores sicut res melius valere poterit, secundum formam et articulos suprascriptos super negotio memorato, solempniter promittentes dominis legatis prefatis tam dictus magister Hermannus pro domino imperatore quam prefati rectores et ambaxatores nomine suarum civitatum et societatis prefate et invicem inter se, stare de predicto negotio eorum sententie arbitrio sive laudo sive amicabili compositioni, ordinationi sive dicto mandato, voluntati sive preceptis in articulis suprascriptis et generaliter eorum omnimode ordinationi facte semel vel pluries, presentibus partibus vel absentibus, simul vel per partes, sicut eisdem legatis melius videbitur expedire, salva semper substantia forme superius nominate. Item promiserunt eodem nomine, scilicet prefatus magister Hermannus nomine domini imperatoris et pro ipso imperatore et ipsi rectores et ambaxatores nomine societatis ipsis legatis pro se et Romana Ecclesia recipientibus penam viginti milium marcarum argenti pro qualibet parte si contra facerent aut venirent, quecumque pars contrafaceret aut veniret. Quam etiam penam promiserunt pars parti vicissim stipulanti sollempniter, scilicet ipse magister Hermannus nomine imperatoris et pro ipso imperatore et prefati rectores et ambaxatores nomine prescriptarum civitatum et societatis prefate; ita quod quelibet civitas pro rata teneatur ad penam si dictus imperator pareret arbitrio et societas non pareret. Si autem una civitas tantum vel plures arbitrio non parerent, illa vel ille que contrafacerent aut venirent pro sua portione tantummodo teneantur. Alie vero que servarent arbitrium nichil propter hoc oneris sustineant. Quod si idem imperator societate parente arbitrio non pareret aut contra faceret vel veniret, promisit idem magister Hermannus nomine imperatoris et pro ipso imperatore ipsis legatis et adverse parti dictam penam solvere ac prestare parti servanti; penaque commissa exacta soluta vel non, servare arbitrium utraque pars nichilominus teneatur. Possint etiam iidem legati et Romana Ecclesia dictum imperatorem et civitates ipsas et societatem per censuram ecclesiasticam compellere ad ipsum arbitrium observandum, quotiens a parte vel a partibus fuerit contrafactum. Hoc autem commissum et promissum receperunt dicti legati nomine suo et sancte Romane Ec-

Digitized by Google

clesie, ita quod si non posset per eos idem negotium terminari, dominus papa cum fratribus suis sicut ei placuerit de ipso disponat, receptis et factis eisdem promissionibus in persona domini pape licet absentis sub eodem modo, penis et forma que superius et inferius est notata. Insuper promiserunt utraque pars ipsis legatis suo nomine et nomine Romane Ecclesie recipientibus et inter se vicissim servare dies et terminos sibi datos pro negotio pacis prosequendo et terminando usque ad finem negotii consummati, sub pena arbitrio ipsorum cardinalium et arbitrio Romane Ecclesie imponenda. Item promiserunt utraque pars eisdem legatis suo nomine et nomine Romane Ecclesie recipientibus et sibi vicissim per stipulationem servare omnia mandata que illis facient, scilicet utrique parti vel alteri, in articulis suprascriptis et eorum accessoriis circa ipsos articulos occasione istius pacis prosequende, firmande et consummande, sive prohibendo ne aliquid fiat sive precipiendo ut fiat quod ad pacis negotium viderint pertinere, et hoc possint precipere sive prohibere sub qua pena viderint expedire, reservata eisdem legatis et domino pape potestate interpretandi si aliquod dubium fuerit super omnia supradicta. Hoc acto in ipso compromisso voluntate ipsorum legatorum et voluntate utriusque partis, scilicet quod ille civitates, loca vel castra aut persone que sunt de societate si voluerint admittantur et recipiantur ad simile commissum et compromissum in omnibus et per omnia hinc ad VIII dies post festum Sancti Johannis de mense junii proximo venturo. Insuper prenominatus magister Hermannus procuratorio nomine domini imperatoris et pro ipso domino imperatore promisit stipulatione solempni ipsis legatis suo nomine et nomine Romane Ecclesie recipientibus et ipsis rectoribus et ambaxatoribus nomine dictarum civitatum et nomine societatis prefate Lombardie, Marchie et Romanie recipientibus, sub dicta pena viginti milium marcarum argenti, quod dominus imperator firmum et ratum habebit quicquid promissum est supra per dictum magistrum Hermannum et quod dominus imperator faciet filium suum dominum Henricum, illustrem Romanorum regem, firmum et ratum habere quicquid supra per ipsum magistrum Hermannum promissum est in omnibus et per omnia sub dicta pena : qua soluta vel non, prenominata omnia et singula in sua semper maneant firmitate.

Ego Jacobinus quondam Gratioli filius civis Bononiensis, auctoritate imperiali et nunc dictorum rectorum notarius, omnibus predictis interfui, mandatoque ipsorum cardinalium et rogatu partium subscripsi et publicavi.

II.

Padue, 13 maii.

In nomine Domini. Amen. Anno ejusdem MCCXXXII, indictione V, die Jovis XIII intrante mense madii, in civitate Padue apud episcopatum in sala domus domini Landi canonici Paduani, presentibus testibus rogatis, scilicet domino Jacobo, Dei gratia episcopo Paduano, domino Jordano priore Sancti Benedicti de Padua, magistro Chazolo de Lando et domino Alamanno de Crescenzano judice potestatis Padue. Cum, ad postulationem venerabilium dominorum cardinalium Jacobi Penestrini electi et Ottonis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, Sedis Apostolice legatorum, magister Hermannus hospitalis Sancte Marie Teutonicorum in Jerusalem, nuntius et procurator domini Friderici Dei gratia Romanorum imperatoris et semper augusti, procuratorio nomine pro ipso imperatore ex una parte et infrascripti rectores et ambaxatores nomine infrascriptarum civitatum et nomine societatis Lombardie, Marchie et Romanie pro ipsis civitatibus et societate ex altera, essent in promptu committendi et compromittendi in prefatos dominos legatos de discordia que inter imperatorem et societatem prefatam verti videbatur, scilicet de satisfactione idonea imperatori prestanda pro eo quod societas dicebatur curiam suam quam Ravenne indixerat impedisse, et de securitate facienda et firmanda eidem societati si imperator velit filio suo et principibus Alemannie venientibus ad ipsum a dicta societate liberum transitum exhiberi, et si inter imperatorem et memoratam societatem aliqui alii articuli apparerent ex quibus posset discordia generari vel foveri concepta, placeat ut eodem modo et ordine sopiantur; prefati legati in ipso compromisso scripto manu mei Jacobini notarii ita dixerunt et convenerunt domino Guiffredo de Luzino Padue potestati et infrascriptis rectoribus et ambaxatoribus scilicet pro infrascriptis civitatibus singulis et predicta societate universis recipientibus, scilicet pro Mediolano dominis Rufino de Mandello, Lampugnano Marzel-

Digitized by Google

lino rectoribus et dominis Guiffredo de Pusterla, Henrico Gambaro judici ambaxatoribus Mediolanensibus, pro Brixia domino Ognabene de Passagio judici rectori, pro Bononia dominis Aimerico Arpinelli, Ursolino de Ursis rectoribus, pro Placentia domino Lanfrancho de Landedo rectori, pro Ferraria dominis Guidoni de Marzano rectori, pro Mantua dominis Uguitioni advocato et Martino de Bonacosis rectori, scilicet quod de isto ultimo articulo sic incipienti : « Et si inter imperatorem et memoratam societatem aliqui alii etiam articuli apparerent ex quibus posset discordia generari vel foveri concepta, placeat ut eodem modo et ordine sopiantur, » nichil possint iidem legati nec Romana Ecclesia laudare, diffinire aut terminare nisi de voluntate et consensu utriusque partis, scilicet domini imperatoris et societatis prefate Lombardie, Marchie et Romanie, quamvis generaliter fiat compromissum super ipso articulo. Et hoc convenerunt prefati legati presente, volente ac consentiente predicto magistro Hermanno, nuntio et procuratore prelibati domini imperatoris.

Ego Jacobinus quondam Gratioli filius civis Bononiensis, auctoritate imperiali et nunc prefatorum rectorum notarius, interfui mandatoque ipsorum cardinalium subscripsi et publicavi.

Fridericus, Romanorum imperator, cum Ludovico Francorum rege confoederationem renovat mutuam et jurari in anima sua jubet, cum hac clausula quod nullam amicitiam cum rege Anglorum faciet sine voluntate praedicti Francorum regis. Apud Portum Naonis, maio.

(Edit. ap. Martene, *Ampliss. collect.*, I, 1257. — Leibnitz, *Cod. jur. gent. diplom.*, p. 15. — Lunig, *Cod. Ital. diplomat.*, t. II, p. 885. — Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 293; coll. cum codice MSS. Biblioth. Paris. sine numero, vocato *Chartulaire de Philippe-Auguste*, fol. 138 recto et 170 verso (1).)

(1) Ad marginem hujus folii 170 et coaetanea manu, legitur ea magni prorsus momenti quae sequitur nota : « *Confederatio nova inter Fredericum imperatorem Alemannie et Ludo-*

Digitized by Google

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jherusalem et Sicilie rex. Sincere dilectionis affectus quem ad carissimum amicum nostrum et fratrem Ludovicum regem Francorum illustrem habuimus et habemus, sollicite nos admonet et inducit ut verum amicitie fedus quod ei servavimus hactenus illibatum, stabilitate perpetua fortius roboremus et firmiter innovemus. Noverint igitur universi presentes pariter et futuri quod nos subscriptam confederationem et amicitiam cum prefato rege et ipsius heredibus postmodum duximus iniendam. In primis non erimus dicto, facto, consilio vel assensu qualiter idem rex et heredes ejus vitam aut honorem amittant seu captionem corporum habeant, et si aliquid istorum sciverimus, illud disturbabimus bona fide; quod si disturbare non poterimus, significabimus eis aut alicui vel aliquibus personis bona fide que hoc valeant disturbare seu per aliquam vel aliquas personas significabimus ipsis eisdem. Item non consentiemus quod de imperio nostro et hominibus ejusdem imperii nostri alicui vel aliquibus qui contra predictum regem et ejus heredes in personis, honoribus et terris eorum quicquam fecerint vel facere attemptaverint tam de personis quam rebus aliquod subsidium tribuatur; sed prorsus inhibebimus quod non fiat et ne fiat disturbabimus bona fide. Insuper nos homines regni sui vel ad regnum suum pertinentes contumaces aut eidem rebelles seu moventes guerram contra ipsum regem et heredes ipsius vel forisbannitos regni sui non receptabimus nec receptari faciemus, nec in imperio nostro ubi potestatem habeamus per nos aut homines nostros sustinebimus receptari, postquam id ipsum ex parte ipsorum nobis fuerit intimatum; sed eos ubicumque inveniri poterunt, per imperium nostrum capi faciemus in rebus pariter et personis bona fide ubi potestatem super

---

vicum regem Francorum Ludovici regis filium impetrata per fratrem Johannem priorem domus hospitalis Theutonicorum in Francia, Philippum de Bestisiaco et Symonem rectorem domus de Pontibus. » Ille Simo idem sane est qui supra Cataniensi foederi interfuit et tum simpliciter nominatur *magister Simo de Domibus clericus* (t. II, p. 462). Philippus de Bestisiaco et Hugo de Athiis (cf. t. I, p. 230) inter milites, una cum Simone de Domibus inter clericos, memorantur in *Notitia mantellorum* ad festum Pentecostes 1231, ap. Ludewig, *Reliq. manuscript.*, t. XII, p. 2.

Digitized by Google

hoc habeamus. De rege Anglie sic erit quod nullam cum eo faciemus amicitiam seu confederationem nec a nostris fieri permittemus ubicumque potestatem impediendi habeamus, sine voluntate predicti regis Francorum. Et hanc confederationem fecit nobiscum bona fide idem rex Ludovicus quod non erit dicto, facto, consilio vel assensu qualiter nos et heredes nostri vitam aut honorem amittant seu captionem corporum habeant (*a*); et si aliquid istorum sciverit, illud disturbabit bona fide; quod si disturbare non poterit, significabit nobis aut alicui vel aliquibus personis bona fide que hoc valeant disturbare, seu per aliquam vel aliquas personas significabit nobis ipsis. Item non consentiet quod de regno suo et hominibus ejusdem regni sui vel aliquibus qui contra nos et heredes nostros in personis, honoribus, terris nostris quicquam fecerint vel facere attemptaverint, tam de personis quam rebus aliquod subsidium tribuatur, sed prorsus inhibebit quod non fiat et ne fiat disturbabit bona fide. Insuper idem rex homines imperii nostri seu ad imperium nostrum pertinentes contumaces aut nobis rebelles seu moventes guerram contra nos et heredes nostros vel forisbannitos imperii nostri non receptabit nec receptari faciet, nec in regno suo ubi potestatem habeat per se aut homines suos sustinebit receptari, postquam id ipsum sibi fuerit intimatum; sed eos ubicumque inveniri poterunt, per regnum suum capi faciet in rebus pariter et personis bona fide ubi super hoc potestatem habeat. Predictam itaque confederationem precipimus et injunximus jurandam pro nobis et in anima nostra a dilecto familiari nostro magistro Henrico venerabili Cathanensi electo (1) et Henrico de Aquisgrano camerario, fidelibus nostris.

(*a*) Alias *amittamus* et *habeamus*.

(1) Unde liquet Gualterium de Palearia, Catanensem episcopum, dudum in exilium relegatum, tunc temporis senio aerumnisque confectum fato cessisse. « A cujus morte Henricum de Palimberga (sc. *Pabimberga*, *Bamberg*) ausu temerario in Catanensem sedem Fridericus intrusit. Hujus meminere testes recepti Catanae 1266, alibi allegati, quem genere Theutonicum appellant, urbisque nostrae strategum, vulgo justitiarium, Macharionum quemdam de Catania elegisse affirmant. Henricus hic Grossum et Pirrum omnino latuit. » AMICO et STATELLA, *Catan. illustr.*, pars II, p. 75. Instrumentum sive potius inquisitio de qua apud Amicum

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XXX° secundo, mense madii, quinte indictionis.

Datum apud Portum Naonis in Foro Julii, anno, mense et indictione pretitulatis.

Apud Portum Naonis, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad requisitionem episcopi Osnaburgensis, sententiam in curia sua Ravennensi latam promulgat, tum super divisione bonorum per judicem pronuntiata, tum super censualibus bonis absque voluntate domini translatis.

(Edider. Moser, *Osnabruckisches geschichte*, pars III, docum. CLVI, p. 296. — Pertz, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 291.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod dilectus princeps noster Osnaburgensis episcopus in solempni Ravenne curia, principibus assistentibus, coram nobis proposuit requirendo si quis infra minores annos positus cum aliquo consanguineo suo bona pro indiviso possideat, deinde ad legitimam etatem perveniens et id coram judice probans divisionem ipsorum bonorum petierit optinendam et consanguineus contradicat, si fuerit divisio pronuntiata per judicem, tantum juris ex illa sententia judicis consequatur quanto si de communi partium fieret voluntate. Quod eorumdem principum dictante sententia extitit approbatum. Item petiit si libero censuali bona censualia sibi collata in hominem conditionis alterius liceat absque comitis vel conferentis voluntate transferre. Super quo sententiatum est non licere. Unde ad hujus rei memoriam presens scriptum fieri fecimus sigillo nostro munitum.

---

agitur, facta est 10 kalendas martii 1266 (1267) per Matthaeum Syracusanum episcopum de mandato legati Radulphi, Albanensis episcopi, « ut ad Catanensis ecclesie jura vindicanda, *que ab anno MCCXXXIII passum ierant*, se conferret. »

Digitized by Google

Hujus rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, Magdeburgensis et Ravennas archiepiscopi, E. Babimbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, Wormatiensis, Brixinensis et Reginus episcopi, dux Saxonie, dux Meranie, dux Karinthie, comes H. de Waldeburch, comes H. de Ortenberc, comes Adolphus de Holsatia, Gunzolinus et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, mense madii, V indictione, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani regni ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Data apud Portum Naonis, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, notam facit sententiam in curia sua latam, videlicet quod Bernardus dux Carinthiae non habeat potestatem instituendi forum in solo monasterii Sancti Pauli de Lavant. Apud Portum Naonis, maio.

(Inedit. ex originali in archivo Vindobon. asservato, cujus nobis solita humanitate sua copiam fecit cl. Boehmerus.)

Fridericus, Dei gracia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris [et] imperii, tam presentibus quam futuris, quod nobis apud Portum Naonis curiam regentibus generalem, assidentibus nobis principibus nostris qui ibidem presentes aderant, ad querimoniam ... venerabilis abbatis Sancti Pauli in Lavent, Salzburgensis diocesis, sententiatum extitit per eosdem : quod B. dux Karinthie, dilectus princeps noster, non haberet potestatem instituendi forum in solo monasterii supradicti, et quod eidem abbati liceret locare et transferre forum in solo

Digitized by Google

sue ecclesie ubi vellet. Ad hujus autem rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum fieri jussimus, majestatis nostre sigillo munitum.

Datum apud Portum Naonis, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense madii, quinte indictionis.

Apud Portum Naonis, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad querimoniam Sifridi Ratisponensis episcopi, sententiam proscriptionis promulgat, latam in generali curia apud Sibidatum, adversus Conradum comitem de Wasserburg et quatuordecim complices ejus, spoliatores praedicti episcopi.

(Edit. in Ried, *Cod. diplom. Ratisb.*, t. I, p. 369, num. 385, omissis tamen quatuor personis, — et in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 199, num. DCCXI, ex originali unde sigillum nonnihil laesum appendebat ex quatuor funiculis sericis, quorum bini rubri coloris, bini autem flavi sunt. Quibus disruptis, sigillum uno funiculo recenter alligatum cernitur. Cf. Lang, *Regest. Boic.*, t. II, p. 210.)

Fr[idericus], Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum dilectus princeps noster S. venerabilis Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius, in generali curia aput Sibidatum presentibus principibus conquestus fuerit coram nobis, [contra] Conradum comitem de Warziburg (1), Gebehartum dictum Scichingera, Ottonem de Dedilhem, Ottonem de Aschowe, Karolum de Selehnebe (Selehuebe), Stendelim de Rosinheim, Siboctum de Girecke, Geruncum de Leyminigin, Conradum de Alhardingin, filium Conradi Foleiz et complices suos, Conradum servum Gebehardi de Sconinstedin, Stuteim judicem dicti Comitis Bemolt, Conradum [et]

(1) Scilicet *de Wasserburg*. Reconciliatum postea comitem Wasserburgensem fuisse episcopo Ratisbonensi docet documentum apud Ried, loc. cit., t. I, c. 375, nº 391 sub anno 1235, 1º septembris.

Digitized by Google

Wernardum de Fulimbach et Gulle de Amirangin, [quod] eundem in curia nostra et servicio aput Ravennam existentem spoliaverint quibusdam rebus; nos ad querimoniam predicti principis et cancellarii nostri, et quia id constitit manifeste, predictos omnes principum approbante sententia proscripsimus. Ad cujus proscriptionis memoriam presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Hujus rei testes sunt : patriarcha Aquilegensis, Salzeburgensis, Magdeburgensis et Ravennas archiepiscopi, E. Papinbergensis, ... Herbipolensis, H. Wormaciensis episcopi, abbas Sancti Galli, A. Saxonie, O. Meranie et B. Karinthie duces, marchio de Baden, comes H. de Ortemberc, comes A. de Holsacia, Guarnerius de Bollandia, G. et C. de Hohenlloc, Gunzulinus, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense maii, quinte indictionis, imperante domino Frederico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo et regni Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum aput Portum Naonis, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Portum Naonis, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad querimoniam Herbipolensis episcopi, ex sententia principum Albertum de Entse proscribit, eo quod castrum Entse, ad ecclesiam Herbipolensem spectans, absente in servitiis imperii episcopo, violenter occupavit.

(Editum in Jaeger, *Gesch. Frankenlands*, t. III, p. 369, num. 30, et ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 201, num. DCCXII; ex originali cujus sigillum periit, remanente tantum parte quadam filorum sericorum rubri coloris.)

Fr[idericus] Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nobis aput Portum

Digitized by Google

Naonis existentibus in sollempni curia congregata, H. venerabilis Herbipolensis episcopus, dilectus princeps noster, conquerendo proposuit, quod eo in nostris et imperii servitiis existente, Albertus de Entse castrum de Entse, ad ecclesiam suam spectans, violenter et contra justiciam occupavit. Quod quia dictus venerabilis episcopus sicut debuit plene probavit, principum et aliorum magnatum imperii qui presentes aderant approbante sentencia, eundem Albertum duximus proscribendum. Ad hujus itaque proscriptionis memoriam, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Hujus autem rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, E. Papimbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius et H. Wormaciensis episcopi, B. Karinthie dux, Gebardus de Harnesteyn sacri imperii in Ytalia legatus, Riccardus camerarius, Tollenzarius, Merwaldus triscamerarius, Heinricus de Porta, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense maii, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo et regni Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum apud Portum Naonis, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Portum Naonis, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad conquestionem Henrici Wormatiensis episcopi, illum in possessione villae Nekerowe restituit, de qua fuerat per ducem Bavariae palatinum comitem Rheni injuste destitutus.

(Edid. Schannat, *Histor. eccles. Wormat.*, t. II, probat., p. 113, ex archivo episcop. Wormatiensis.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii

Digitized by Google

fidelibus tam presentibus quam futuris quod dilectus princeps noster H. venerabilis Wormaciensis episcopus in nostra presentia constitutus, existentibus in sollempni curia coram nobis plerisque principum apud Portum Naonis, proposuit conquerendo quod dux Bavarie comes palatinus Reni (1) eum et ecclesiam suam destituerit injuste possessione ville Nekerowe ac pertinentiarum ejus, quam de nostra et imperii concessione asseruit ecclesie sue fuisse collatam. Verum quia legitime ac sufficienter in eadem curia probavit quod injuste sibi facta fuerat per ducem predictum destitutio ejusdem ville et quod eadem villa dicte ecclesie sue de nostra concessione et imperii sit collata, nos attendentes quod destitutis injuste per restitutionis est beneficium succurrendum, eorumdem principum et magnatum qui presentes aderant appellante sententia, villam ipsam Nekerowe cum omnibus pertinentiis suis, sicut de concessione nostra et imperii eam constitit fuisse concessam, imperiali auctoritate nostra restituimus et per scultetum de Lutra eumdem principem nostrum Wormaciensem episcopum pro se et eadem ecclesia sua in possessionem induci et defendi mandavimus; statuentes ut nulla omnino persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, dictum episcopum et ecclesiam suam contra presentis restitutionis nostre paginam molestare presumat. Quod qui presumpserit, centum marcas argenti se in vindictam temeritatis sue compositurum agnoscat, medietatem videlicet camere nostre et reliquam parti injuriam patienti. Ad hujus itaque rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Hujus rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegensis, E. Papimbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius,... Herbipolensis episcopi,

---

(1) Tunc dux aderat Otto nomine, cujus pater Ludevicus anno praecedente, 16 septembris, apud Chelheim a quodam ignoto praesente familia sua cultro perfossus obierat. Non tamen a sicario tormentis exquisitis exposito potuit extorqueri cujus instinctu vel jussu tantum facinus attentare praesumpsisset. Sed fama percrebuit *assacinum* a Veteri de Montana fuisse transmissum, sceluscque ex conscientia imperatoris perpetratum, qui ducem paulo ante sibi et filio suo infestum in persona et rebus diffidaverat. De quo quasi in unum conveniunt graves utique et coaevi testes, Conradus de Fabaria, Godefridus Coloniensis, Hermannus Altahensis et multi alii. Cf. Boehmer, *Reichssachen*, p. 381.

B. dux Karinthie, Gebardus de Harnestet sacri imperii in Italia legatus, Albertus de Romana, B. et G. de Cammo (*a*) fratres, Merwaldus, Wipotus, Otto et Gerardus camerarii, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense maii, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore [semper] augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo et regni Sicilie tricesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum apud Portum Naonis, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Portum Naonis, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, Henrico Misnensi episcopo omnes venas metallorum quae in fundo ecclesiae suae reperiri contigerit, concedit et donat, cum aquis et montanis ubi aurum poterit inveniri.

(Edit. ap. Lunig, *Reichsarchiv*, t. XVII (*Spicil. eccles.*, t. II, pars 2ª), p. 98; inclus. in confirmatione Caroli quarti, de anno 1372, 2 idus decembris.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes grata et accepta servitia venerabilis Henrici Misnensis episcopi, dilecti principis nostri, que nobis et imperio dudum fideliter ipse exhibuit et que in antea melius poterit exhibere, de speciali gratia nostra concedimus et donamus ei et ecclesie sue quidquid de auro vel argento sive cujuslibet metalli genere in fundo proprietatis ecclesie sue ab hac die in antea de novo contigerit reperiri, sive sint aurifodine sive argentifodine seu metalli cujuslibet speciei; aquarum etiam decursus in quibus aurum repertum fuerit eodem

(*a*) Legendum autem *Albericus de Romano, Biaquinus et Guecellus de Camino*: primus scilicet Eccelini frater, duo alteri de Marchia Tarvisina nobiles.

Digitized by Google

jure et eadem speciali gratia suis proventibus indulgemus. Statuentes pariter et mandantes quatenus nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, eumdem venerabilem episcopum, ecclesiam suam et successores suos circa hanc concessionem et donationem nostram super predictis impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Adjicientes de majestate nostra cesarea quod si fortuna sibi, ecclesie et successoribus suis arridente, montana auri et argenti vel cujuslibet alterius metalli contigerit suscitari, monetam auri vel argenti ipse suique successores cudi facere valeant et fabricari. Ad hujus itaque concessionis memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Hujus rei testes sunt : B. patriarcha Aquilegiensis,... Salzburgensis [archi]episcopus, E. (*a*) Bambergensis, S. Ratisbonensis imperialis aule cancellarius,... Herbipolensis et H. (*b*) Wormaciensis episcopi, B. dux Carinthie,... dux Austrie et Styrie (1), Gebehardus de Arnenstein sacri imperii in Italia legatus, Richardus camerarius, et alii complures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXXII, mense maio, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico II invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus XII, regni Jerusalem VII et regni Sicilie XXXIIII, feliciter. Amen.

Datum apud Portum Naonis, anno, mense, indictione prescriptis.

(*a*) Ap. Lunig *B.*, male.

(*b*) Ibidem *St.*, male.

---

(1) Hac unica vice Fridericus dux Austriae inter testes curiae imperiali assistentes memoratur. Unde facile animadvertere licet illum tardius advenisse. Extat autem instrumentum quo ipse dux in feudum concedit Ulrico Pitter de Ragonia turris suae in Portu Naonis custodiam, datum apud Portum Naonem, anno 1232, 19 maii. Memorat. ex archivo Vindobon. ap. Chmel, *Notizenblatt*, *Regest. Frider. Austriae ducis* ad ann., et ap. Meiller, *Babenberger Regesten*, p. 150, n° 10.

Circa ascensionem (20 maii) imperator in Apuliam regreditur navali itinere; in via plurimos piratas capit et vinculis mancipat. Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 364. Imperator de Aquilegia per mare redit in Apuliam, seque apud Melfiam contulit; ad quem mox magister justitiarius et dictus Acerrarum comes (1) accedunt. Ad papam nuntius ex parte imperatoris magister Petrus de Sancto Germano dirigitur. Ricc. de S. Germ., *Chronic.* ad ann.

Apud Spinazzolam, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, Raoni de Limata confirmat feudum unius militis in Altavilla, quod Teobaldus Francisius, vigore testamenti Jacobi Francisii fratris sui, Raoni de Limata patri ejusdem Raonis concesserat; hoc pacto ut idem Rao et haeredes ejus domino suo duas auri uncias solvere annuatim teneantur.

(Inedit. ap. archiv. monasterii Montis Virginis, ex origin. in pergam., vol. X, n° 5.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod Rao de Limata, natus quondam Raonis de Limata militis, fidelis noster, majestati nostre attentius supplicavit quod cum olim Jacobus Francisius (2), pro gratis servitiis que quondam Rao

(1) Scilicet Thomas de Aquino qui de Ravenna mense januario reversus in regnum et regni capitaneus institutus, una cum magistro justitiario vices imperatoris egerat.

(2) Qui quidem imperialis justiciarius erat in annis 1221 et 1225. Vide supra, t. II, p. 407, 517 et 518.

Digitized by Google

pater ejus dum vixit exhibuit eidem Jacobo, in suo legaverat testamento ut Teobaldus Francisius frater suus, quem balium filiorum et terre sue dimisit, deberet ipsi quondam Raoni militi feodum unius militis integraliter percomplere et inde sibi facere puplicum instrumentum, et postmodum idem Theobaldus volens testamentum dicti fratris sui super hoc adimplere una cum Riccardo nepote suo, filio Jacobi memorati, concessit et tradidit ipsi quondam Raoni militi pheodum quod fuit quondam Rogerii de Farneta in Altavilla, quod idem Jacobus olim emerat a quondam Emma filia et herede dicti quondam Rogerii de Farneta, nostre majestatis consensu postmodum ex certa scientia interveniente, scilicet tertiam partem pro indiviso ipsius terre Alteville cum hominibus, redditibus, angariis et perangariis, plateaticis, pro (*sic*) creare judices et regere curiam, vaxallis et cum omnibus aliis justis pertinentiis suis et cum cappella seu ecclesia Sancti Angeli ad Postia cum juribus et pertinentiis suis, ac toto et integro homagio et debito servitio quod Maczeus et Johannes de Farneta ac Sirilansus nobiles de Altavilla de pheodis in Altavilla eidem feudo pertinentibus prestare heredi dicti quondam Jacobi Francisii annuatim et reddere tenentur, sicut in instrumento inde confecto plenius continetur, feudum ipsum confirmare sibi et suis heredibus de nostra gratia dignaremur. Nos autem supplicationibus suis benignius inclinati, considerantes quidem grata et accepta servitia que dominus quondam Rao dum vixit nobis exhibuit, et que idem Rao natus ejusdem in antea poterit exhibere, ac etiam quod majestati nostre per publica documenta evidenter constitit de premissis, predictum pheodum, sicut ipsum ipsi militi dominus Theobaldus una cum predicto Riccardo nepote suo filio Jacobi supradicti juste concessit, dedit et tradidit, et in instrumento publico inde confecto plenius continetur, eidem Raoni de Limata et heredibus et successoribus suis perpetuo confirmamus; salvo quod dictus Rao et heredes et successores ejus semel in anno, cum fuerit a suo domino requisitus, nomine adue (*a*) dent et solvant eidem uncias auri duas ponderis generalis, et salvo mandato et ordinatione nostra. Ad

(*a*) Forsan ut in vulgari gallico sermone : *à titre d'aide*. Cf. Cangium, ad verb. *Adhoa*.

Digitized by Google

hujus autem confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum exinde eidem Raoni fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum apud Spinaczolam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense julii, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico gloriosissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno duodecimo, regni Ierusalem octavo (*sic*), regni Sicilie tricesimo tercio (*leg.* quinto).

Spoleti, 12 julii. Gregorius papa scribit Friderico Romanorum imperatori quod, cum Gebardus legatus ejus in Tuscia non comparuerit apud Laudam de pace cum Lombardis tractaturus, coram se causam evocavit ad proximum festum Omnium Sanctorum.

(Inedit. ex regest. Gregor. IX, ann. VI, epist. 29, in collect. Laporte du Theil ap. Biblioth. reg. Parisiens.)

Gregorius, etc., carissimo in Christo filio nostro Frederico Romanorum imperatori semper augusto, Jerusalem et Sicilie regi, salutem et apostolicam benedictionem. Cum pacis negotium dilecti filii nostri... Prenestrinus electus et O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, Apostolice Sedis legati, juxta mandatum nostrum plena sollicitudine prosequentes, cum rectoribus et nuntiis Lombardorum apud Laudam colloquium celebrarent, quia nobilis vir Gebardus tuus legatus in Tuscia (1)

---

(1) Instrumentum nunc addimus quod edidit Lami, *Monum. eccles. Flor.*, tom. I, p. 506. Ibi enim mentio fit de vicario qui tunc temporis in Tuscia Gebhardi partes agebat: « In nomine » Domini amen. Ex hujus publici instrumenti [tenore] plenius patefiat quod nos Niger quon» dam Burnettini, et Pratensis quondam Ildebrandini et Bonaventura quondam Johannis, » castaldiones curie, ex precepto domini Jone Sancti Miniatis castellani, ut nobis in hunc » modum suis licteris suoque sigillo roboratis significavit:

» Jonas Sancti Miniatis castellanus pro domino Gerardo (*Gebardo*) de Harnestein sacri im-

Digitized by Google

qui pro parte tua ipsi colloquio non interfuit ut debebat, quanquam super hoc se per litteras et nuntium excusavit, rectoribus predictis causantibus plurimum ejus absentiam et nitentibus a proposito resilire, prefati cardinales injunxerunt eisdem ut in festo beati Michaelis per procuratores idoneos et sufficienter instructos se nostro conspectui representent. Verum quia nobis venit in dubium si tunc nostros fratres contingat simul in curia reperiri, usque ad festum Omnium Sanctorum proximo futurum eumdem terminum providimus prorogandum; mandantes rectoribus supradictis ut per jamdictos procuratores sufficiens mandatum habentes, sicut predictum est, coram nobis in termino prefixo compareant, et secundum statuti formam editi super negotio memorato (1), que in tractatu pacis expressa noscuntur illibata manere faciant et quieta. Volumus igitur ut prudentes viros ad hoc sufficiens mandatum habentes in prefato termino ad nostram presentiam destinare procures.

Datum Spoleti (2), quarto idus julii, pontificatus nostri anno sexto.

» perii in Italia legato atque ejusdem domini vicarius, Neroni (*Nigro* vel *Negroni*), Pratensi et » Bonaventure, castaldionibus suis de valle Arni, dilectis sibi, salutem et omne bonum. » Mandamus vobis districte et firmiter precipientes quatenus incontinenti visis hujusmodi lic- » teris cum viro nobili domino Plebano de Altupascio latore presentium esse debeatis et terras » dicti hospitalis decernere et designare velitis de plagiis vallis Arni, justitiam et rationem » ipsius hospitalis manutenentes et in possessionem de eorum terris mittentes; ita quod jura » et rationes curie occasione terrarum dicti hospitalis non possint obfuscari, et dicto hospitali » sua jura de dictis terris optime manuteneantur et specialiter de terris de plagiis quas tenent » Martinus Grechius et Grughius et Gennarius de Catiana. In quibus terris ipsum eumdem » latorem presentium pro dicto hospitali in possessionem mittatis.

» Unde nos dicti Niger et Pratensis et Bonaventura, castaldiones curie, volentes exsequi » mandatum predictum, dictum dominum Plebanum pro dicto hospitali de Altupascio in pos- » sessionem et tenutam omnium infrascriptarum terrarum misimus, etc., anno ab incarnatione » Domini MCCXXXIII, II idus augusti, indictione quinta, etc.

» Ricoverus notarius, etc. »

Ex indictionis numero facile liquet notarium in hoc instrumento ratione computandi annum ad Pisanum morem usum fuisse, scilicet aera ista novem mensibus ante nostrum vulgarem annum incipiente.

(1) Vide supra compromissi formam, p. 346 et seqq.

(2) « Mense aprilis, Gregorius papa de Reate apud Interamnes vadit et inde vadit Spoletum; qui generales ad regni praelatos litteras dirigit ne quis eorum officialibus imperatoris, occa-

Melfiae, 18 julii. Fridericus, Romanorum imperator, Januensibus nuntiat victoriam ab exercitu suo in partibus transmarinis relatam, mittitque judicem Manzinum et Thaddeum de Suessa, quibus in eis quae ex parte sua proponent indubitanter credant.

(Edit. in Caffari (Barth. Scriba), *Annal. Genuens.*, ap. Murator., *Script. rer. Italic.*, t. VI, p. 467, et ap. Lunig. *Cod. Ital. diplom.*, t. II, p. 2091. Collat. cum cod. mus. Britann., n° 12031.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, consilio totique communi Janue fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Qualiter fortunato exercitui nostro successerit in partibus ultramarinis, quod felicem victoriam prostratis hostibus fuerint assecuti, longe lateque jam celebris fama vulgavit (1),

sione defendendi patrimonium Ecclesiae ipsos gravare volentibus, respondeant et intendant. » Ricc. de S. Germ., *Chronic.* ad ann.

(1) Anno praecedente Riccardus Filangerius imperatoris marescalcus in Syriam cum exercitu transfretaverat (vid. tom. III, p. 299 et not. 1). Civitate Beryto occupata, castrum obsedit quod ad Johannem de Ibelino imperatoris inimicum pertinebat. Joannes tamen, congregato apud Cyprum exercitu, cum juniore Cypri rege Berytum venit ad solvendam obsidionem. Sed dum parum proficeret, versus Tyrum se convertit. Cujus ad succursum cum imperiales advenissent, tertio die maii ipso Johanne absente, castra Cypriorum apud Casale Imberti invaserunt et multis occisis caeteros fugaverunt. Non multo post, quintodecimo die junii, imperatoris marescalcus cum suis denuo Cyprum transvectus, in planitie Nicosiae a Johanne de Ibelino devictus fuit, et magna pars imperialis exercitus in castro Cerines obsessa remansit. Cf. *Contin. Guill. Tyr.*, edit. Guizot, p. 464 et seqq. — Bustron, *Historia overo comment. de Cipro*, fol. 116 et seqq. In his ad Januenses missis litteris de victoria suorum exultat imperator, sed de clade silet, sive veritatem scienter celaverit sive cladis fama nondum percrebuerit. Rem tamen Italis tunc temporis bene cognitam nos docet epistola anonymi cujusdam, quae est ita: « Matheus nepos noster, filius utique fratris nostri, persecutus est votum quo tenebatur visi- » tare Sepulcrum. Sed sicut audivimus, divertens a semita peregrini cum exercitu imperatoris » peregrinus a nostro consilio ivit Cyprum. Fertur autem quod idem exercitus ibi subcubuit » non absque strage et captione quorumdam. Quocirca amicitiam vestram rogamus quatenus

Digitized by Google

ut plene gaudere valeant qui nostris successibus colletantur. Nos autem qui ad nostri fideles imperii, etsi quando eorum provocet (*a*) offensa (1), non obliviscimur misereri, mittimus illuc Manzinum magne curie nostre et Barensium judicem et judicem (*b*) Thadeum de Suexa, fideles nostros, universitati vestre mandantes quatenus ea que vobis ex parte nostra proponent indubitanter et firmiter credere debeatis.

Data Melfie, XVIII julii, quinta (*c*) indictione.

Soldanus Babiloniae (2) imperatori mittit tentorium mirifica arte constructum, in quo imagines solis et lunae artificialiter motae, cursum suum certis et debitis spatiis peragrant, et horas diei 22 julii.

(*a*) In cod. *provocetur*, forsan *provocemur*.

(*b*) Apud. Barth. Scrib. *judicem* deest.

(*c*) In cod. Mus. Britann. *prima*, sed male.

» si captus est idem Matheus, ad liberationem ejusdem impendatis opem et operam efficacem » ut opere sentiat quod apud amicum intercedit patruus pro nepote. Ad hec de multis hono- » ribus quos exhibuistis eidem Matheo, sicut per litteras ejus accepimus, gratiam vestram » plenis prosequimur actionibus gratiarum, parati ad ea que domus vestre respiciunt commo- » dum et honorem. » Cod. Bibl. Paris., *Anc. fonds latin*, 8604, lib. VII, fol. 59 recto.

(1) In majori ecclesia Ravennae quae dicitur Sancta Resurrectio, plena curia convocata cui aderant ambassatores Januae, sub poena fidelitatis et jurisdictionis praeceperat imperator ne aliqua civitas imperio fidelis eligeret, retineret vel reciperet aliquem in potestatem vel rectorem, ex illa parte Lombardiae quae sibi rebellis erat oriundum. Januenses autem causati sunt quod circa initium septembris Paganum de Petra Sancta Mediolanensem in futurum potestatem elegissent, et quod electio facta non posset cum honore communis retractari. Unde post ambassatorum reditum Paganus accersitus simul et in regimine civitatis receptus est, licet Johannes de Regio, imperatoris nuntius, super hoc prohibitorias litteras attulisset. Imperator ergo ira commotus, « misit litteras suas in regnum quod Januenses ubique caperentur in personis et rebus, et sic factum est. » Cf. BARTH. SCRIBA, *Annal. Genuens.*, p. 464.

(2) Hoc eodem anno circa mensem martium Soldanus quoque Damasci « pretiosa miserat xenia imperatori per quosdam nuntios suos in Apuliam venientes, » ut legimus apud Riccardum de Sancto Germano.

Digitized by Google

et noctis infallibiliter indicant. Cujus tentorii valor viginti millium marcarum pretium dicitur transcendisse. Hoc apud thesauros regios apud Venusium est repositum (1). Accedente pascha Sarracenorum, in die Mariae Magdalenae (22 jul.), imperator nuncios Soldani et Vetuli de Montanis ad convivium vocat, et eis, multis episcopis assidentibus et multis nobilibus Teutonicis, festivas epulas parat. Godefr. Colon. ad ann., ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 364.

Apud Meldam, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, in favorem Euphemiae abbatissae monasterii Castri Caroli (Château-Chalon) in comitatu Burgundiae, renovat et confirmat privilegium Friderici I avi sui eidem monasterio, anno 1165, 19 septembris, concessum.

(Edit. ap. Dunod, *Hist. des Séquanois*, 1735, t. I, preuves, p. XCVI-XCIX, non indicato fonte, et ap. *Mémoire et consultation pour servir à l'hist. de Chateau-Chalon*, 1766, p. 184-185. Pendebat sigillum cereum, insertum filis serae rubri et flavi coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Cecilie rex. Etsi circa commoda ecclesiarum Dei et locorum religiosorum teneamur maximum exhibere favorem, tanto cenobia clementius intuemur et ad fovendum eorum statum serenitas nostri culminis favorabilius inclinat[ur], quanto celebris sexus ille femineus divino cultu[i] dedicatur,

---

(1) Circa finem hujus anni Conradus abbas Sancti Galli, dum apud imperatorem ex parte Henrici regis Alemanniae legatione fungeretur, istud idem inspexit horologium, ut monet Conradus de Fabaria ap. Pertz, *Monum.*, II, 178. « Ostenditque [imperator] quaecumque habuit cara : filium suum adhuc puerum Conradum regem Ierosolimorum, *coelum astronomicum aureum gemmis stellatum, habens philosophicum intra se cursum planetarum*, elephantes etiam et bardos caeteraque quamplura, in quibus imperialis perpenditur gloria. »

Digitized by Google

in bonis temporalibus dive recordationis Romanorum principum crevit auxilio et nostre liberalitatis munimine status earum indiget conservari. Universis igitur imperii nostri fidelibus tam modernis quam posteris volumus esse notum quod Euphemia venerabilis abbatissa et conventus monasterii Castri Caroli, fideles nostre, presentarunt curie nostre quoddam privilegium augusti domini avi nostri imperatoris Friderici pie recordationis ipsi monasterio clementer indultum, attentius nostram celsitudinem supplicantes quatenus idem privilegium transcribi et innovari et ea que continentur in eo dicto (*a*) monasterio, ipsis et succedentibus eis dignaremur de nostra gratia confirmare; cujus privilegii tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus. Quandocumque nostre imperialis corroborationis exposcitur suffragium, celeri effectu est attribuendum, et si id exposcitur quod durare perpetuo debeat, litteris est etiam annotandum ne prolixitas temporum posteris hoc reddat dubium vel incertum. In examine enim cuncta Dei conspicientis equale meritum credimus fore dantis et corroborantis. Credimus etiam ad imperialem nostram majestatem pertinere totius regni curas precipueque omnium sanctarum Dei ecclesiarum commoda considerare et omnia eis adversantia sub omni festinatione abolere, ne vel gravi incommoditate vilescant vel pro nostra culpa orta occasione a pristino cultu recedant, quatenus dum hec pro amore pariterque timore Dei fideliter peragimus, illorum qui hec pro affectu Deo contulerunt, meritis et gloria communicemus. Quapropter noverit omnium Christi imperiique nostri fidelium tam presens etas quam successura posteritas qualiter Petronilla venerabilis abbatissa Castri Caroli majestatem nostram adiit, suppliciter exorans ut prefatam ecclesiam que Castrum Caroli nuncupatur, a beate memorie Norberto patricio et Eusebiana consorte sua pro redemptione animarum suarum in honorem beatissime Dei genitricis et semper virginis Marie et Petri principis apostolorum studiosa devotione fundaverunt (*sic*) et amplis possessionibus ditaverunt, sub nostra defensione susciperemus, et omnia bona eidem ecclesie pertinentia, acquisita vel acquirenda, imperiali auctoritate confirmaremus. Predicte

(*a*) Ap. Dunod *ea que convenirent in dicto*, male.

itaque venerabilis abbatisse devotas preces et religiosa vota clementer admisimus, et prefatam ecclesiam cum omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus, cultis et incultis, acquisitis et acquirendis, ipsam quoque abbatissam cum sanctimonialibus Deo et Sancte Marie matri devote famulantibus, cum servis et ancillis omnibus ad prefatam ecclesiam pertinentibus, in nostram imperialem tuitionem suscepimus; et ne aliqua malignantum infestatione alienari vel distrahi vel dilapidari valeant, presentis privilegii authoritate et imperialis corroborationis munimine confirmamus. Statuentes itaque decernimus ut quecunque dona, oblationes et munera jamdictus Norbertus vel ejus uxor Eusebiana vel quelibet alia persona prefate ecclesie contulerunt, rata et illibata permaneant, usibus tantum abbatisse et sanctimonialium ibi degentium profutura, ex quibus quedam propriis duximus exprimenda vocabulis : villa Plaisiaci cum ecclesia et mancipiis et integraliter cum omnibus suis appenditiis, ecclesia Meronaci, villa Loverciacum integra cum omnibus suis dependentiis, Marciniacum, in villa Peyto tres mansi, in villa Merlie unus mansus, in villa Chillimaco tres mansi, in villa Noviaci mansus unus, villa Mathonacum, ecclesia de Arintho cum decimis, villa Turbionis integra cum mancipiis et appenditiis suis, ecclesia des Faisses cum decimis et tercia parte ville, ecclesia de Crotonaco cum decimis et terris suis, ecclesia de Besain cum decimis suis, in villa Arbosii tres mansi. . . . . integri, ecclesia de Fay cum decimis et appenditiis suis et tertia pars ville, insuper tres corvate Widonis heremite, villa Dois integra, villa Blez integra, Monistrolium integrum, villa Chambron integra, Masicres integre, in villa Victor. . . . . quinque mansi cum sepulturis, villa Sancti Lamani integra, in villa Frontiniaci mansus unus, villa Passenans, ecclesia Brairii cum decimis suis et unum casale in cemiterio, in villa Darboniaci quatuor mansi, ecclesia d'Arlay cum decimis et decima pars territorii ejusdem ville et etiam capella Castri cum sepulturis, media pars ecclesie Sancti Germani, in villa Bletterensi viginti et unus mansi et corvate et brolium, media pars ville Larnay, media pars ville Vincent, in villa Lombardi tres mansi, villa Noire integra cum mancipiis, campis, pratis, sylvis, aquis, aquarum decursibus, ecclesia de Molain cum decimis et terris suis, capella de

Digitized by Google

Chandevers, ecclesia de Raons et tres mansi in eadem villa et unum pratum, ecclesia de Chalmargis, ecclesia de Juvingey. Hec omnia supradicta que supra nominata ecclesia in presenti possidet et que in futurum vel liberalitate regum vel imperatorum, largitione principum, donatione pontificum, oblatione fidelium seu quibuscunque beneficiis elemosinarum adipisci possit, nostra authoritate confirmata, quiete de cetero teneat et possideat, omnium hominum contradictione et vexatione et injusta exactione remota. Precipue autem Castrum Caroli, ipsum scilicet montem in quo abbatia fundata est, ab ipsis fundatoribus divino tantum ministerio deputatum, liberum et quietum ab omni aliena vel violenta invasione et ab omni ducum et comitum seu quarumlibet aliarum personarum exactione esse decernimus. Sit itaque perpetua quies et inviolata religio et inconcussa libertas abbatisse et sanctis monialibus inibi Deo et sancte Marie semper virgini et sancto Petro apostolorum principi digne famulantibus, et decedente abbatissa, relique liberam habeant electionem in eodem monasterio vel extra de alia abbatissa promovenda. Ceterum ut supra scripta omnia rata et inconcussa supradicte ecclesie omni tempore valitura possint et debeant permanere, imperialis edicti firmitate et pragmatica sanctione, nostri quoque characteris inscriptione et quocumque possumus corroborationis munimine confirmamus. Quicunque autem mortalium hanc nostram constitutionem vel corroborationem infringere temerario ausu attentaverit, imperiali banno subjaceat, et centum libras auri et ducentas libras argenti coactus ab imperatore sibi et sanctimonialibus ibi deservientibus pro satisfactione persolvat.

Hujus sunt testes Conradus Wormaci[ensis] episcopus, Hubertus Bisuntinus electus, Ebrardus thesaurarius ecclesie Sancti Joannis, Fredericus archidiaconus, magister Guido ejusdem ecclesie canonicus, Wibertus ecclesie Sancti Stephani thesaurarius, Stephanus ejusdem ecclesie canonicus, Ado abbas Sancti Eugendi, Iphridus abbas Luxoviensis, Guttardus abbas Faverniacus, Enselinus abbas Corneoli, comes Stephanus, Amedeus comes de Monte Beligardo, Walcheus Salinensis, Bonardus de Asve, Magnardus de Grombach, Thiebertus de Montemoreto; de clericis ecclesie magister Umbertus, magister Guido.

Digitized by Google

Signum domini Frederici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Christianus imperialis curie cancellarius recognovi.

Datum Vormacie, decimo tertio kalendas octobris, anno dominice incarnationis millesimo centesimo sexagesimo quinto, indictione tercia decima, regnante domino Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus tercio decimo, imperii vero undecimo. Actum in Christo, feliciter. Amen.

Nos igitur attendentes religionem et honestam conversationem abbatisse ac monialium predictarum et quanto devotionis affectu ibidem Domino famulantur, pro salute quoque nostra et remedio animarum dominorum augustorum parentum nostrorum recolende memorie earum supplicationibus favorabiliter inclinati, predictum privilegium divi Augusti avi nostri eidem monasterio indultum de verbo ad verbum sicut supra continetur transcribi et innovari mandavimus; confirmantes in perpetuum eidem monasterio omnia que suprascriptum privilegium continet. De nostre gratia majestatis presentis privilegii auctoritate mandantes quatenus nullus princeps, dux, marchio, comes, ministerialis, sculterius, advocatus, nullaque persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis confirmationis nostre paginam venire presumat. Qui contra presumpserit indignationem culminis nostri incurrat, et penam centum librarum auri puri componat, quarum medietas fisco imperiali et reliqua medietas passis injuriam persolvatur. Ad hujusmodi autem innovationis et confirmationis nostre memoriam et robur in perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Jacobus Capuanus, Cesarius (*a*) Salernitanus et Obisius Cusentinus archiepiscopi, Richerius Melfiensis, J. Trojanus et Petrus Rebellensis episcopus, Thomasius comes Acerrarum, marchio Lancia, comes Arduinus, Henricus de Ravello (*b*) senescalcus, Vimigner-

(*a*) Ap. Dunod *Cesterius*, male.

(*b*) Nomina testium foede apud Dunod corrupta, scilicet *Thomasius comes, Antrarius marchio, Lamera comes, Arduinus, Henricus de Revett,* ad veram lectionem discernimus et restituimus.

Digitized by Google

tus Butriglarius (?) (*a*), Riccardus camerarius, Andreas logotheta, et alii quamplures.

. . . . . .

. . . . . augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense julii, quinte indictionis, imperante domino nostro Frederico [Romanorum imperatore] semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege gloriosissimo, imperii ejus anno duodecimo et regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie tricesimo quarto (*leg.* quinto).

Datum apud Melfam, anno, mense et indictione prescriptis.

Melfiae, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, Volquino magistro fratrum militiae Christi confirmat et in suam protectionem recipit possessiones ordinis in Livonia, Lettonia, Oesel, Esthonia, Kurlandia et Semigallia.

(Memorat. ap. NAPIERSKY, *Index corporis historico-diplom. Livonie, Esthonie, Curonie,* etc., t. I, p. 11, n° 40, ex antiqua versione originalis latini, quae extat apud archiv. Koenigsbergense in codice cui titulus : « *Dis synt die privilegia von Leyflant her.* »)

Datum Melfie (*b*), mense julio, anno Domini M. CC. XXXII (1).

(*a*) Forsitan *W.* vel *M. Nurembergensis butigelarius.* Res tamen valde dubia, cum nomen omnino mutilum sit.

(*b*) Ap. Napiersky *Melsiani,* male.

---

(1) Alterum Friderici privilegium de eodem anno, quod ad Livoniam pertinet, datum Melfiae mense septembri, exhibetur in libro cui titulus *Liv.-Esth. und Curlandische urkundenbuch*, t. I, p. 464 (Revel, 1852). Cujus operis notitiam nobis fecit Staelinus, sed illud frustra apud Parisios requisivimus.

Digitized by Google

Reate, 24 julii. Gregorius papa Fridericum Romanorum imperatorem hortatur ut in succursum Ecclesiae contra rebelles exurgat.

(Edid. partim Raynaldus, *Annal. ecclesiast.*, ad ann. 1232, § XXXVII.)

Gregorius, etc. Friderico, etc. Hortamur attente quatenus in succursum matris Ecclesie velut benedictionis filius, te superne lucis lumine precedente, ad fugandas catervas demonum et frangenda cornua impiorum tam propere quam potenter exurgas, ut rebelles (1) intelligant et cognoscant quia tibi nomen (*a*) invictus et excelsus pre terre regibus, elatorum in perditionem deponens insaniam et erigens humilium gratiam in salutem et etiam dejectis persequentibus sponsam Christi, sponsi delitias merearis, etc.

Datum Reate, IX kalendas augusti, [anno pontificatus VI.]

Reate, 26 julii. Gregorius papa patriarchae Antiocheno mandat ut habito consilio magistrorum Templi et Hospitalis, nobiles regni Hierosolymitani, cives Acconenses et alios ad devotionem Friderico imperatori et filio ejus exhibendam inducat.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. 1232, § XLV, e regest. Gregor., lib. VI, n° 52.)

(*a*) Vox corrupta, nisi quaedam hic praetermissa sint.

(1) De rebellione Romanorum qui papam quasi exulare cogebant et vastationem Campaniae minabantur, vid. Ricc. de S. Germano, ad annum, *passim*.

Digitized by Google

Gregorius, etc., patriarche Antiocheno (1), etc. Sane nondum defuit Agarenus ut christianus converteret in se manum; nondum sic est adversarii attrita potentia ut pusillus grex Domini mutua se disceptatione disrumpat; nondum sic ibi sunt nostra dilatata tentoria ut in pacis fastidium libeat et liceat sub guerra voluntaria lascivire. Porro multorum est acquisitum laboribus quod hi tenent, seminaverunt plurimi quod hi metunt; unde nec licet offerre jacture multi sanguinis pretio conquisitum nec expedit dare periculo id ad quod non absque periculis christiane sollicitudinis studium vix pervenit. Miramur autem quod homines illius regionis induxerit ut contra charissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum imperatorem semper augustum, Hierusalem et Sicilie regem illustrem, rebellionis, ut fertur, pretenderint conjecturam (2), qui contra eos ut dicitur nullius exhibuit gravaminis argumentum. Sed dato quod appareret gravamen in patre; filius heres regni legitimus, in quo tenera etas affectum injuriandi non patitur, quid peccavit? Quod si patris et filii dextera fuisset adversus illos plena molestiis, poterat et debebat Apostolice Sedis auxilium invocari, que pro illius terre subsidio plus ceteris laboravit. Cum igitur nos ejus scandalum urat et in ipsius infirmitatibus infirmemur, volentes vulnerato principio festinato remedio subveniri ne sero medicina paretur, si mala per longas contingeret invalescere moras, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus habito consilio magistrorum Templi et Hospitalis necnon

(1) Vir ille qui imperatori addictus dicebatur, magnatibus Ierosolymitani regni valde displicebat. Dum inter Ibelinorum fautores et Caesareos suas saepius partes interponeret, in eum invehit Bustron, quem etiam *traditore Lombardo* vocat.

(2) Praecipue apud Accon, ubi plerique nobiles et ditiores regni privilegia confraternitatis Sancti Andreae juramento firmaverant ut foedus inter se conjungerent adversus marescalcum Riccardum, quem vice sua ballivum instituerat imperator. Cf. *Contin. Guill. Tyrens.*, ap. GUIZOT, XIX, 464 et seqq. Rem suo more breviter, sed praecise memorat Ricc. de S. Germano in chron. ad ann. 1232: « Mense aprilis Johannes de Baruch civitatem Acconitanam recipit in odium imperatoris. Mense julio imperator pro succursu civitatis Acconitanae quam Johannes de Baruch occupatam tenebat, parte civitatis se pro imperatore tenente, exercitum congregat militum et baronum. Mense augusto imperator congregatum Brundusii exercitum revocat, et ipso mandante quilibet sunt in sua reversi. »

Digitized by Google

et aliorum, prout videris expedire negotio, nobiles regni predicti, cives Acconenses et alios ut ad fidelitatem et devotionem imperatoris prefati sublato cujuslibet difficultatis obstaculo redeant, inducere non postponas.

Datum Reate, VII kalendas augusti, pontificatus nostri anno VI.

Reate, 26 julii. Gregorius papa magistro et fratribus hospitalis Hierosolymitani mandat ut assistant iis qui in regno Hierosolymitano jura imperatoris adversus rebelles tuentur.

(Edid. Pauli, *Codice diplomatico del sacro ordine Gerosolimitano*, t. I, p. 271.)

Gregorius, etc., magistro et fratribus Hospitalis Hierusalem, etc. Plenis est votis appetenda concordia cujus integritas etiam parvis ad grandia praebet ascensum, et totis est nisibus vitanda discordia cujus scisma summa multoties detrahit ad ruinam. Sane audivimus quod regni Hierusalem turbatus est status, ordo confusus, cum quidam ad charissimi in Christo filii nostri Federici Romanorum imperatoris semper augusti, Hierusalem et Sicilie regis illustris, prosilientes injuriam, jam publice sicut fertur signa rebellionis ostendunt; dumque hii a cepta molestia non desistunt et alii regalia jura defendunt, in christianos manus christiana reflectitur que in Christi blasphemos bellis non fatigata civilibus deberet extendi, et sumptus in subjectorum dispendium convertuntur in damnum hostium deputati. Porro in talibus satis est dubia sors, nimis suspectus eventus, cum exorte discordie scandalo hostibus inique machinationis janua pateat et nostris via subsidii precludatur. Verum cum ante languorem preparanda sit medicina, differenda non creditur in languore. Unde mali principio volentes remedio subveniri, ne cure dilatio curationis perdat effectum, universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus, sicut divinam et nostram gratiam charam habetis, ad reformationem regni predicti venerabili fratri nostro patriarche Antiocheno Apostolice Sedis legato prudenter et viriliter assistentes, hiis qui prefati

Digitized by Google

imperatoris justitiam persequuntur impendatis consilium, auxilium oportunum, opem et operam efficacem.

Datum Reate, VII kalendas augusti, anno sexto (1).

Melfiae, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, Theodorum abbatem Lutrensem in comitatu Burgundiae capellanum aulae imperialis denuntiat, eumque cum ecclesia ejus sub protectione sua recipit.

(Edit. ap. LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XIX, p. 972, et in *Dissertat. hist. de l'Académ. de Besançon*, ann. 1762-1764. Coll. cum codice Droziano, *Abbay. de Franche-comté*, t. VIII, fol. 346 recto-verso, in Biblioth. Paris.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator [semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex.] Notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidem puram et devotionem sinceram quam Theodorus venerabilis abbas Lutrensis, princeps noster, incessanter ad nos et imperium inter plurimas adversitates quas perpassus est conservavit illesam, ipsum Theodorum in capellanum nostre imperialis aule recipientes, ecclesiam Lutrensem que nostra regalis est abbatia, cum monachis, hominibus, possessionibus et omnibus bonis suis, tam ecclesiasticis quam mundanis, sub protectione et defensione nostri culminis recipimus et habemus. Universis et singulis fidelibus nostris sub pena nostre gratie firmiter adstricte mandantes quatenus nullus sit qui prefatum abbatem, principem nostrum ac capellanum, in persona et rebus suis et dictam ecclesiam Lutrensem in monachis, hominibus, possessionibus et aliis bonis ejus contra presentem protectionis et de-

---

(1) Adest altera Gregorii papae epistola cum notis chronologicis eisdem, n° 65, qua Geroldum patriarcham Hierosolymitanum, Apostolicae Sedis legatum, citius revocat, ne suspicio quam in ipsum Fridericus imperator concepit, aliquid nocumenti tractandae concordiae afferre possit. Cf. RAYNALDUM, *Annal. eccles.*, ad ann. 1232, § XLIV.

Digitized by Google

fensionis nostre paginam impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit, indignationem nostri culminis se noverit incursurum.

Datum Melfie, anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, mense augusto, indictione V^a^.

Melfiae, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat sententiam a Benedicto episcopo Massiliensi latam super controversia inter Raymundum Berengerium comitem Provinciae et Nicolinum Aycardum syndicum villae vicecomitalis Massiliae agitata de cautionibus eidem comiti praestandis.

(Inedit. ex originali ap. antiq. archiv. regal. Aquense, nunc in praefect. Massil., tour du trésor, IVe carré, 13e liasse, lettre H. Transumptum quoque in inventario anni 1820, *ibid.*, 1re divis., fol. 208 verso. Memorat. autem in Pitton, *Hist. de la ville d'Aix*, p. 121.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Raymundus Berengerius comes et marchio Provincie, dilectus affinis et fidelis noster, nostro culmini per specialem nuntium supplicavit quatenus sententiam latam per Benedictum venerabilem episcopum dominum Massilie super controversia que inter eumdem comitem ex una parte et Nicolinum Aycardum syndicum communis seu universitatis Massilie ville vicecomitalis nomine ipsius communis vel universitatis ex altera, coram eodem episcopo extitit actitata, videlicet de satisdationibus et cautionibus eidem comiti super rancuris et querimoniis que fierent vel in futurum fieri contingerent, per eumdem Nicolinum, alium vel alios de ipsa universitate prestandis coram eo vel in ejus curia; per quam videlicet sententiam dictus Massiliensis episcopus pronuntiavit nominatum Raymundum Berengerium comitem et marchionem Provincie habere jus exigendi et

Digitized by Google

suscipiendi cautionem et satisdationem seu firmantiam ab universitate seu communi Massilie ville vicecomitalis, et predictum ac presentem Nicolinum Aycardum syndicum dicte universitatis ad hanc controversiam constitutum et per eumdem syndicum dictam universitatem Massilie, tenentem seu tenentes locum universitatis ejusdem sive vicem quondam dominorum Massilie predicte, ad prestandam firmantiam suprapetitam dicto comiti Provincie ut domino et comiti condemnavit, prout in scripto ejusdem sententie quod sub sigillis ejusdem Massiliensis episcopi et aliorum prelatorum fide dignorum vidimus plenius contineri, de nostra confirmare gratia dignaremur. Nos igitur supplicationem dicti comitis velut justitie inherentem favorabiliter admittentes, eamdem sententiam, sicut juste lata est, nos legitima appellatione suspensa imperialis auctoritate culminis confirmamus. Ad hujus autem confirmationis memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Melfie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense augusti, quinte indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, magistro Henrico Coloniensi commodat transcribendum suum exemplar Abbreviationum Avicennae *De animalibus*, a Michaele Scoto translatum. Melfiae, 9 augusti.

(Inedit. ex codice membr. in 8°, sec. decimi tertii vel quarti, n° 8557 Bibl. Brugensis et ex altero codice, seculi quarti decimi, in Bibl. Pommersfeldensi, quorum mentio fit ap. Pertz, *Archiv der gesellschafft für ält. Deutsche geschichtskunde*, t. VIII, p. 557, et t. IX, p. 532.)

Avicenne abbreviatio super librum animalium. — Frederice, Romanorum imperator, domine mundi, suscipe devote hunc laborem Michael Scoti (1), ut sit gratia capiti tuo et torquis collo tuo.

---

(1) Michael Scotus, Derasmi in Anglia natus, Toleti studuit ubi auxilio Judaeorum non-

Incipit : Et animalium quedam communicant in membris, sicut equus et homo in numero et in carne, etc. [Libro ita finis imponitur :] Sed de dentium utilitatibus jam scis ex alio libro. *Explicit liber Avicenne de animalibus.* [Post similis manus ita scripsit :] Completus est liber Avicenne de animalibus, scriptus per magistrum Heinricum Coloniensem (1); ad exemplar magnifici imperatoris nostri domini Frederici apud Meffiam (Melfiam) civitatem Apulie, ubi dominus imperator eidem magistro hunc librum premissum commodavit anno Domini M. CC. XXXII (2), in vigilia beati Laurentii, in domo magistri Volmari medici imperatoris.

---

nulla opera de arabico sermone transtulit in latinum. Quarum versionum quaedam certissime Scoto tribuendae sunt : scilicet Alpetrangii tractatus *Super sphaera*, anno 1217; Averrois commentarii super librum Aristotelis *De coelo et mundo*, Stephano de Provino circa annum 1221 dedicati ; ejusdem Averrois commentarii super librum *De anima;* ejusdem commentarii super duodecimum *Metaphysicorum* librum, sub nomine Nicolai Peripatetici vulgati. Aliae autem versiones Scotianae magis dubiae habentur : scilicet Averrois commentarii super librum *De generatione et corruptione*, commentarii *De meteoribus*, paraphrasis super *Parva naturalia*, Averroici demum tractatus *De substantia orbis.* Cf. Renan, *Averroès et l'averroïsme*, p. 162 et seqq. Summa ab imperatore gratia exceptus, cui suam *libri animalium* translationem obtulit, praecipua tanquam astrologus apud eum auctoritate Scotus in posterum functus est.

(1) De illo Henrico nihil bene compertum habemus, nisi sit idem magister de quo in Bibliotheca Laudunensi, cod. 465, n° 5, notitia adest ut sequitur : *Commentarius in versus de accentu a magistro Heinrico de Colonia;* qui vero grammaticis potius quam philosophicis disciplinis addictus fuisse videtur.

(2) Hoc ipso tempore judaeus Provincialis, nomine Jacob ben-Abba-Mari Simsonis Antoli, versiones alias ex arabica lingua hebraice, favente quoque Friderico nostro, ediderat. De quo eae inter plures notitiae : « *Analytica recta Averrois.* » In fine haec legis : « Deo gratias qui dedit mihi » Jacobo filio R. Simsonis ex Antoli vires complendi opus illud in Adar 2, ann. 4992 (Christi » 1232) in urbe Neapolitana; quod composuit philosophus Andalusiae Ben-Resched stylo » rhetorico claroque supra Aristotelis libros, quos transtuli, quorum quatuor sunt Aristotelis, » alter Porphyrii. Benedictus Deus qui in corde Cesareae sacrae majestatis imperatoris Federici » amatoris scientiarum, qui omnia subministravit necessaria. » Wolf, *Biblioth. Hebr.*, t. IV, p. 751, n° XXXIX, ex cod. Taurinensi. — « Ibn Ruschad sive Averrois commentarius in *Organum Aristotelis*, *Isagogen Porphyrii*, *Categorias*, *De interpretatione*, *In priora et posteriora Analytica*, translatus ex arabico in hebraicum sermonem a R. Jacob Antoli jussu et impensis imperatoris Friderici secundi, quem propterea in fine versionis suae laudat, simul etiam optat *ut sub ejus imperio Messias Judaeorum exoriretur.* » Lambecius, *Commentar. de Bibl. Caesarea*, lib. I, p. 391, n° LXI, ex cod. Vindobonensi. Alia ejusdem mentio apud

Digitized by Google

Liber iste inceptus est et expletus cum adjutorio Jesu Christi qui vivit, etc. (*sic*).

[Post altera manus seculi quarti decimi ita scripsit :]

Frenata penna, finito nunc Avicenna, libro Cesareo, gloria summa Deo.

Encyclica Friderici Romanorum imperatoris qua magistris in philosophia docentibus libros quosdam sermoniales et mathematicos, ab Aristotele aliisque philosophis sub graecis et arabicis vocabulis conscriptos, nunc in latinum ipso curante translatos, mittit.

(Edit. ap. *Petr. de Vineis Epist.*, lib. III, cap. LXVII, cum hac rubrica : « *Mittit magistris et scholaribus Bononiensibus libros Aristotelis de graeco et arabico in latinum per eum noviter translatos.* » Rubrica tamen in nonnullis codicibus deest. Adest alterum hujus epistolae exemplar, cum nomine Manfredi regis, ap. Martene, *Vet. script. et mon. ampliss. collectio*, t. II, col. 1220, ubi inscribitur : « *Sedentibus in quadrigis physicae disciplinae Parisiensis studii doctoribus universalibus.* » Brevioris autem sub intervallo pacis vel potius treugae ad Studium Bononiense hos libros destinare potuit Fridericus, quos postea filius ejus Manfredus, non impari scientiarum zelo, iterum Parisiensi Studio donavit.)

[Fridericus, etc.] In extollendis regie prefecture fastigiis quibus congruenter officia, leges et arma communicant, necessaria fore credimus scientie condimenta : ne per hujus mundi suaves et muliebres semitas, nube ignorantie commiscente, vires ultra licitos terminos effrenate lasciviant, et justicia circa debiti regulas diminuta languescat. Hinc nos pro-

---

eumdem Lambecium, *Ibidem*, p. 284, n° III : « Ibn Ruschad sive Averrois epitome *Almagesti* sive magnae constructionis Ptolemaei Alexandrini, hebraice. Vertit illam ex arabica lingua R. Jacob B. R. Aba-Mori, B. R. Simson, B. R. Antoli, anno aerae judaicae 4991 » (Christi 1231). Cf. de Rossi, *Dizionario*, p. 53 et *codd. mss.*, t. II, p. 43, 50. — Pasini, *codd. Taurin.*, t. I, p. 44, 48. — Delitzsch, *codd. Hebr. Lips.*, p. 306.

fecto, qui divina largitione populis presidemus, generali qua *omnes homines naturaliter scire desiderant* (*a*), et speciali qua gaudent aliqui utilitate (*b*) proficere, ante suscepta nostri regiminis onera, semper a juventute nostra [eam] quesivimus, formam ejus indesinenter amavimus, et in odore unguentorum suorum semper aspiravimus indefesse. Post regni vero nostri curas assumptas, quanquam operosa frequenter negociorum turba nos distrahat, et civilis sibi ratio vendicet solicitudinis nostre partes, quidquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, transire non patimur ociosum; sed totum in lectionis exercitatione gratuite libenter expendimus, ut anime clarius vigeat instrumentum in acquisitione scientie, sine qua mortalium vita non regitur liberaliter. Dum librorum ergo volumina, quorum multifarie multisque modis distincta chirographa nostrarum armaria divitiarum locupletant, sedula meditatione revolvimus, et accurata contemplatione pensamus, compilationes varie ab Aristotele aliisque philosophis, sub grecis arabicisque vocabulis antiquitus edite in sermonialibus et mathematicis disciplinis (1), nostris aliquando sensibus occurrerunt; quas adhuc originalium dictionum ordinatione consertas, et vetustarum vestium, quas eis etas prima concesserat, operimento contectas, vel hominis defectus aut operis ad latine lingue noticiam non perduxit. Volentes igitur ut veneranda tantorum operum simul authoritas apud nos, non absque multorum commodis communibus, vocis organo traductione innotescat (*c*), ea per viros electos et in utriusque lingue prolatione peritos instanter jussimus, verborum fideliter servata virginitate, transferri. Quia vero scientiarum generosa pos-

(*a*) Typis inclinatis sententiam exaramus quae ex primo Metaphysicorum Aristotelis libro sumitur.

(*b*) In epistola Manfredi *voluntate*, rectius.

(*c*) Aliter *juvenescat*.

---

(1) Libri *sermoniales*, ut opinamur, se ad logicam referunt, scilicet ad artem argumentandi simul et sermocinandi; *mathematici* vero ad libros physicorum, meteorum, etc., et forsitan ad Almagestum Ptolemaei, de quo supra p. 382, not. 2. Cf. Jourdain, *Recherches sur les trad. d'Aristote*, p. 163.

Digitized by Google

sessio in plures dispersa non deperit, et distributa per partes minorationis detrimenta non sentit, sed eo diuturnius perpetuata senescit, quo publicata fecundius se diffundit : hujusmodi celare laboris emolumenta nolumus, nec estimavimus nos eadem retinere jucundum, nisi tanti boni nobiscum alios participes faceremus. Considerantes verumtamen quorum conspectibus, quorumque judiciis operis cepti primitie possent decentius (*a*) deputari (*b*) : ecce vobis potissime, velut philosophie preclaris alumnis, de quorum pectoribus promptuaria plena fluunt, libros aliquos quos curiosum studium translatorum et lingua jam (*c*) potuit fidelis instruere, consulte providimus presentandos vel destinandos. Vos igitur viri docti, qui de cisternis veteribus aquas novas prudenter educitis, qui fluenta melliflua (*d*) sitientibus labiis propinatis, libros ipsos tanquam exennium (*e*) amici Cesaris gratanter accipite, et ipsos antiquis philosophorum operibus, qui vocis vestre ministeriis reviviscunt, quorumque nutritis famam, dum dogmata sternitis sapienter (*f*) ut expedit, aggregantes, eos in auditorio vestro, in quo gratia virtutum fructificat, erroris rubigo consumitur, et latentis scripture varietas aperitur, tum mittentis (*g*) favore commoniti, tum clari transmissi operis meritis persuasi, ad communem utilitatem studentium et evidentis fame nostre preconium publicetis (1).

(*a*) In omnibus *detentius*, quod Mehusium in vit. Ambros. Camald. secuti, corrigimus.

(*b*) Alias *depurari*, minus recte.

(*c*) In impressis *non*. Corrigimus ex epistola Manfredi.

(*d*) Alias *multiflua*.

(*e*) Alias *premium*.

(*f*) Haec quatuor verba in epistola Manfredi desunt.

(*g*) Alias *principis*.

---

(1) De tempore quo haec scripta fuerit encyclica, non bene constat. Legimus autem apud Rogerium Baconem, *Opus majus*, p. 36 : « Et licet alia logicalia et quaedam alia translata fuerunt per Boetium de graeco, tamen *tempore Michael Scoti qui annis MCCXXX transactis apparuit*, deferens librorum Aristotelis partes aliquas de naturalibus et mathematicis cum expositoribus sapientibus, magnificata est Aristotelis philosophia apud Latinos. » Si conferas quae supra retulimus de tempore quo translationes a Michaele Scoto factae vulgatae fuerunt (p. 384 et not. 1), satis juste suspicari poteris tum *compilationes varias* quas memorat Fride-

Digitized by Google

Melfiae, 19 septembris. Fridericus, Romanorum imperator, mandat Qualliae de Gorzano ut studeat componere dissentionem ortam inter comitem Provinciae et Massilienses, Balcenses caeterosque, ne idem comes justam excusationem habeat non veniendi pro defensione patrimonii beati Petri, vel comitem eumdem et comitem Tolosanum caeterosque adversarios inducat ad querelas ante curiam imperialem definiendas.

(Inedit. ex archiv. praefect. Massil., *Invent. gén.*, tour du trésor, t. II, 4e carré, 13e liasse, lettre J.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, Quallie de Gorzano fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Cum per litteras nostras comiti Provincie dilecto affini nostro et fideli dedimus in mandatis ut pro defensione patrimonii beati Petri (1), ad quam sicut tenemur intendimus, cum armatorum laudabili comitiva ad nos prefixo termino studeat se conferre, ne pro dissensione quam habet dictus comes cum Massiliensibus inferioris ville, Balcensibus et G. de Sabrano ac aliis ejus adversariis justam excusationem habeat remanendi, fidelitati tue presentium auctoritate mandamus quatenus eumdem comitem Provincie ac dictos adversarios nec non et comitem Tolosanum fideles nostros personaliter adeas et eos ex parte nostra de inienda inter eos compositione requiras, vel saltem treugam tamdiu accipiant quod eorum dissentio huic nostro negotio impedimenta non prestet. Si vero eos ad id non poteris inducere, tu ab eis sufficienti cautione recepta

ricus Scotianis translationibus convenire, tum ad annum 1232, circa finem, epistolam ipsam fuisse conscriptam. Cf. Jourdain, loc. citat., p. 164, 165, et Renan, *Averroès et l'averroïsme*, p. 164. Praeterea si de Studio Bononiensi revera agatur, temporis spatium inter annos 1232 et 1235 restringitur.

(1) Vide supra, p. 367, not. 2, p. 376 et not. 1.

Digitized by Google

quod super querelis que vertuntur invicem inter eos in nostra curia stare juri (*a*), diem adsignes eisdem quo se nostro conspectui representent, facturi et recepturi de ipsis querelis quod postulat ordo juris; illos autem qui ad mandatum et exortationem tuam id facere recusabunt et eorum adjutores banno imperiali subjicias, secundum quod videris expedire; personis predictorum comitum dumtaxat exceptis quas propter hoc banno nolumus imperiali subponi. Nihilominus comiti Tolosano dilecto fideli nostro auctoritate nostra sub debito fidei quo nobis et imperio tenetur, precipias et injungas ne dictis Massiliensibus ac ceteris dicti comitis Provincie adversariis contra ipsum comitem juvamen impendat, si eorumdem (*b*) adversarios in executione mandati quod sibi ut prescriptum est ex parte nostra feceris, inveneris contumaces. Nos autem dilectis fidelibus nostris venerabilibus Viennensi et Arelatensi archiepiscopis damus nostris litteris in mandatis ut tecum ad partes illas accedentes studeant una tecum componere inter eos, et assistant tibi favorabiliter in negotio memorato.

Datum Melfie, XIX septembris, VI indictione.

Melfiae, septembri.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Carbonense [in dioecesi Anglonensi] cum omnibus bonis ejus sub sua protectione recipit, eique donat tenimentum quoddam de demanio suo in Policorio nec non et potestatem habendi libere barcam unam in flumine Acri.

(Edit. ap. UGHELLI, *Ital. sacra*, t. VII, p. 126, édit. de 1659.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Quam sit imperiali celsitudini gloriosum, quantamque

(*a*) Deest verbum *annuant*, vel *compromittant*, vel simile.

(*b*) Sensus vero requirit *eosdem* vel *ejusdem*.

Digitized by Google

laudem apud Deum et homines mereatur ad ecclesiarum conservationem intendere et earum jura illibata servare, ex eo conjicitur manifeste quia celestia majoris sunt meriti quam terrena et humanis divina prerogativa semper non irrationabili preferuntur : quod in illis presertim fulget ecclesiis in quibus viget observantia regularis et servatur ordo monastice disciplinе. Inde est igitur quod nos attendentes laudabilem famam et conversationis scientie propositum quibus claret monasterium Carbonense, optantes etiam servitorum ipsius monasterii orationibus jugiter adjuvari, Bartholomeum venerabilem archimandritam, monachos et ipsum monasterium et omnia bona sua tam ecclesiastica quam mundana sub speciali majestatis nostre protectione recipimus, omnes possessiones et omnia bona que in presenti largitione principum, oblationibus fidelium et quibuscumque aliis justis titulis idem monasterium tenet et possidet aut in antea poterit, dante Domino, rationabiliter adipisci, ex liberalitate gratie nostre eidem monasterio perpetuo confirmamus, nisi fuerint de feudis vel servitiis obligata. De innata ergo clementia et munificentia nostra et pro remedio animarum progenitorum nostrorum ac pro salute nostra concedimus et donamus dicto archimandrite et successoribus ejus necnon eidem monasterio in perpetuum tenimentum terrarum de demanio nostro quod est in Pollicorio inter flumen Acri et tenimentum Scanzane, sicut est per quatuor latera designatum : ab oriente est mare, a meridie dictum flumen Acri, ab occidente territorium Sancti Nicolai de Sylva conjunctum territorio Montis Albani, ab aquilone tenimentum Scanzane, salvo jure si quod ibidem habet domus hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani et ecclesia Sancti Juliani, tenendum ipsum libere sine aliqua rei vel juris diminutione, absque contradictione et molestia alicujus, sicut tenimentum ipsum tempore regis Guilielmi secundi recordationis inclyte curia possidebat, non obstante aliquo privilegio de terra Pollicorii a nostra majestate alicui persone concesso. Preterea confirmamus eidem archimandrite, successoribus ejus et eidem monasterio in perpetuum privilegia universa que a predecessoribus nostris felicibus regibus ipsi monasterio rationabiliter sunt concessa, necnon libertates cunctas quibus idem monasterium temporibus felicium regum dignoscitur esse gavisum. De abundantiori ergo

Digitized by Google

gratia nostra damus predicto monasterio liberam potestatem habere propriam barcam in flumine Acri capacem equorum decem, cum qua et in qua transvehi possint ultro citroque gratis et libere ac intuitu Dei quilibet transeuntes, sine aliqua camerariorum, bajulorum et quorumlibet hominum contrarietate. Quam barcam ipsum monasterium in eodem flumine omni futuro tempore teneatur habere propter concessionem quam ei facimus de tenimento predicto, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus autem concessionis, donationis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Procopii de Matera notarii et fidelis nostri fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Melfie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, mense septembris, sexte indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Hierusalem septimo, regni vero Sicilie trigesimo quinto, feliciter. Amen.

Melfiae, septembri.

Fridericus, Romanorum imperator, in ecclesia Altamurae a se noviter fundata Riccardum de Brundusio archipresbyterum instituit, et eamdem ecclesiam ab omni jurisdictione archiepiscopatus et episcopatus eximit, collatione archipresbyteratus sibi et successoribus suis reservata.

(Inedit. ex transumpto quod adest in regest. Caroli II de anno 1294, litt. C, fol. 227, ap. archiv. reg. Neapolit., cujus nobis liberaliter copiam fecit vir egregius princ. de Belmonte. — Memorat. ap. GIUSTINIANI, *Dizion. geogr.*, ad verb. *Altamura*, ex eodem fonte, et ap. BARTH. CHIOCCARELLO, *Arch. della reg. giurisd. ristrett. in indice compend.*, t. VII, p. 126. Qui quidem monet Innocentium quartum 1° augusti 1248 hanc Friderici concessionem eidem Riccardo de Brundusio confirmavisse.)

Fridericus, divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Dominii nostri culmen extollimus et

Digitized by Google

successibus nostris peremnitatis gloriam agregamus, cum justas vices meritis referentes, illos ex imperiali munificentia beneficiis nostris prosequimur quos pure fidei decorat constancia et serviciorum presens et continua gratitudo commendat. Nos igitur predictas virtutes in persona Riccardi de Brundusio clerici, dilecti familiaris et fidelis nostri, perspicuas attendentes, ipsum Riccardum archipresbyterum in ecclesia nostra Altamure site in justitiariatu terre Bari per nos ad honorem beate Virginis de novo fundata duximus statuendum. Concedentes sibi et successoribus suis eandem ecclesiam liberam et exemptam ab omni jurisdictione archiepiscopatus vel episcopatus cujuslibet; ita quod nulli archiepiscopo vel episcopo prorsus sit subditus, preter sancte Romane Ecclesie que caput est omnium ecclesiarum et nobis qui eamdem ecclesiam in honorem beate Virginis edificari fecimus in terra predicta liberam et immunem, collacione predicti archipresbiteratus nobis et successoribus perpetuo reservata. Ad hujus autem nostre concessionis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Procopii de Matera notarii et fidelis nostri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Melfie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense septembris, indictione sexta, imperii nostri anno duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie tricesimo [quinto], feliciter. Amen.

Foggiae, septembri. Mense septembris imperator a Melfia venit Fogiam, et generales per totum regnum litteras dirigit ut de qualibet civitate vel castro duo de melioribus accedant ad ipsum pro utilitate regni et commodo generali (1); ad quem pro terra Sancti Germani ivit Roffridus de Monte miles.

---

(1) Prima vice nuncios civitatum ad curiam sive *parlamentum* convocat imperator. Cf. mandata 1° martii et 16° martii 1240 apud Viterbium et Ortam, in Carcani Regesto.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, Januensibus scribit se eorum nuntios benigne recepisse, offensisque praeteritis remissis, Januenses qui custodiebantur in regno suo et res eorum captas liberari jussisse, monens ut in futurum suae majestati intendant complacere. Foggiae [septembri].

(Edit. in CAFFAR. (BARTH. SCRIBA), *Annal. Genuens.*, ap. MURATOR., *Script. rer. Ital.*, t. VI, p. 467, et ap. LUNIG, *Cod. Ital. diplom.*, t. II, p. 2091. Coll. cum cod. Mus. Britann. 12031.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, consilio totique communi Janue (1) fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Recepit excellentia nostra benigne nuntios vestros (2) quos cum vestris litteris ad nostram presentiam destinastis, et tam ea que coram nobis ex parte vestra proposuerunt oretenus quam que littere continebant intelleximus diligenter. Sane licet quedam fuerint attemptata per vos in quibus nostra serenitas vix potuit non offendi, nos tamen imperialem mansuetudinem ad subditos nostros exercere volentes nec dedignantes justitiam cum clementia moderari, Januenses qui custodiebantur in regno nostro et res eorum que capte fuerant (3) liberari et restitui jussimus, ita quod de offensis precedentibus taliter culmini nostro satisfacere studeatis ut, sicut precommissa preterita per satisfactionem debitam duxeritis redimenda, sic celsitudinem nostram placabilem de bono in melius cum favore gratie sentiatis.

(1) Potestati non scribit imperator, qui tunc erat Paganus de Petra Sancta, Mediolanensis, scilicet e civitate Societati Lombardiae addictissima oriundus.

(2) Scilicet Montanarius de Marino et Picamilius, qui quidem, post Manzini et Thaddaei de Suessa legationem, ad imperatorem fuerant destinati de reconciliatione tractanda. Cf. BARTH. SCRIBA, *loc. citato*.

(3) Vid. supra, p. 369, not. 1.

Digitized by Google

Scituri nuntios nostros illuc e vestigio accessuros ut de proposito et bona intentione nostra potiorem confidentiam assumatis; intendentes majestati nostre placere per obsequium in futurum quemadmodum et hactenus displicuisse noscimini per offensam, ut si quis predecessorum nostrorum propter vestra servitia vobis recolitis favorabilis extitisse, nos mereamini nedum favorabiles, sed liberales vestris servitiis presentire. Istud pre oculis potissimum habituri quod major et favorabilior nostra sequetur benignitas quam aliquorum potuerit temeritas processisse.

Datum Fogie (*a*), etc.

Capuae, septembri.

Fridericus, Romanorum imperator, Hermanno magistro hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum in Jerusalem et successoribus ejus medietatem castri sui Muntickelli juxta Radicophanum, Castellumcellum, Fabrica et Crusianum cum omnibus earum terrarum juribus et pertinentiis, in perpetuum concedit et confirmat.

(Inedit. ex transumpto in bulla confirmatoria papae Gregorii X, in Teutonicorum *Klein privilegienbuch* ap. archivum Koenigsbergense; cujus nobis summa liberalitate cl. vir Voigt copiam fecit. Qui quidem in sua *Geschichte von Preussen*, t. II, p. 269, idem privilegium jam notaverat.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Inter pietatis opera quibus imperialis dignitas uberius exornatur, liberalitas obtinet principatum, illa precipue que ad utilitatem et commodum locorum venerabilium exercetur. Nam si a terreno principe particula datur illius interventu qui affluenter tribuit universa, quod dat ad eum cum fenore multo revertitur, maxime cum per hoc videtur quod pro terrenis eterna provida meditacione mereatur. Ea propter

(*a*) In impressis perperam *Frang.* Nempe legitur in cod. Mus. Britann. *Fog.* sive *Fag.*, littera *o* non bene formata. Nil vero dubium quin de Fogia agatur, quod jam erat suspicatus doctiss. vir Boehmer, *Regest. imper.*, p. 155.

Digitized by Google

notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos meditacione piissima attendentes qualiter sacra domus hospitalis Sancte Marie Teutonicorum in Jerusalem a divo quondam augusto imperatore Friderico avo nostro pietatis intuitu propagata multiplices fructus prodiit laude dignos, et a domino quondam imperatore Henrico inclite recordacionis patre nostro rebus ac libertatibus premunita et incrementum suscepit spiritualiter et temporaliter Domino famulando, et erga nostram magnificenciam fratrum dedicatorum ibidem ad divina servicia cum fide devocio semper crevit, necnon celebrem vitam et honeste religionis cultum quibus dilectus in Domino frater Hermannus magister domus hospitalis ejusdem et fratres sui clarere noscuntur, labores etiam et sudores assiduos quos pro fide christianorum et gloria sustinent incessanter, eterne retribucionis intuitu, pro sustentacione pauperum et infirmorum et pro remedio animarum progenitorum nostrorum recolende memorie et pro nostre salutis ac glorie incremento; attendentes etiam grata servicia que frater Hermannus venerabilis sacre predicte domus hospitalis magister in partibus ultramarinis ac ubique majestati nostre fideliter exhibuit et inantea cohoperante Domino poterit exhibere, medietatem castri nostri Muntickelli, quod est juxta Radicophanum et Castellumcellum et juxta Montiepulzanum Fabrica et Crusianum cum omnibus juribus et pertinenciis suis, eidem fratri Hermanno magistro prefate domus et suis successoribus de speciali gratia in perpetuum damus, concedimus et confirmamus. Concedimus etiam eidem sacre domui de munificencia liberali libertatem aquarum, herbarum et lignorum ubique per demanii nostri terras ad suarum domorum usum et ut de ipsis per totum imperium nichil pro plateatico vel consuetudinibus aliquibus vel statutis in terra vel mari solvere teneantur; firmiter statuentes ne quis fratres predictos de tenimentis et possessionibus hospitalis ejusdem sine judicio et justicia presumat aliquatenus dispasire (*a*). Statuentes et auctoritate presentis privilegii injungentes firmiter universis ne aliquis memoratam domum, fratres vel confratres ipsius super predictis omnibus aliquatenus molestare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis judicio centum libras auri puri componat,

(*a*) Vox in chartulario non nitida. Fortasse legendum *dissaisire*.

Digitized by Google

medietatem camere nostre et alteram medietatem passis injuriam persolvendam. Ad hujus autem nostre donacionis, concessionis, largicionis et confirmacionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Procopii de Matera notarii et fidelis nostri fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Data Capue (1), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense septembri, indictionis sexte, imperante domino nostro Friderico, Dei gracia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Ierusalemitani septimo, regni vero Sicilie tricesimo quinto, feliciter. Amen.

[Capuae], 4 octobris. Nicolaus de Bisantio, procurator demaniorum Basilicatae, vigore mandati imperialis cujus tenor inseritur, reducit monasterium Sancti Michaelis de Monte Caveoso in possessionem libertatum apud Montem Caveosum et Pomaricum, nec non jurium pasculandi, aquandi, pernoctandi et ligna incidendi in demaniis terrae Genusii.

(Edimus ex *fac-simile* originalis instrumenti exhibiti in anno 1772, occasione cujusdam litis monasterio S. Mich. intentatae, et contra arguentes falsitatis

---

(1) Nulla de hac Friderici apud Capuam mansione mense septembri apud Riccardum de S. Germano mentio fit. Quum tamen privilegium plane authenticum et recte transcriptum videatur, arbitrari licet imperatorem ad Terram Laboris circa finem mensis se transtulisse, ut facilius de dissidio quod papam inter et Romanos tunc agebatur, certior fieret. Cui saltem sententiae non inepte convenit auctor *Vitae Gregorii IX* (ap. Muratori, *Script.*, t. III, p. 579), quum dicat : « *Quo Fridericus imperator apud Sanctum Germanum certa relatione comperto*, qui fidele defensionis praesidium Ecclesiae Romanae promiserat, et fidei et majestatis oblitus, Messanam properans nullo persequente decessit. » Conjicimus insuper curiam generalem, de qua supra p. 390, apud Capuam mense octobri celebratam fuisse.

Digitized by Google

defensi ab anonymo in opere cui titulus est : *Il collegio Mabilloniano sostenuto nelle sue vere regole diplomatiche e garantito da sofismi de' pirronici Germoniani*, etc.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno a Nativitate ejusdem M° ducentesimo tricesimo tertio, imperii vero domini nostri Federici invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti anno tercio decimo, regni et Jerusalem anno octavo et regni Sicilie anno tricesimo sexto, mense januario (1), ultimo ejusdem, indictionis sexte. Nos Nicolaus de Bisantio de Baro, magister procurator damaniorum Montiscaveosi, Pomarici et Genusii, terrarum provincie Basilicate, ac exequtor novorum imperialium statutorum dicte provincie Basilicate, declaramus et plenam fidem facimus, tam nos quam notarius qui presens instrumentum penes acta sua posuit de mandato nostro ad futuram rei memoriam, quam etiam subscripti testes, quod in mense decembris proximi preteriti, die octavo ejusdem, predicte sexte indictionis, existens in Baro, per fratrem Laurentium monacum monasterii Sancti Michaelis de Montecaveoso recepimus sacras imperiales litteras in hac forma :

Federicus, Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, Nicolao de Bisantio civi Barensi procuratori damaniorum provintie Basilicate, fideli suo, gratiam et bonam voluntatem. Accedens ad presentiam nostram Joannes venerabilis abbas Sancti Michaelis de Montecaveoso, fidelis noster, majestati nostre exposuit conquerendo quod dudum per procuratores nostros destitutum est monasterium suum quibusdam hominibus suis nec non et molestatur indebite super quibusdam possessionibus, tenimentis et libertatibus tam in Monte Caveoso quam in Pomarico, quam etiam super juribus pasculandi, aquandi et pernoctandi cum animalibus suis et ligna incidendi in et super damaniis terre Genusii, ipsi monasterio predicto concessis per retro principes antecessores

(1) Notandum est notarium, licet Apulum, in hoc instrumento usum fuisse anno Nativitatis hodierno, cum indictione graeca. Nil vero in tali materia absolute dici potest. Quae quidem charta plane authentica videtur, etsi plures sint adversantium animadversiones, quas anonymus seriatim refutavit in opere supra citato.

nostros, sicut nobis in presentia nostra et totius nostre curie plene constitit et clare legimus; que omnia temporibus regum felicium predecessorum nostrorum et usque nunc pacifice tenuit et possedit. Volumus et expresse mandamus per presentes nostras litteras ex certa nostra scientia quod dictum monasterium et sui successores in perpetuum super possessionibus suis, tenimentis et libertatibus in Monte Caveoso et Pomarico ac super juribus pasculandi, aquandi et pernoctandi cum animalibus suis ac ligna incidendi pro monasterio et membris suis in damaniis terre Genusii, non molestetur indebite; inmo volumus et firmiter fidelitati tue mandando precipimus ex nostra imperiali munificentia et certa scientia quatenus si qua revocata sunt de predictis, statim restituantur, sicut nos per presentes litteras illa restituimus dicto monasterio et confirmamus ac de novo concedimus, ut largitas imperialis culminis et maxime in rebus ecclesiasticis tenetur. Quarto octobris, sexte indictionis (1).

Quibus receptis et lectis ac perlectis, perspeximus simul cum infrascriptis notario et testibus dictas litteras esse omni solennitate vallatas. Contracta mora propter imperialia servicia, ultimo die mensis januarii ejusdem indictionis contulimus nos apud Montem Caveosum ubi presentibus prudentissimis viris judice Gulielmo camerario communitatis Montis Caveosi, judice Baptista de Pomarico Petracha, Benedicto et Gulielmo imperialibus judicibus dicti Montis Caveosi, et Joanne de Asmundo, Joanne Ursone et Bernardo Montis ipsius et aliis quampluribus probis viris, predictas litteras in eorum presentia legi fecimus ad petitionem domini Joannis venerabilis abbatis dicti monasterii Sancti Michaelis archangeli de Monte Caveoso. Et quia in dictis litteris mandabatur quod monasterium predictum non permitteremus in aliquo molestari, sed si quid esset revocatum per imperiales revocatores, eidem monasterio restituere faceremus, inquisivimus diligenter si circa predicta esset monasterium destitutum; et cum invenissemus ipsum monasterium super qui-

(1) Notatio loci, quae probabili conjectura debuit esse *Datum Capue*, a notario omissa est; de quo non mirentur, cum aliquando etiam mandata imperialia non in integro inserantur, sicut infra pluries videre erit.

Digitized by Google

busdam hominibus et terris et libertatibus apud Montem Caveosum et Pomaricum et super juribus pasculandi, aquandi et pernoctandi cum animalibus suis ac ligna incidendi cum membris suis in damaniis terre Genusii molestatum, reduximus monasterium predictum et suos successores in perpetuum ad illum statum in quo erat antequam aliqui revocatores molestavissent, tam de hominibus, terris, tenimentis et libertatibus quam de juribus pasculandi, aquandi et pernoctandi ac ligna incidendi in locis et terris predictis, secundum continentiam imperialium litterarum, ut de cetero nulla circa predicta et omnia alia que possidet questio moveretur. Et ad ipsius monasterii securitatem perpetuam fieri fecimus presens publicum instrumentum per manus Angeli Nicolai, imperialis Barensis notarii, qui mecum est, et ejus solito signo signatum et nostro in tali officio consueto sigillo cum cordula serica et rubea signatum et nostra et predictorum subscriptione munitum. Actum est hoc apud Montem Caveosum, anno, mense et indictione predictis.

† Ego Nicolaus de Bissanti (*sic*) de Baro generalis procurator qui supra.

† Ego Angelus Nicolaus de Baro, imperialis per totum regnum Sicilie notarius (1), de mandato magnifici et excellentis viri domini Nicolai de Bisanti de Baro, imperialis et generalis procuratoris in provincia Basilicate, predictum instrumentum in predictam formam et apud acta mea redegi ac manu propria scripsi et subscripsi solitoque et consueto signo signavi ac etiam supradictorum testium subscriptione roborari feci.

† Ego Golielmus qui supra judex Montis Caviosi camerarius interfui.

† Ne Baptiste dampnetur judex Petracha tuetur.

† Hoc judex vere Benedictus firmo valere.

† Ego Gulielmus Montis Caveosi imperialis judex qui supra, testis interfui.

---

(1) Titulus iste quem adversarii contrarium dicunt constitutioni *In locis demanii nostri* immerito argui nobis videtur, cum imperator quidem universaliter non concederet auctoritatem acta conficiendi nisi in loco certo, sed potuerit particulariter concedere auctoritatem illam in duobus locis seu tribus seu per totam provinciam seu etiam per regnum, sicut stipulabantur *notarii curiae* (vid. Constit. *Magistri camerarii*, lib. I, tit. 62) et praesertim *notarii imperialis curiae*.

† Ego Joannes de Asmundo testis qui supra interfui.

† Ego Joannes de Ursone de Abbate qui supra, testis interfui.

† Ego Bernardus Montis Caveosi notarius qui supra, testis interfui.

[Exhibetur quoque sigilli Nicolai de Bisantio effigies, scilicet circulus duplex in quo litterae N. B. dentibus serrae divisae.]

[Capuae], octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, omnia bona ab avo suo Friderico I indulta abbatiae Knechstedensi [juxta Zons] confirmat, et eam cum personis et rebus sub protectione sua speciali recipit.

(Edidit Lacomblet, *Urkundenb. für die Geschicht. des Niederrh.*, zw. Band, p. 95-96, n° 187, ex chartul. abbatiae chartaceo et recentiori, fol. 12.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum esse volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod constitutus in presentia nostra Gilbertus venerabilis prior Knechstedensis ecclesie, Premonstratensis ordinis, fidelis noster, pro parte G. venerabilis abbatis ejus et fratrum ibidem Domino militantium nostrorum fidelium, celsitudini nostre supplicavit humiliter et devote ut personas et monasterium eorum cum omnibus tam stabilibus quam mobilibus, ecclesiasticis aut mundanis, que in presentiarum juste tenent et possident, et specialiter ea omnia que per privilegium domini Friderici imperatoris recordationis inclyte avi nostri eis indulta sunt (1), sub protectione majestatis nostre recipere et ipsis ac successoribus suis confirmare in perpetuum dignaremur. Inprimis curtem in Knechsteden cum agris suis, sylvis, pratis, pascuis et molendino; in Straburch curtes duas; in Nivenheim curtem unam; curtem in Balchem; curtem in Panhusen; curtem in Diburchoven; curtem in Horheim; curtem

---

(1) Extat privilegium in prima parte collectionis a Lacombleto editae, p. 265-266, n° 384.

Digitized by Google

in Durremage; curtem in Pilkenbusch; curtem in Hackhusen; curtem in Bollenberg; curtem in Winzenrode; curtem in Heddinghusen; curtem in Capella; curtem in Lovenicheim; curtem in Sinsteden; curtem in Ukeinchoven; agros in Fritzheim et Anstela; curtes et agros in Geisserna; curtes et agros in Havenborne; curtem in Grutzenar; curtem in Mangenard; curtem in Cassevelt; vineas in Wintera; molendinum in Wevelinghoven; molendinum in Elveka (1); omnia cum suis pertinentiis. Sane novalium fructuum que propriis manibus vel sumptibus excolunt sive de nutrimentis animalium ipsorum, nullus omnino ab eis decimas exigat. Et quod nullus advocatiam ejusdem monasterii hereditario jure usurpare presumat, sed is tantum advocatus existat, quem fratres aut sanior pars eorum voluntate propria decreverit eligendum. Nos igitur pia consideratione ducti quod idem abbas et prior ac fratres eorum, postpositis mundanis illecebris, ibidem se sponte subdentes regularibus disciplinis pro salute nostra et tranquillo statu imperii fundunt Altissimo vota sua; attendentes etiam quod iidem semper fideles nobis et imperio extiterunt, predicta omnia, prout predistincta leguntur et a predicto domino imperatore avo nostro ipsi ecclesie Knechstedensi confirmata sunt, ut in privilegio ejusdem avi nostri plenius continetur, jam dicto abbati, priori, conventui et successoribus eorum de liberalitatis nostre gratia qua benemeritos et fideles imperii prevenire consuevimus, in perpetuum confirmamus et tam personas eorum quam predicta omnia que in presentiarum juste tenent et possident et que in antea justo titulo acquirere poterunt, sub protectione atque defensione nostra et imperii recipimus speciali, salvo in omnibus et per omnia imperiali jure. Statuentes ut nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictum abbatem, priorem, fratres et successores eorum contra presentem divalem paginam confirmationis, protectionis et defensionis eos super predictis impedire seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit

(1) De his omnibus nominibus, cf. documentum supra laudatum. Extant hodie *Straberg*, *Nievenheim*, *Balcheim*, *Panhausen*, *Dieprinkhof*, *Horrem*, *Dormagen*, *Pilkenbusch*, *Hackhausen*, *Capellen*, *Sinsteden*, *Anstel*, *Geisseren*, *Hamborn*, *Grüten*, *Casselfeld* sive *Feldcassel*, *Oberwintern*, *Wevelinghoven*, *Elvekum*. Caetera vero minus certa sunt.

preter indignationem culminis nostri, centum librarum auri penam se noverit incursurum, quarum medietas camere nostre, reliqua passis injuriam persolvatur. Ad hujus itaque rei memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum fieri et sigillo celsitudinis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Rome (*sic*) (*a*), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense octobri, sexte indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo, invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege gloriosissimo, anno imperii ejus duodecimo, regni Hierosolomitani septimo, regni vero Sicilie trigesimo quinto, feliciter. Amen.

Octobri. Mense octobris in Sancto Germano hujusmodi sunt imperiales assisiae publicatae :

Cives in terris eorum pro mercibus suis quas intromittent vel extrahent, nihil solvent nisi quod olim solvebant : de pomis, castaneis, nucibus, avellanis et aliis fructibus in jure curie servabitur forma antiqua. Jus coriorum pro conzatura dimittitur in forma antiqua. Factum canapis omnino remittitur; [a] vendentibus vinum sive ad minutum sive ad grossum nihil requiritur, sed in eis servabitur forma antiqua. Statera erit in fundicis, et nihil recipietur pro ea nec amplius pro cantaro quam grana V. Pro herbatico animalium, venditione equorum et aliorum animalium, similiter servabitur forma antiqua. A piscatoribus nihil requiretur nisi secundum formam antiquam. Pro jure mensurarum victualis tam in sauma quam in tuminis, servabitur forma antiqua. De jure casatici remissa sunt grana III pro uncia, ita quod mercatoribus qui

(*a*) Recentior amanuensis male, originali incautius perspecto, legit *Rome*, quum verisimiliter fuerit *Capue*.

Digitized by Google

erunt pro eis providebitur a custodibus fundici in lectis, luminaribus, palea et lignis. De jure bucceriorum pro bove vel vacca remittuntur grana tria, pro porco grana III, pro ariete grana II, pro agno grana II. De tuminis (*a*) et sardellis servabitur forma antiqua; de jure lini idem; de jure cannarum idem; de lana Syriae servabitur forma antiqua; de bombace similiter, de arcu coctonis idem (1). RICCARD. DE S. GERM., *Chronic.* ad annum.

Anagniae, 21 octobris.

Gregorius papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat R. Ostiensem electum et T. Sanctae Sabinae presbyterum cardinalem a se Viterbium fuisse missos, postulatque ut ad Viterbienses pro coeunda cum Romanis pace ipse scribat (2).

(Memorat. ap. RAYNALD., *Annal. eccles.* ad ann. 1232, § XXXIX, e regest., lib. VI, n° 135.)

Datum Anagnie, XII kalendas novembris, anno VI.

Anagniae, 27 octobris.

Gregorius papa Friderico Romanorum imperatori grates agit quod referentibus ejus nuntiis, pium propositum conceperit et spiritu charitatis Ecclesiae matri sit unitus; unde promittit quod in

(*a*) Verisimiliter legendum *de tunninis*. Nempe de mensuris hic non agitur.

---

(1) Cf. quod supra edidimus super juribus veteribus et novis, p. 499, not. 2, et fragmenta ad res fiscales pertinentia, p. 250 et seqq.

(2) De discordia Viterbienses inter et Romanos, cf. Riccardum de S. Germano et Vit. Gregor. IX, ap. MURATORI, *Script.*, t. III, p. 578.

Digitized by Google

negotio fidei et in restauratione jurium imperii ipsi Ecclesia non deerit.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. 1232, § XLII, e regest. lib. VI, n° 149.)

Gregorius, etc. Frederico, etc. Referentibus venerabili fratre N. archiepiscopo Messanensi (1) et dilecto filio P. imperialis aule judice (2), nuntiis tuis, pium propositum et sanctum desiderium, consilium rectum divina inspiratione conceptum, nos et fratres nostri gavisi sumus in Domino et in potentia majestatis ipsius, qui sic matri filium et filio matrem spiritu sue charitatis univit ut affectuum unitas et identitas animorum nobis onustis leviget onera honoris et oneris alias sacerdotio et imperio multipliciter onerosa. Quis unquam nova posset temeritate presumere ut in negotio fidei, libertatis ecclesiastice, ecclesie et imperii jurium restauratione, quod de consilio nostro prosequeretur imperialis sublimitas (3), in principio, medio et fine, filio mater deesset aut filius matri deficeret. Ratio non patitur, natura renititur, ut individuum recipiat sectionem. Alioquin posset inferri quod se ipsum posset homo relinquere, et idem esset secundum idem relinquens pariter et relictum, agens et patiens in eodem. Absit, charissime filii, quem gestamus in visceribus charitatis, quem teste Deo in omni puritate diligimus, cujus incrementum commune commodum reputamus, ut aliquis sue mentis oblitus hec vel leviter suspicetur. Immo si secretarium cordis scrutinio recte inquisitionis exquiritur, si veritas infallibilis diligenti meditatione pensatur, hortus clavigeri regni celestis rationalis et floridus, apostolica manu consitus, paradisi fluminibus irrigatus, non invenitur pro uvis spinas, pro ficu tribulos germinare, cum ejus cultor et dominus pro pane lapidem, pro ovo filiis suis non consueverit porrigere scorpionem. Facile quidem tollitur suspicandi facilitas si incerti

(1) « Mense aprilis Landus archiepiscopus Reginus in Messanensem eligitur. » Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad annum.

(2) Nunc agitur de Petro de Vinea, sicut ex responsivis Friderici litteris, quae paulo infra, id pro certo comperimus.

(3) Alludit ad defensionem Patrimonii, pro qua subsidium ab imperatore jam papa requisiverat.

Digitized by Google

judicii attenditur difficultas, maxime ubi experta sinceritas operis destruit imaginariam opinionem erroris. Et licet intra virtutum germina lolium quandoque improbe se pravitatis immisceat, nunquam tamen in colonia apostolorum principis de puritate duplicitas, de veritate simultas, de innocentia iniquitas nociva colligitur, a qua scandalorum hujusmodi zizania relegatur. Quocirca imperialem mansuetudinem rogamus, monemus per aspersionem sanguinis Jesu Christi obsecrantes et in remissionem tibi peccaminum injungentes quatenus thesaurum desideriorum celestium sacrario tui cordis manu filii Altissimi commendatum aperiens et effundens ad conterendos iniquos, liberandos oppressos et miseros consolandos, cum abscondita sapientia et thesaurus invisus nulla sit utilitas in utrisque, virile propositum prepotente potentia totis viribus prosequaris, animo manus sit proxima, affectum effectus aperiat, ut consilium, auxilium et favorem Ecclesie sollicitudo imperialis obtineat, que presto tibi sunt educenti de foramine obstetricante manu imperii colubros tortuosos.

Datum Anagnie, VI kalendas novembris, pontificatus nostri anno VI.

Fridericus, Romanorum imperator, universis praelatis et nobilibus regni Burgundiae mandat ut ad se in maio proximo cum armatorum comitiva veniant, et super subsidio exhibendo Caillae de Gurzan efficaciter intendant. Foglae, 15 novembris.

(Edit. ap. PAPON, *Hist. de Provence*, t. II, p. 69, et ap. PERTZ, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 298.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, venerabilibus archiepiscopis, episcopis, principibus, baronibus, totisque nobilibus in regno Burgundie constitutis, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Cum, sicut factis et aperta veritate fulcitur, per tempora longissime retroacta nullum per vos servitium nobis aut imperio sit impensum, quod tamen fidelitati vestre imputare non

Digitized by Google

possumus nec debemus ad culpam, cum super hoc non fueritis requisiti, ac quedam imperiii negotia nobis instanter immineant que consilium nec non auxilium vestre fidelitatis exposcunt, universitatem vestram de qua plene confidimus, imperialis edicti auctoritate citamus ac sub pena regalium constitutionum precipimus quatenus in proximo futuro maio ad nos veniatis cum armatorum laudabili comitiva; circa citationem et mandatum nostrum taliter vos habentes quod devotionem vestram merito commendare possimus et pro impensis nobis servitiis grato debeamus remunerationis beneficio respondere. Super hoc igitur dictum fidelem nostrum Caillam de Gurzan, latorem presentium, ad vos mittimus; monentes attente ac districte precipientes sub debito fidelitatis quo nobis et imperio tenemini, quatenus super exhibendo nobis servitio quod a vobis petimus, devote ac efficaciter intendatis eidem. Nos autem ipsi Cailla presentium (1) auctoritate concedimus potestatem ut illos ex vobis qui petita et debita nobis servitia ad exorationem ipsius reddere non curabunt, ad id possit compellere prout videbit expedire.

Datum Fogie, XV novembris, VI indictione.

Fogiae, novembri. Fridericus, Romanorum imperator, omnibus officialibus suis in regno Siciliae mandat ne abbatem et conventum monasterii Sanctae Marinae de Stella (Amalfiam inter et Salernum) in possessionibus et juribus eisdem post curiam Capuae confirmatis molestare praesumant; quod ex querela conventus ejusdem, accidit propter mutationem officialium et bajulorum quos annuatim et quandoque

---

(1) « Litterae eaedem in quibus tamen nomen *Galeatii de Gurcano* legitur, insertae habentur litteris (hodie in tabulario Vaticano servatis) ejusdem Galeatii de Gurcano ad episcopum Avinionensem, qui eas notas faciat episcopis Carpentoratensi, Cavaillonensi, Aptensi, Vaisonensi et Trium Castellorum, et nobilibus, principibus et baronibus in eorum diocesibus consistentibus. Dat. Avinione, 5 idus februarii, anno 1233, indict. 3 (*sic*). » *Pertzii nota.*

Digitized by Google

frequentius ab officiis bajulationum suarum removeri contingit, eidemque simul monasterio plancaticum apud Majorum ei concessum confirmat.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 155, n° 748, ex originali apud Amalfiam a Bethmanno communicato.)

Datum Fogie, anno dominice incarnationis MCCXXXII, mense novembris, indictione VI (1).

Gregorius papa Friderico Romanorum imperatori conqueritur quod Sarraceni Apuliae ecclesiam Sancti Petri in Bangio Fojetano funditus diruerunt, lapides et lignamina ejus deportando Luceriam pro suis aedificiis construendis. Anagniae, 3 decembris.

(Edid. RAYNALD., *Annal. eccles.*, tom. XXI, ad ann. 1232, § XLIII, e regest. Gregor., lib. VI, n° 184.)

Gregorius, etc. Frederico, etc. Mirantes accepimus et turbati quod perditionis filii, Saraceni videlicet in Apulie partibus constituti, tui favoris accedente consensu, quod credibile non videtur, ecclesiam Sancti Petri in Bangio Fojetano (2) pleno jure spectantem ad monasterium Sancti Laurentii de Aversa, vertentes in locum subjugalium que prius fuerat habitaculum angelorum, ipsam funditus diruerunt, lapides et lignamina ejus deportando Nuceriam pro suis edificiis construendis. Verum quia tam iniqua presumptio non absque contumelia creatoris, apostolice sedis injuria, tanquam nota nominis noscitur attentata, serenitatem tuam roga-

---

(1) Cf. alterum quod supra notavimus privilegium, t. II, p. 690, et praecipue p. 691, not. 1. Ibi monasterium dicitur *Sanctae Mariae de Stella*.

(2) Locus apud Giustiniani non memoratur. Forsitan *Foiano* in Capitanata, viginti millibus Luceria distans.

Digitized by Google

mus, monemus et hortamur attente quatenus prudenter attendens si ecclesiarum aliqua et precipue in regni ambitu contentarum, que tua debent protectione gaudere eo quod illarum et aliarum defensor sis a Domino constitutus, sacrilegis infidelium manibus debeat demoliri, qua debet potius virtus Altissimi a fidelibus exaltari, pro divina reverentia et tue celsitudinis incremento prefatam ecclesiam reparari jubeas et ei bona sublata restitui que integritatis sue tempore obtinebat. Ceterum quia nimietas libertatis quam Sarracenis eisdem diceris indulsisse, damnosa christianis de vicinia perhibetur et venit pluribus audientibus in horrorem, sublimitati tue placeat taliter ipsorum presumptiones elidere quod vel in pauco non audeant tuorum corda fidelium perturbare, presertim cum redemptori nostro quedam injuria fieri videretur, si Belial filii, servitutis perpetue compede comprimendi, filios lucis in finibus nostris impeterent vel libertate pares se damnabiliter estimarent.

Datum Anagnie, III nonas decembris, pontificatus nostri anno VI.

Apud Precinam, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis servitiis Eccelini de Romano et Alberici fratris ejus, ipsos cum eorum hominibus et possessionibus sub protectione sua speciali recipit.

(Edider. Ger. Maurisius ap. Muratori, *Scriptor.*, tom. VIII, p. 35. — Verci, *Stor. degl. Eccel.*, t. III, n° CXXVIII. — Lunig, *Cod. Ital. diplom.*, t. II, p. 499. — Leibnitz, *Script. Brunsw.*, t. II, p. 38.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Cum in conspectu principum orbis terre fides clareat subditorum que meritis insignit hominem et suis imitationibus favorem dominantis acquirit, eo potius fidelium est facienda devotio et prerogativa gratie munienda, qui se non dubitant pro suorum fidelitate ac servitio dominorum inter dubios vite casus exponere, non parcentes rebus pariter vel personis ut vivere ac mori pro dominis summam reputent gloriam et

Digitized by Google

honorem. Hinc est igitur quod nos habentes pre oculis fidem puram et sinceram dilectionem Eccelini de Romano et Alberici fratris ejus, nostrorum expertorum fidelium, quam pro nostro et imperii servitio demonstraverunt (1), personas et omnia bona eorum nostris et imperii honoribus exponentes, attendentes insuper quod indefessis laboribus pro nostra et imperii fidelitate inconcusse persistunt, ipsos, familias eorum, homines, castra, villas, possessiones et omnia bona eorum sub nostra et imperii protectione et defensione recepimus speciali; universis et singulis auctoritate presentium inhibentes quatenus nullus marchio, comes, potestas, rector, persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, ipsos offendere in personis vel rebus seu guerram vel damnum inferre aut in aliquo contra presentis protectionis et defensionis nostre paginam molestare vel impedire presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam ducentas libras auri compositurum se cognoscat, medietatem videlicet fisco nostro et reliquam medietatem injuriam patienti. Ad hujus itaque nostre protectionis memoriam et perpetuam firmitatem, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei etiam sunt testes Berardus Panormitanus et Jacobus Capuanus archiepiscopi, comes Thomas de Acerra, comes Simon de Thetis, comes Gerardus de. . . . . ., Gebhardus de Arnesten sacri imperii in Italia legatus, comes Antebonus (*a*), Manfredus marchio Lanzia, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense decembris, sexte indictionis, imperante domino nostro Frederico Romanorum imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus tertio decimo, regni Hierusalem octavo, regni vero Sicilie trigesimo quinto, feliciter. Amen.

Data apud Precinam, anno, mense et indictione prescriptis.

(*a*) Quis fuerit, nescimus. Forsitan legendum *comes Arduinus*, ut supra.

(1) Ita novus in Italia superiori rerum status vertebatur, statim ut Verona propter Eccelini praepotentiam ad partes Gibellinorum accessit.

Precinae, 3 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Paduano, Vicentino et Tarvisino episcopis notificat se Eccelinum et Albericum de Romano sub sua speciali protectione recepisse, et mandat eis ut solemniter privilegium publicare debeant et ab omnibus observari praecipiant.

(Edider. Ger. Maurisius ap. Murator., *Scriptor.*, t. VIII, p. 35. — Lunig, *Cod. Ital. diplom.*, t. II, p. 499. — Verci, *Stor. degli Eccelin.*, t. III, n° CXXIX.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, venerabilibus Paduano, Vicentino et Tarvisino episcopis, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Notum facimus fidelitati vestre quod cum expertos fideles nostros Eccelinum de Romano et Albericum fratrem ejus sub nostra et imperii [defensione] recepimus speciali cum omnibus bonis suis, sicut in indulte sibi protectionis privilegio continetur, volentes quod nullus in ipsis partibus se valeat per ignorantiam excusare; fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus sub debito fidei et juramenti nobis et imperio prestiti injungentes quatenus unusquisque vestrum privilegium protectionis ejusdem debeatis solemniter publicare, et auctoritate nostra cunctis precipiatis ab omnibus observari, denuntiantes transgressoribus quod penam in privilegio contentam non evadent. Ipsum vero privilegium ad opus predictorum fidelium et insuper presentes litteras resignabitis portitori, ut industriam singulorum possimus exinde commendare.

Datum Precine, tertio decembris, sexta indictione.

Precinae, 3 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Gregorio papae de individua unione sacerdotii et imperii scribit, suadens ut commissos sibi et

Digitized by Google

papae gladios in perversores fidei et rebelles imperii unanimiter exacuant; mittitque Henricum de Morra et Petrum de Vinea qui una cum Messanensi archiepiscopo et episcopo Trojano papae et cardinalibus suam aperiant voluntatem.

(Edidit RAYNALDUS, *Annal. eccles.*, tom. XXI, ad ann. 1233, § XXV, sed non integre : complementum autem addimus ex HÖFLER, *Kais. Friedr. II*, append. n° XI, e regest. Gregor., lib. VI, n° 268.)

Sanctissimo in Christo patri Gregorio, etc., Fredericus, etc. Languentis orbis infirmitas seduli medici studio destituta ac fere quibuslibet hominum desperata suffragiis, ab illo salutis sue prestolatur antidotum qui cecos illuminat, elisos erigit et desperatos novit curare languores, cujus est ineffabilis cure provisio, cujus est semper previsa curatio, qui tanquam ignota seculi complexione non fallitur, qui nec in elementorum natura decipitur, utpote qui nature dominus et ipsius etiam complexionis actor est; ad medici talis consilium sub sorte non dubia ab orbe recurritur et velut ad suam crisin reducitur, dum ad factoris proprii presidia revocatur in quem illa tam perfecte conveniunt que perfectum medicum faciunt, ut in causarum egritudinis previsione sit sapiens, in instantia cure sollicitus et in pharmaciarum porrectione fidelis, qui ecclesiam suam previdens angustia duplici fatigandam, contraria curando contrariis remedio duplici fidei nostre gravamina sublevanda previdit. Affligitur etenim ecclesia que congregatio fidelium dicitur in falsis fratribus velut in quibusdam vitiis occultis intrinsecus, et extrinsecus publicarum rebellionum incursibus apertis vulneribus laceratur. His duobus non duas, sed unam duplicem provisio celestis apposuit medicinam : unguentum sacerdotalis officii per quod falsorum fratrum intrinseca vitia utpote inficientia nobilem animam spiritualiter curarentur, gladii imperialis potentiam qui vulnera tumida purget acumine et prostratis publicis hostibus quod est infectum aut aridum acie mucronis imperii materialis abscidat. Hec est vere, sanctissime pater, una sed duplex infirmitatis nostre curatio, et quanquam hec duo, sacerdotium et sacrum imperium, vocabulorum appareant nuncupatione discreta, significationis tamen effectu sunt eadem ejusdem originis, divine potentie scilicet initiata

Digitized by Google

principiis, ejusdemque gratie favore fovenda, et quod abominamur exprimere, ejusdem nostre communis fidei subversione tollenda. Quas etenim oves pascet pastor Ecclesie, si gramina fidei desiccantur? Quibus fidelibus sacrum imperium imperabit, si deficiente fide deficiant qui sibi tenentur ex fide? Eadem est ergo, ut necessario repetamus, languentis fidei nostre medela, idem est gladius; sed tamen bis acutus velut proprietate pluralis numeri quo usus est Petrus in Evangelio dicens : « Ecce duo gladii hic, » ut ad litteram et ad oculum alludamus qui ad intellectum hactenus verba retulimus : duo vere sunt gladii, sed una eadem mater ecclesia fidei nostre genitrix est vagina duorum, quod aperte discernere voluisse dicentem significatio propria adverbii localis ostendit. Dum enim *hic* dixit, ostendere voluit quod gladiorum amborum unus est locus, ex quo invincibiliter assumitur et necessario comprobatur quod gladiorum istorum una sit substantia, cum sit impossibile de natura unum et eumdem locum duas posse substantias continere. Profecto vagina eadem hos duos gladios sic effectualiter unum facit quod non aliter unus ab altero integritate alterius servata sejungitur quam pars a toto deducitur absque corruptione subjecti, vel, ut videat oculus quod forte non concipit intellectus, in eadem vagina corporea duobus gladiis conditis, sublato altero, impossibile sequitur quin in vagina residuus non vagetur. Absit a nobis unquam, pater et pastor Ecclesie, non levis aut simplex, immo bruta credulitas quod istud individuum gladiorum, patris et filii unio, recipiat sectionem; immo firmiter credimus et publice profitemur quod nos duo velut pater et filius unum sumus. In hac vera credulitate cordis, in hac sancta profectione sermonis, etsi semper apostolice sedis constantiam fuisse noverimus, nunc tamen et continuo permanere gaudemus, prout paternitatis vestre littere per magistrum P. de Vinea, magne curie nostre judicem, nobis misse testantur. Igitur, beatissime pater, nos duo qui unum dicimur et idem pro certo sentimus, salutem communis fidei unanimiter procuremus, relevemus ecclesiasticam libertatem oppressam, et tam ecclesie jura quam imperii restaurantes, commissos nobis gladios in perversores fidei et rebelles imperii acuamus. Instat enim tempus ut talenta nobis credita duplicemus et duplicata rerum opifici presentemus. Per nos enim quorum

Digitized by Google

ministerio divina potentia utitur, oportet languenti fidei vera et experta medicamina propinari. Tempus autem non patitur nec qualitas egritudinis exigit ut in sophisticis aut artis sophismatibus delectemur. Timendum est enim ne dum horam disputando protrahimus, morbi dispendio natura succumbat. Ascende in montem qui evangelizas Sion, nec dubitet apostolica dextera vexillum defensionis nostre assumere cui gladius auguste potentie, celitus obsequente manu Petri vicarii commendatus, credi non debet ab aliquo defuturus, immo affuturus in omnibus que exaltationem et gloriam fidei christiane, honorem universalis ecclesie, statum imperii respicere dinoscuntur. Pro lucro namque nobis diem ponimus, cum in iis que debito officii imperialis incumbunt necessario vel utiliter laboramus, et ut affectum nostrum vicinus testetur effectus, Henricum de Morra magne curie nostre magnum justitiarium et prefatum magistrum Petrum de Vinea, fideles nostros, ad presentiam apostolice sanctitatis et fratrum duximus destinandos (1), qui una cum venerabili Messanensi archiepiscopo dilecto familiari et fideli nostro et. . . Troiano episcopo circa hec nostram vobis et ipsis in totum aperient voluntatem; quibus ea que vobis ex parte nostra dixerint credere velitis indubitanter.

Datum Precine, III decembris, VI indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem praepositi et capituli Sancti Servatii in Trajecto, privilegium ab Henrico

Apud Precinam, decembri.

---

(1) Praeter ea quae in his litteris tractantur, controversia de negotio Lombardiae tunc in apostolica curia agebatur, ut nos monet Riccardus de Sancto Germano: « Mense novembri de communibus Lombardiae pro compositione cum imperatore facienda legati apud Anagniam veniunt ad dominum papam. — Mense decembri pro facto Lombardorum Henricus de Morra magnus justiciarius ab imperatore ad papam nuncius mittitur; cum quo vadunt magister Petrus de Vinea, magister Petrus de Sancto Germano et magister Benedictus de Isernia, ut cum magistro justitiario coram papa pro parte imperatoris jus ipsius ostenderent. » Legatos tamen non ante mensem januarium anni sequentis profectos esse credimus.

Digitized by Google

quarto Romanorum imperatore anno 1087 eidem ecclesiae indultum, renovat et inserendo confirmat.

(Inedit. ex cop. fere coaetanea apud archiv. Roncioni in Pisa, saltem in eo quod ad confirmationem Friderici secundi attinet. Nam privilegium Henrici quarti ap. Miraeum, *Oper. diplomat.*, tom. IV, p. 186 exhibetur. Nunc collatum damus cum chartulario S. Servat, MSS. in Bibl. reg. Paris., tom. III, fol. 17 rect. et passim. Originali quod apud Hagam-Comitis servatur erat appensum sigillum ex cera alba filis sericis rubri et flavi coloris cum imagine imperatoris sedentis in solio.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Inter cetera pietatis opera que imperialis munificentia jugiter operatur, illud magis factum fore creditur ad salutem quod sacrosanctis ecclesiis in quibus Christi servitium militat indefesse, de affluenti misericordia elargitur. Inde est quod prepositus et capitulum Sancti Servatii in Trajecto fideles nostri per Joannem concanonicum eorum fidelem nostrum quoddam privilegium, indultum eidem ecclesie a quondam Henrico quarto Romanorum imperatore augusto dive memorie predecessore nostro, nostro culmini presentarunt, supplicantes nobis attente ut privilegium ipsum innovare et ea que continentur in ipso eidem ecclesie confirmare de nostra gratia dignaremur. Cujus tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis et victoriosissime crucis et sancte Dei genitricis Marie. Henricus Dei gratia Romanorum imperator augustus omnibus sancte Dei Ecclesie filiis tam posteris quam presentibus gratiam Dei perpetuam et pacem. Quoniam regibus et imperatoribus a Deo in pacem ecclesiarum constitutis sollicitudo esse debet sibi commissis prudenter et strenue providere ecclesiis, dignum duximus ut sicut in statu honoris sui et integritate libertatis adhuc posite sunt conservande, ita dominatione iniqua oppresse, in pauperiem redacte, libertatis honore destitute, sint reformande. Talis ergo et tante sollicitudinis studio, benignitas nostra ecclesiam beati Servatii in Trajecto respiciens, inique et gravi ejus servituti condoluit, nec passa est ulterius eam debita

Digitized by Google

libertate destitui. Pia namque conthoralis nostre et conjugis Berte petitione et principum regni nostri judicio, inique dominationis jugum et omne jus beneficialis servitii predicte ecclesie remisimus, nullique eam ulterius servituram nisi Romanis regibus vel imperatoribus et respectum libertatis perpetue ad sanctum Petrum et Romanam sedem quo jure regalia omnia respiciunt, amplius habituram imperiali auctoritate et banno confirmamus. Donum vero prepositure ejusdem ecclesie nulli concessimus recipiendum nisi ei quem regia vel imperatoria manus in curia et capella sua cancellarium suum ordinaverit. Advocatiam quoque altaris predicti sancti omnibus nisi solis imperatoribus et regibus et prelatis dono eorum ecclesie presidentibus tenendam, imperiali auctoritate et banno contradiximus. Hanc igitur libertatis confirmationem quondam a domino Carolo imperatore factam et multorum episcoporum tunc presentium anathemate firmatam, nos quoque ob meritum sancti et venerabilis Servatii et dignitatem cleri et familie que fere omnis ex ingenua parentum propagine libera traditionis conditione ad proprietatem ecclesie processit, quasi neglectam et violentia quadam destructam conditione predicta renovamus. Sit ergo prepositura ista cum altaris sui advocatia soli regali vel imperiali libertati astricta, ab omni proprietate alterius ecclesie aliena; et jure merito quoniam ipsa viginti episcoporum sedes simul extitit et regalis et imperialis curia. Ducibus quoque et comitibus et ceteris personis nunquam beneficium fiat, sed perpetuo existens libera regali tantum vel imperiali aule deserviat. Hujus autem libertatis consilio aut opere violatores ab episcopis tunc presentibus excommunicatos, reos majestatis nostre et apostolica feriendos sententia, regum et imperatorum persequendos gladio quasi hostes imperii pronuntiamus. Acta sunt hec Aquisgrani palatio, anno dominice incarnationis M° octuagesimo septimo, indictione decima, regnante Henrico imperatore, Conrado filio ipsius duce, anno regni ejus XX° XII°, imperii IIII°, Henrico episcopo Leodiensi, Godescalco Trajectensi preposito, Dudechino decano. Hii affuerunt testes Seguinus Coloniensis archiepiscopus, Limarus Bremensis archiepiscopus, Cunradus Trajectensis episcopus, Herpo Mimengardefurdensis episcopus, Theodoricus Verdiniensis episcopus, Borcardus Lausanensis episcopus, Folmarus Mindiniensis episcopus,

Henricus Padeburinensis episcopus, Henricus Leodiensis episcopus. Hii predicte ecclesie violatores libertatis excommunicaverunt. Hii quoque regni principes affuerunt testes : dux Saxonie Magnus, dux Loctariorum Conradus, marchio Godefridus, Adelbertus comes Henfriginsis, Cuno comes (*a*), Arnoldus comes, Henricus comes de Laco, Godefridus de Kerdo (*b*) comes, item G. filius ejus, cum multis aliis.

Nos ea autem pia moti consideratione quod ecclesia ipsa a nostris predecessoribus recordationis inclite est fundata, volentes eam tanquam nostram cameram specialem [in] suis bonis et libertatibus regere et fovere; attendentes insuper fidem puram et devotionem sinceram quam prepositus et capitulum ecclesie memorate, fideles nostri, erga majestatem nostram hactenus habuerunt ac incessanter habere noscuntur, privilegium ipsum de verbo ad verbum transcribi jussimus et ea que continentur in eo prefate ecclesie de benignitatis nostre gratia perpetuo confirmamus. Ut autem hec transcriptio et confirmatio nostra robur perpetue firmitatis obtineat, presens privilegium scribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Panormitanus et Capuanus archiepiscopi, Ravellensis episcopus, Thomasius Acerrarum comes, marchio Lance, Riccardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. [*Monogramma.*]

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, mense decembris, sexte indictionis, imperante domino nostro Frederico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus tertio decimo, regni Ierusalem octavo et regni Sicilie tricesimo quinto, feliciter. Amen.

Datum apud Precinam (*c*), anno, mense et indictione prescriptis.

(*a*) ap. Miraeum *Adelbertus comes, Henricus, Fredericus, Cono, comites.*

(*b*) ap. Miraeum *Godefridus de Kerclo.*

(*c*) Legitur in pergamena, sed male *Prerinam.*

Digitized by Google

Gebhardus de Arnesten imperialis in Italia legatus et magister Petrus de Vinea imperialis curiae judex, in praesentia imperatoris, ex conquestione syndici universitatis Senensis universitatem Florentiae condemnant in centum millibus marcis argenti fisco imperiali solvendis, pro eo quod ab impugnatione Senensium non destiterunt, item in decem millibus aliis marcis pro eo quod ad curiam responsuri venire contempserunt; mittuntque commune Senensium in possessionem bonorum communis Florentiae usque ad sexcenta millia librarum denariorum Senensium pro reparatione damnorum quae a Florentinis fuerunt perpessi. Apud Precinam, decembri.

(Edidit MURATORI, *Antiquit. Italic. med. aevi*, tom. IV, p. 481, ex transumpto anni 1236, 9 decemb.; nunc accurate collatum cum altero transumpto authent. in archivo comm. Senensis, *Caleffo dell' Assunta*, mater. terza, fol. 59-61.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione ejus millesimo ducentesimo trigesimo secundo et duodecimo (*a*) anno imperii domini nostri Frederici, Dei gratia Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis invictissimi, anno vero regni Sicilie trigesimo quinto et Jerosolymitani septimo (*b*), mense decembris, sexte indictionis, domino Frederico, Dei gratia Romanorum imperatore, Jerusalem et Sicilie rege, ad Precinam solemnem curiam regente, presentibus ibidem Gaybarro de Arnesten in Ytalia legato, Thoma de Aquino comite Acerrarum, Simone Theatino, Manfredo marchione Lancea et Riccardo imperialis aule privato camerario, nec non infrascripto magistro Petro de Vinea magne imperialis curie judice et quampluribus aliis nobilibus et probis viris, Guidottus Luccensis sindicus seu actor comunis seu universitatis Senensis, nomine dicti comunis, de cujus auctoritate et sindicatu

(*a*) Recte *tertio decimo*.

(*b*) Recte *octavo*.

Digitized by Google

legiptime et perfecte curie constitit, proposuit contra comune seu universitatem Florentie quod ipsum comune et universitas pro motu proprie voluntatis destruxit duo castra comunis seu universitatis Sene, videlicet castrum de Selvula et castrum de Quercegrossa; in quorum castrorum destructionem dicit universitatem Sene damnificandam in ducentis milibus librarum denariorum Sene; item quod ipsa universitas Florentie in predictis cabellicatis et aliarum rerum destructione et ablatione damnificavit dictum comune in quadragentis millibus libris ejusdem monete, eundo etiam cum exercitu super dictum comune et terras universitatis ejusdem et comitatus ipsius et incendendo et devastando res et bona Senensium et eorum comitatus; quam injuriam nollet substinuisse dictum comune, melius vellet dedisse de suis quadrigenta millia librarum ejusdem monete; unde dictus sindicus seu actor pro parte et vice universitatis et comunis Senensis a predicta universitate Florentie seu comuni petit sibi fieri justiciam de omnibus supradictis, salvo jure addendi et minuendi. Item accusavit idem Guidottus Luccensis sindicus comunis et universitatis Sene comune et universitatem Florentie quod ipsum comune et universitas pro motu et arbitrio proprie voluntatis movit guerram contra ipsam universitatem, cum exercitu, gente et manu armata assedit castra eorum et expugnavit, videlicet castrum de Selvula et castrum de Quercegrossa, incendia supponendo terris et rebus eorum, omicidia in quamplures de Senensibus committendo, capiendo eosdem et privatum carcerem exercendo in quos captivos; unde petit sindicus ipse pro parte universitatis Sene ipsam universitatem seu comune Florentie de guerra taliter mota secundum jura puniri. Hec acta sunt hoc anno de mense junii proximo preteriti in territorio et comitatu ipsius Sene. Item alio libello petit idem sindicus de incendiis taliter factis universitatem Florentie secundum jura puniri. Item alio libello petit idem sindicus dictam universitatem de exercitu seu gente taliter congregata secundum jura puniri. Item alio libello petit ipsam universitatem de expugnatione taliter facta secundum jura puniri. Item alio libello idem sindicus petit dictam universitatem Florentie de omicidiis taliter commissis secundum jura puniri. Item alio libello idem sindicus petit ipsam universitatem Florentie de eo quod privatum carcerem

Digitized by Google

taliter exercuit in homines Sene, secundum jura puniri. In quibus omnibus libellis intelligatur facta repetitio ejusdem temporis et loci. In eadem preterea curia judex Petrus de Sancto Germano, advocatus fisci, denunptiavit imperiali curie quod cum universitas Florentie fuisset citata ex parte domini imperatoris sub peremptorio sub pena decem milium marcarum argenti ut veniret factura justitiam comuni seu universitati Sene super quibusdam damnis datis, injuriis et rebus aliis, et non venerit in termino sibi prefixo, petit ipsa decem milia marcarum ad opus curie a dicta universitate seu comuni Florentie auferri et exigi seu extorqueri. Denunptiavit etiam idem judex Petrus de Sancto Germano quod cum comuni seu universitati Florentie fuisset injunctum et prohibitum ex parte domini imperatoris sub pena centum millium marcarum argenti ne universitatem seu comune Sene offenderet, spreta tali prohibitione et defensa facta, destruxit castra eorum, expoliavit, homines cepit ipsius comunis seu damna multa intulit ipsi universitati Sene. Unde petit dictus judex Petrus ad opus domini imperatoris dicta milia marcarum argenti ab universitate seu comuni dicte Florentie exigi seu extorqueri, cum fuerit ipsa universitas Florentie super hoc citata sub peremptorio et non venerit justiciam factura. Quibus accusationibus, denunptiationibus et petitionibus in ipsa curia propositis, edicto comone (*sic*) facto et solempniter proposito, quesitum est si in curia ipsa sindicus, procurator aut actor aliquis pro parte Florentinorum aut aliquis alius qui se defensioni ipsorum offerret inveniretur. Nullus apparuit qui vel sindicatum aut procurationem seu aliquam auctoritatem assereret aut defensioni Florentinorum etiam se offerret. Cumque prenominatus Guidottus actor et sindicus universitatis seu comunis Sene, necnon antedictus magister Petrus advocatus et denunptiator pro parte curie instanter instarent adverse partis absentiam et contumaciam incusando, cumque etiam ex rememoratione et testimonio domini nostri imperatoris plene et manifeste constaret antedictum Guidottum actorem et sindicum necnon prefatum magistrum Petrum advocatum fisci et denunptiatorem pro parte curie in festo Omnium Sanctorum, quem terminum judex Peregrinus ejusdem domini nostri imperatoris nunptius partibus sub peremptorio et Florentinis sub banno decem milium

Digitized by Google

marcarum prefixerat, prout per instrumenta publica inde facta in ipsa curia presentata manifeste constabat, se coram presentia ipsius domini nostri imperatoris et curie presentasse et per dies aliquot adverse partis expectando presentiam fuisse moratos, nos suprascripti Gaxbardus de Arnesten imperialis in Italia legatus et magister Petrus de Vinea magne imperialis curie judex, de speciali mandato domini nostri imperatoris, curiam solemniter fecimus congregari de comitibus et baronibus et jurisperitis qui in curia ipsa erant, et diligenti cum eis consilio habito, pronunptiamus in hac forma : Quia constitit nobis per publica instrumenta juris solepnitate vallata nec non ex rememoratione et testimonio judicis Peregrini cui per dominum nostrum imperatorem specialiter commissum fuerat bannum centum millium marcarum imponere Florentinis ne cabalcatas facerent contra Senenses et ne eis damna, injurias vel molestias aliquas facerent, sed jura sua in imperiali curia ordine judiciario persequerentur, prout hoc ipsum etiam de mandato et commissione facta judici Peregrino predicto fuit plene probatum, quod bannum predictum per prenominatum judicem Peregrinum fuit legiptime impositum, prout curie constitit, et est etiam notorium [quod] predicti Florentini et comune Florentie fecerunt cabalcatas, damna, injurias et molestias antedictas Senensibus et comuni Senensium intulerunt; condempnamus ipsum comune et universitatem Florentie in predictis centum millibus marcarum argenti in banno contentis fisco imperiali solvendis, parte ipsius comunis absente per contumaciam habita pro presenti, utpote cum per instrumenta etiam predicta de citatione facta et per judicem Peregrinum etiam constitisset quod de hoc etiam comune Florentie sub peremptorio citatum fuisset ut coram imperiali presentia in termino supradicto veniret de banno predicto in judicio responsurum. Item quia constitit nobis et imperiali curie plene de citatione predicta facta potestati et comuni Florentie sub pena decem millium marcarum argenti per peremptorium ut in prescripto termino ad curiam venire deberent, nec venerunt ut predictum est, spretis banno et pena predictis; condempnamus ipsum comune Florentie in ipsis decem milibus marchis imperiali fisco solvendis. Item quia in evidenti contumacia tam in civilibus petitionibus quam in criminalibus

Digitized by Google

accusationibus contra predictum comune Florentie propositis per sindicum et actorem predictum pro parte comunis Senensium, ipsum comune inventum est formam juris comunis secutum, pronunptiamus ipsum comune Senemictendum in possessionem bonorum comunis et universitatis Florentie pro mensura debiti declarati sexcentarum millium librarum denariorum Senensium pro damno illato universitati ipsius in destructione castrorum Silvule et Quercegrosse et pro damno illato ipsi universitati in comitatu ipsius per devastationes, incendia et depopulationes rerum et bonorum Senensium et comitatus ipsorum, declaratione ipsius debiti facta imperiali curie coram nobis per sacramentum antedicti Guidotti sindici et actoris Senensium, qui specialiter habebat, prout per instrumentum sindicatus et auctoritatis constitit, de jurando mandatum. Pronunptiamus etiam bona comunis et universitatis ipsius Florentie adnotanda juxta ordinem juris, quia peremptorie citati et requisiti pro criminalibus accusationibus antedictis in statuto termino se, ut dictum est, minime presentarunt. Ad cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem, hec omnia qualiter gesta fuerunt nos antedicti Gaybardus et judex Petrus tibi Angelo imperialis curie publico notario in scriptis commisimus redigenda, nostris subscriptionibus roborata.

Acta sunt hec apud Precinam, ibidem domino nostro imperatore presente, anno, mense et indictione prescriptis.

Ego qui supra Petrus magne imperialis curie judex.

Ego Dinus notarius olim Ser Azzini notarii civis Senensis infrascriptus prescripta proxime duo exempla ex auctenticis instrumentis duplicatis sumpsi et fideliter suprascripsi.

Digitized by Google

ANNO 1233. — INDICTIONE 6.

Bari, 26 januarii. Fridericus, Romanorum imperator, ad querelam prioris monasterii Sancti Bartholomaei de Trisulto, Cartusiensis ordinis, justiciariis, camerariis et universis officialibus suis mandat ut in terris demanii sui tam veteribus quam noviter revocatis idem monasterium libertate et immunitate quas ipse concessit, uti pacifice permittant.

(Edid. Tromby, *Stor. del ord. Cartus.*, t. V, append. II, p. 131, n° XII.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, justiciariis, camerariis, bajulis, castellanis et universis officialibus per regnum Sicilie constitutis quibus presentes littere ostense fuerint, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Constitutus in presentia nostra venerabilis prior monasterii Sancti Bartholomei de Trisulto, Cartusiensis ordinis, devotus noster, celsitudini nostre graviter conquerendo monstravit quod cum concess[er]imus prefato monasterio plenam libertatem ut per totum dominium regni nostri liceat prefato priori et fratribus ac hominibus ipsius monasterii liberum habere plateaticum et passagium de personis et rebus eorum, et ut liberum (*sic*) vendant et emant, intromittant et extrahant pro necessitatibus suis sine aliqua datione et aliquo jure quod inde ad curiam nostram spectet, nec non concesserimus et confirmaverimus ipsi monasterio libera pascua pro animalibus suis et necessitatibus, inhibentes ut predictum monasterium, priores et fratres aut successores eorum in personis vel rebus eorum aliquis temere non presumeret perturbare; vos mandatum nostrum ultra que liceat angustantes, in terris que post mandatum ad nostrum sunt dominium devolute non permittitis eos uti illa quam eis in premissis indulti sumus libertate. Cum igitur ipsum priorem et fratres per vos volumus plene celsitudinis nostre dono gaudere, fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus quatenus

Digitized by Google

ipsum priorem et fratres tam in terris que tunc erant in dominio nostro quam et eis que postmodum revocate sunt aut que de cetero ad nostrum dominium devolventur, illa libertate et immunitate permittatis uti pacifice et quiete que in celsitudinis nostre privilegio memorato monasterio concesso expressius continetur.

Datum Bari, XXVI januarii, VI indictione.

Berardus, Panormitanus archiepiscopus, quondam Barensis, altare majus in majori ecclesia Barensi consecrat et dotat possessionibus sub conditione missarum. Apud Barum, 6 februarii.

(Edid. Garruba, *Serie crit. de' pastori Baresi*, t. I, p. 199, ex insculpto marmore olim juxta majus altare affixo et nunc penes dom. de Addosio servato.)

Anno Domini MCCXXXI[II], sexto die februarii, VI indictione, sedente domino Gregorio papa IX, et domino Federico II imperante et regnante Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, dominus Berardus Dei gratia Panormitanus archiepiscopus, et quondam Barensis archiepiscopus, domini imperatoris familiaris, presente domino Marino Barense archiepiscopo et volente, et Bonoconsilio episcopo Bitectense, consacravit presens altare ad honorem beate Virginis juxta iconam ipsius, et dotavit altare ipsum possessionibus et una domo.

Que idem dominus Panormitanus pro remissione peccatorum suorum contulit Barensi capitulo, et prefatum capitulum sponte promiserunt et obligaverunt se et suos successores ad celebrandum missas quatuor qualibet hebdomada in perpetuum super ipsum altare : tres pro anima sua post mortem ejus, sed dum vivit pro peccatis; unam vero qualibet die sabati de beata Virgine tam in vita quam post mortem ipsius, et celebrare anniversarium omni anno die obitus sui, pulsatis campanis; sollemniter lata sententia excommunicationis ab eodem domino Panormitano, presente et auctoritatem prestante domino predicto archiepiscopo Barense, contra eos si predicta negligerent observare.

Digitized by Google

Anagniae, 3 februarii.

Gregorius papa Fridericum Romanorum imperatorem instanter hortatur ut ad loca sibi vicina sine mora et omnibus aliis postpositis veniat contra protervos qui Ecclesiae simul et imperii dignitatem proculcare cogitant.

(Edidit Höfler, *Kais. Friedr. II.* append. p. 338, n° 12, e regest. Gregor., lib. VI, n° 269. Raynaldus vero eamdem epistolam memorans numerum indicat 262.)

Gregorius, etc. Friderico, etc. Qua fide, qua devotione matri debeas, fili carissime, complacere, censemus indignum explicare litteris, cum tibi sit evidens multiplicibus argumentis. Recursum igitur ad exprimendam instantiam necessitatis habentes, cum spem firmam et securam fiduciam habeamus quod tua reputes que contingunt Ecclesie, sive sinistra vel prospera videantur, celsitudinem tuam rogamus, mandamus et hortamur attente quatenus prudenter attendens quod sine injuria filii mater nequeat improborum nequitia lacessiri, presertim cum ad instar lampadis contento (*a*) lumine relucentis, illi honore mutuo debeant radiare (*b*), ad deponendam superbiam protervorum qui velut amentes effecti tam Ecclesie quam imperii dignitatem et conantur impetere et damnabiliter cogitant conculcare, spe sibi proposita quod celesti virtute vel humana potentia eorum nequeat elacio dejici vel protervia vacuari, ad loca nostre vicina presentie te conferas sine mora, ut resistens impiis dextera triumphantis fatuorum faciem ignominia repleas, et tu in extremis terre prepotentie titulo ad tuam et matris gloriam refulgescas. Verum quia hujusmodi negotii qualitas alicujus exceptionis obstaculum non admittat, volumus ut illam, etiam si ex eminentibus tibi negotiis consurgere videatur, in medium non producas, sed nostram et tuam exurgas injuriam vindicare; sciturus quod

(*a*) Ap. Höfler *contemto.*
(*b*) Ibidem *radicare.*

Digitized by Google

si divina potentia in virtute tua cornua confregerit hujusmodi superborum, satis sunt expediri facilia que tuis apparent beneplacitis aliena.

Datum Anagnie, III nonas februarii, anno VI°.

Gregorius papa Friderico Romanorum imperatori conqueritur quod licet nuntii ejus ipsum ad defensionem patrimonii beati Petri paratum ostenderint, nunc tamen ad partes Siciliae se convertat. Unde rogat ut cum Apostolica Sedes auxilio indigeat festinato, nullius occasionis dilatio intercedat. Anagniae, 10 februarii.

(Edid. HÖFLER, *Kais. Friedr. II*, append. p. 339, n° 13, e regest. Gregor., lib. VI, epist. 289.)

Gregorius, etc. Friderico, etc. Nuper audito per relationem venerabilis fratris nostri archiepiscopi Messanensis et dilectorum filiorum nobilium virorum Henrici de Morra imperialis justitiarii et Petri de Vinea (*a*) imperialis aule judicis, nuntiorum tuorum, quod ad defensionem fidei et conservationem ecclesiastice libertatis ac tuitionem beati Petri patrimonii viriliter te parabas, exultavimus pro te in Domino et ei gratiarum retulimus actiones. Sed quanto majus attulerit gaudium hujusmodi letus rumor et fama jocunda, tanto majori sumus dolore turbati quod, sicut audivimus, premissis defensione ac tuitione postpositis et omissis imperii negotiis quibus te oportuerat imminere, ad partes Sicilie te convertis (1). Utrum

(*a*) Apud Höfler *Petri de Vineis*.

---

(1) « Anno Domini MCCXXXI (1232), quinta indictione, dominus imperator misit ipsas constitutiones suas per totum regnum et in Siciliam per dominum Riccardum de Montenigro qui erat magister justiciarius Siciliae. Et in eodem anno, mense augusti, dicte indictionis, Martinus Ballonus se rebellavit contra dominum imperatorem cum aliquantis hominibus Messanae, et ipse magister justitiarius arripuit fugam. » *Annal. sicul.* sive *Append. ad Galf. Malat.*, ap. MURATOR., *Script.*, V, 603. De hac Siculorum rebellione quae dimidiam insulam subvertit, cf. RICC. DE S. GERM., *Chronic.* ad ann.

Digitized by Google

autem in hoc imperialis discretio discrete provideat, tua circumspectio equo libramine moderetur. Cum itaque ad te tanquam principalem defensorem Ecclesie, tum ratione regni quod obtines ab eadem, tum etiam imerii propter quod ejusdem Ecclesie defensor existis, ac specialis affectionis quam ad personam tuam habere dinoscitur, ipsius defensio pertinere noscatur, te sicut charissimum in Christo filium ac defensorem ejusdem in hoc necessitatis articulo duximus requirendum. . . . . .

. . . . . .

extento brachio matri tue studeas subvenire, et cum Apostolica Sedes auxilio indigeat festinato, nullius occasionis dilatio intercedat.

Datum Anagnie, IV idus februarii, anno VI°.

Apud Canusium, februario.

Fridericus, Romanorum imperator, Eberhardum abbatem de Salem et monasterium ejus cum personis et rebus in protectione sua speciali recipit, omnia eorum privilegia confirmans et specialiter immunitatem eisdem ab Henrico filio suo concessam.

(Edidit Lunig, *Spicileg. ecclesiast.*, pars III (*Reichsarchiv*, XIX), p. 512, sed mendose, cum initium pluraque desint et indictio male notetur. Coll. nunc cum *Cod. diplom. Salem.*, II, XXIV, p. 28, in arch. Karlsruhensi.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Auguste clemencie solium ad tuicionem ecclesiastici status divina providentia solidatum erga ea loca potissime christiane religionis insigniis presignita uberiori gratia debet oculos sue provisionis advertere, in quibus laudabilis et monastice vite preelectio indesinentem cultum divine celebritatis inducit, ut illud terrenis thesauris suis peculiarius estimet reservatum, per quod ad sustentationem ibidem servientium attributum thesaurizat in celis. Que diligenti meditatione pensantes (*a*), attendentes nichilominus conversationem laudabilem Ebirhardi abbatis de

(*a*) Totum prooemium a verbis *Auguste clementie*, usque nunc ap. Lunig deest.

Digitized by Google

Salem, Cisterciensis ordinis, et monachorum cum eo famulantium Deo vivo, monasterium ipsum una cum omnibus possessionibus suis ac personis tam ecclesiasticis quam mundanis nec non et omnibus juribus eidem ecclesie pertinentibus (*a*), sub nostra et imperii protectione recipimus speciali; confirmantes eidem omnia privilegia, immunitates et libertates monasterio ipsi a nobis vel progenitoribus nostris dive recordationis concessa; specialiter autem gratiam karissimi filii nostri H. illustris Romanorum regis gratiosius prosequentes, concedimus et confirmamus eidem privilegium ejusdem filii nostri (1), per quod eis talis conceditur immunitas et libertas ut homines habitantes in domibus quas habent in Ezzelingen et in Ulma (*b*) in nullis datiis, talliis, precariis aut quibuscumque collectis ad requisitionem nostram seu successorum nostrorum vel quorumcumque officialium conferre cum alliis (*sic*) teneantur, sed a predictis omnibus tam loca prefata quam homines libera et immun[i]a in perpetuum conserventur. Statuentes ut nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra hanc nostre concessionis et confirmationis gratiam venire presumat. Quod qui fecerit, preter indignationem divine majestatis et nostram, centum libras auri, medietate injuriam passis, medietate nostro erario inferenda, se noverit esse multandum. Ad hujus itaque nostre concessionis et confirmationis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus insigniri (*c*).

Data apud Canusium, anno Domini M°CC°XXXIII°, mense februario, indictione sexta (*d*).

(*a*) Ibi quoque ap. Lunig lacuna.

(*b*) *Quas habent in Ezzelingen et in Ulma,* tum ap. Lunig, tum in ipso privilegio Henrici desunt.

(*c*) Haec ultima verba *Ad hujus* usque ad *insigniri* ap. Lunig quoque desunt.

(*d*) Ap. Lunig *septima;* male,

(1) Cf. supra, tom. III, p. 400, privilegium de anno 1229, 23 octobris.

Apud Politorum, martio. Fridericus, Romanorum imperator, Conrado filio suo civitatem Gaietae cum pertinentiis ejus concedit, et quosdam nobiles qui Ecclesiae contra ipsum adhaeserant eidem in vassallos donat.

(Memorat. in *Summ. privileg. Eccl. Rom.*, ex cod. card. Ottobon. ap. Martene, *Ampl. coll.*, t. II, col. 1243; coll. cum *libr. cens.*, ap. Murator., *Antiq. Ital.*, t. VI, p. 76 et seqq., et cum *Inventar. MSS.* arch. Arnaldi, in Bibl. reg. Paris., *Anc. fonds latin*, n° 5181, fol. XIII verso. — Datum quoad transumptum Lugduni, III idus julii, pontificatus Innocentii IV anno III, et ejus bulla plumbea bullatum multisque sigillis praelatorum sigillatum.)

Littera Friderici Romanorum imperatoris, Jerusalem et Sicilie regis, continens quod ipse concedit et donat Conrado regi filio suo civitatem Gaiete cum omnibus pertinentiis, justitiis et rationibus suis. Concedit etiam et donat eidem in vassallos cum omnibus terris, villis et castris quosdam nobiles ibidem nominatos, scilicet Rogerium de Galluccio, Raynonem de Prata, dominum Popoleti, etc., et omnes alios barones qui tempore turbationis inter ipsum Fredericum et Ecclesiam mote contra ipsum Ecclesie adheserant antedicte, et sunt usque hodie sub forma pacis. . . . . .

Datum apud Politorum (1), [anno dominice incarnationis] M°CC°XXXIII°, mense martii. . . . . .

Apud Messanam, aprili. Mense aprilis, imperator Messanam intrat et de quodam Martino Mallone, qui caput fuerat motae seditionis in populo, et ejus com-

(1) « Mense januario, imperator omnibus generaliter praelatis, comitibus, baronibus, militibus tam feudatis quam non feudatis mandat ut ad se cum toto servitio quod facere tenentur apud Politorum in futuris kalendis februarii accedere sint parati. » Ricc. de S. Germ., ad ann. 1233. Legendum autem *Policorium*, hodie *Policoro*, locus scilicet in Basilicata ad ostium fluminis Acri, ad rudera veteris Heracleae. Cf. supra, p. 388.

Digitized by Google

plicibus sumsit debitam ultionem; de quibus quosdam suspendio et quosdam incendio condemnavit. RICC. DE S. GERM., *Chronic.* ad ann.— Anno Domini MCCXXXII (1233), sexta indictione, dominus imperator mense aprilis venit Messanam et succendit dictum Martinum Bellionum; et in eodem anno similiter fecit apud Syracusam et Nicosiam. *Annal. Sicul.* sive *Append. ad Galfr. Malat.*, ap. MURATOR., *Script.*, t. V, p. 603.

Messanae, 8 mali.

Fridericus, Romanorum imperator, ad requisitionem Leonardi Cavensis abbatis, Robberto Malerbae provisori castrorum suorum in Principatu mandat ne homines casalis Caveae ad reparandam Roccam suam Pimontis venire compellat, nisi prius inquisitione diligenti facta; quam idem Robbertus, interrogatis fidelioribus et veteribus hominibus Nuceriae et Roccae Pimontis, in scriptis publicis redigi jubet.

(Inedit. ex pergamena originali in archivo monast. Cavensis, arca LXX, n° 135.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, Robberto Malerbe provisori castrorum suorum Principatus, fideli suo, gratiam suam et bonam voluntatem. Constitutus in presentia nostra Leonardus venerabilis monasterii Cavensis abbas, fidelis noster, majestati nostre conquerendo proposuit quod tu compellendo requiris homines suos casalis Cavee venire ad reparandam Roccam nostram Pimontis (1), sub pretextu cujusdam inquisitionis minus solenpniter facte per quosdam homines Nucerie et ejusdem Rocce, cum nunquam

(1) In vere hujus anni, ut monet Riccardus de S. Germano, jusserat imperator reaedificari seu muniri Luceriam, et castra Trani, Bari, Neapolis et Brundusii. Ex hoc documento arbitrari licet generale fuisse mandatum omnibusque imperialibus castris applicandum.

Digitized by Google

temporibus felicium regum ad reparationem Rocce predicte vel alicujus alterius castri nostri predicti homines, sicut asserit, tenerentur. Nolentes igitur quod homines casalis predicti ad ejusdem Rocce vel alterius cujuslibet castri nostri reparationem indebite compellantur, super hiis per te inquiri volumus iterum diligentius veritatem; fidelitati tue mandantes quatinus inquiras super premissis per fideles et veteres homines regionis ipsius solempniter veritatem, et quicquid inde inveneris sub sigillo tuo fideliter in scriptis redactum curie nostre transmictas. Interim tamen homines casalis predicti super reparationem Rocce predicte vel alterius castri nostri aliquatenus non compellas. Datum Messane, octavo madii, sexte indictionis.

Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo tertio, et tertio decimo anno imperii domini nostri Frederici, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et regni Sicilie et Italie gloriosissimi regis, die lune vicesimo quinto mensis julii, sexte indictionis, ego Robbertus Malerba provisor castrorum imperialium Principatus et Terre Beneventane, veniens apud Nuceriam pro mandato suprascripti domini nostri imperatoris Frederici efficaciter totis viribus exequendo, juxta tenorem litterarum dicti domini nostri Cesaris superius exemplatarum, feci jurare super sancta Dei Evangelia sine fraude de fidelioribus et veteribus hominibus ipsius terre Nucerie in presentia mea, Guillelmi de Turione et Johannis de Alderisio judicum Nucerie et Bernardi puplici Avellini notarii et alterius Johannis judicis Rocce Pimontis, presentibus testibus subscribendis, videlicet judice Barcho Ungaro et Guilielmo filio Osmundi castellano castri ipsius Rocce ad hoc specialiter rogatis, ut omisso penitus mendacio dicerent super hiis de quibus interrogati fuerint diligentius veritatem; ita quod neque pro amicitia, inimicitia, parentela, odio vel timore dicerent aliud quod superius est notatum; et sic feci jurare pro reparatione castri predicte Rocce per homines casalis Cavee homines inferius denotatos. Et primo Petrus notarius de Sancto Mattheo juratus et interrogatus si vidisset tempore felicium regum homines predicti casalis Cavee venire ad reparandum castrum predicte Rocce vel in aliqua parte ipsius castri, testificando dixit penitus se nescire.

Digitized by Google

Presbyter Alexius juratus et interrogatus dixit idem per omnia quod notarius Petrus. Jaconus Peregrinus juratus et interrogatus dixit idem per omnia quod proximus. Johannes Amalfitanus, etc. [*ut supra*], Martinus Barbellus, etc., Johannes Muscardus, etc., Petrus de Actenasio, etc., Jacobus Neapolitanus, etc., Cioffus Serviens, etc., Petrus de Palomba, etc., Gregorius de Sancto Pasco, etc., Scornavacca, etc., Perfectus, etc., Guilielmus Cabalerius, etc., Bernardus de Cicero, etc., Lando Calamarus, etc. Illud idem inveni per subscriptos homines Rocce Pimontis sequenti die martis coram magistro Johanne judice de eadem Rocca et testibus supradictis ac etiam altero teste Peregrino sutore de eadem Rocca, specialiter per dominum Ugonem de Rocca, Guillielmum de Thomasio, dompnum Nicolaum, Petrum de Abanza, Johannem de Barcho de Ferrano, Palmerium de Angelo, dompnum Abundantem, Nicolaum Villanum, Marcum Minutorem, Thomasium de Benedicto et Leonardum de Nicolao. Que omnia ego dictus Robbertus per manus prenominati Bernardi puplici Avellini et mei notarii et predictus (*sic*) in predicto judicio feci in presenti pagina in scriptis redigi subsignationibus jamdictorum judicum et testium roborata, unum ad preces dicti domini abbatis et hominum suorum casalis Cavee et cautelas. Jamdictam inquisitionem factam per te Matheum puplicum notarium Nucerie in hac pagina exemplari feci, sigillo meo sigillatam et ad preces et consensum meum subscriptionibus predictorum judicum, jamdicti Mathei notarii et predictorum testium roboratam, salvo mandato imperiali. Quod superius disturbatum est legitur Bernardi puplici Avellini notarii.

† Ego qui supra Guilielmus judex.

† Ego qui supra Johannes judex.

† Ego judex Barchus Ungarus qui interfui, testis sum.

† Ego magister Guilielmus qui rogatus interfui, testis sum.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem fratris Symboitonis de domo Theutonicorum et ex litteris archiepiscopi

Messanae, maio.

Bremensis, burgensibus Stadensibus fidelibus suis immunitatem thelonei per totam Bremensem dioecesim concedit de rebus eorum et mercimoniis in eundo et redeundo.

(Edidit Schmid, *Origin. Guelfic.*, tom. III, tab. 30 ad pag. 666, sub forma facsimilis ex origin. in tabular. Stadens. optime exsculpti, cum bullae aureae effigie et inscriptione quae ita sonat : † FRIDERICVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS REX IERLEM ET SICILIE — † ROMA CAPVT MVNDI REGIT ORBIS FRENA ROTVNDI. — Reperitur quoque ap. Pratje, *Uber Bremen und Verden*, VI, 111.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris quod frater Symboitonus de domo Theotonicorum, fidelis noster, nostro culmini supplicavit quatenus per totam Bremensem diocesim dignaremur sue supplicationis optentu concedere de gratia nostra burgensibus Stadensibus thelonei libertatem. Nos autem receptis inde litteris dilecti principis nostri venerabilis Bremensis archiepiscopi, continentibus gratissimum fore sibi quicquid gratie dictis burgensibus conferremus, ad supplicationem predicti fratris Symboitonis concedimus universis burgensibus Stadensibus fidelibus nostris ut amodo per totam Bremensem diocesim de rebus et mercimoniis que emerint et vendiderint in eundo et redeundo utantur thelonei libertate et ab omni exactione thelonei liberi maneant et immunes; presentis scripti auctoritate mandantes quatenus nullus ministerialis, officialis, advocatus, scultetus, nullaque persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra tenorem presentis concessionis nostre ipsos burgenses Stadenses de indulta sibi libertate ipsius thelonei per predestinatam diocesim impedire vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus itaque concessionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presentem divalem paginam fieri et bulla aurea tipario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : B. Panormitanus et J. Capuanus archiepiscopi, marchio Manfredus Lancia, Conradus comes de Pheyngen, Henricus de

Digitized by Google

Lupfe, Henricus de Choffesberch, Guillelmus marchio de Prosuynch, Conradus de Ulme cognominatus Havender, et L. imperialis aule camerarius.

Datum Messane, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo tertio, mense madii, sexta indictione, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia illustrissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, Romani imperii ejus anno tertiodecimo, regni Jerusalem octavo, regni vero Sicilie tricesimo quinto, feliciter. Amen.

Gregorius papa Friderico Romanorum imperatori notum facit qualiter secundum formam arbitrii in suas manus positi, pacem inter ipsum et Societatem Lombardiae restauraverit; eumque hortatur ut hanc concordiam ratam habeat et a filio suo ratam haberi faciat. Laterani, 5 et 7 junii.

(Edidit PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 299, ex regest. Gregor. IX, anno VII, n° 146.)

Gregorius, etc., carissimo in Christo filio Friderico illustri Romanorum imperatori, etc. Cum jamdudum inter te ex parte una et societatem Lombardie, Marchie et Romaniole ex altera super quibusdam articulis exprimendis inferius, inimico homine superseminante zizania, gravis discordia orta esset, nos attendentes animarum pericula, strages corporum, dampna rerum et ecclesiarum ac religiosorum locorum exitia que possent ex hujusmodi discordia obvenire, et quod res nisi obsisteretur principiis multum esset allatura discriminis et in malum altius progressura, cepimus inter te et eamdem societatem pacis consilia cogitare. Quapropter futuris obviare periculis cupientes, dilectos filios nostros J. Penestrinum electum et O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem ad partes Lombardie, commisso eis plene legationis officio, propter hoc providimus destinandos; quibus ad bonum pacis interponentibus efficaciter partes suas

post labores multiplices utraque pars in cardinales eosdem Ecclesie Romane nomine solempniter compromisit. — Forma vero compromissi hec est : In nomine Domini. Amen. [*Sequitur de verbo ad verbum, sicut supra* p. 348, *usque ad* in sua semper maneant firmitate. Ego magister Rolandinus de Padua imperialis majestatis notarius, etc.] Procuratoribus igitur partium propter hoc in nostra presentia constitutis, ex parte tua extitit propositum coram nobis quod te societas Lombardie, Marchie ac Romaniole gravissime offendisset, pro eo videlicet quod curiam tuam quam Ravenne indixeras pro Terre Sancte succursu, dispositione imperii et quibusdam necessariis et honestis aliis impedivit, non permittendo ad te filium tuum et principes Alemannie per vias seu stratas imperiales venire. Procuratoribus societatis ejusdem e contrario proponentibus societatem ipsam nullas tibi offensas nullasque injurias intulisse, sed si qua fecerunt, dicebant ea ob propriam defensionem fecisse. Nos itaque hiis et aliis que fuerunt hinc inde proposita plenius intellectis, communicato fratrum nostrorum consilio, de providentia sic duximus ordinandum ut videlicet tu tuo et filii tui ac imperii nomine hiis qui sunt de societate predicta et universaliter singulis et singulariter universis civitatum et locorum, quorum nomina in compromisso specialiter sunt expressa et qui postea infra tempus ibidem provisum se per simile compromissum nostro arbitrio commiserunt, remittas omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas; omnia quoque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta que occasione hujus discordie fecisti vel imposuisti per te vel per alium, aliusve pro te societati vel alicui de societate jamdicta, civitatibus, locis et personis de ipsa societate et quecumque ex eis vel ob ea secuta sunt penitus revoces, universos et singulos qui occasione alicujus predictorum lesi videntur, restituens in integrum in omnibus et per omnia suo statui atque fame, remittendo nichilominus infamiam omnem et penam que secute sunt ex aliquo premissorum; ita quod ea que medio tempore per eos acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant quod alias debuerant obtinere. Ad hec civitates, loca et personas de ipsa societate in compromisso contentas in plenitudinem gratie tue recipias et eis facias firmam pacem, specialiter nobili viro... marchioni Montisferrati, Mediolano,

Digitized by Google

Brixie, Bononie, Placentie, Padue, Cumis, Mantue, Ferrarie, Faventie, aliisque locis et personis quibuslibet societatis ejusdem. Facias etiam fieri patentes litteras ex parte filii tui quod pacem et concordiam istam ratam habebit et firmam, et remittet illis de societate omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas. Hii autem qui sunt de societate prefata ad honorem Dei omnipotentis et Ecclesie sue ac tuum dent pro subsidio Terre Sancte in expensis societatis predicte per biennium milites quingentos ituros in termino quem Romana Ecclesia duxerit prefigendum, quos in eundo, morando et redeundo Ecclesia Romana sub speciali protectione suscipiet cum omnibus bonis suis; ac civitatibus, locis et personis imperiali excellentie adherentibus tam ecclesiasticis quam mundanis firmam pacem inviolabiliter servent, remittentes eis omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas, ac revocent omnia banna, constitutiones, sententias et ordinamenta que discordie occasione premisse fecerunt vel imposuerunt civitatibus, locis et personis imperiali celsitudini adherentibus et quecumque ex eis secuta sunt vel ob ipsa. Ceterum alia que in ejusdem compromissi serie continentur nostre providentie reservamus. Ideoque serenitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attentius ac sub predicta pena mandamus quatinus predicta omnia pro parte tua serves, sicut imperialem decet constantiam, inconcussa, et super hoc nobis juxta tenorem quem tibi transmittimus, tuas et filii tui cures usque ad festum beati Michaelis proximo futurum patentes mittere litteras excellentie tue ac suo typario insignitas.

Datum Laterani (1), nonis junii, anno septimo.

In eumdem modum scriptum est rectoribus Societatis Lombardiae, Marchiae et Romaniae, verbis competenter mutatis; dat. Laterani, septimo idus junii, anno septimo. Quam sententiam ediderunt Savioli, *Annal. Bologn.*, t. III, p. 126,

(1) « Mense martii senator cum nonnullis de majoribus Urbis ad papam apud Anagniam vadunt. Quorum inductus precibus cum quibusdam ex cardinalibus ad Urbem vadit, ubi cum honore maximo Romanorum receptus est, et pars reliqua cardinalium apud Anagniam remansit. » Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann. Cf. *Vit. Gregor. IX*, ap. Muratori, *Scriptor.*, t. III, p. 579. Ex ipsis autem papae litteris eum Laterani morantem circa finem martii invenimus.

Digitized by Google

et Muraton., *Antiq. Ital.*, t. IV, p. 326, ubi extant litterae quas ea, ut Muratorius opinatur, occasione rectores Societatis ad Romanum pontificem conscripsere, et ita concipiuntur:

Brixiae. Sanctissimo patri et domino Gregorio Dei gratia sacrosancte Romane Ecclesie summo et universali pontifici, rectores societatis Lombardie, Marchie et Romanie et universitates et communia et singuli predicte societatis oscula pedum et promtum in omni genere famulatum. Que pro bono pacis sunt a compositore amicabili ordinata et maxime a tanto domino qui preest in justitia debita universis, approbari rataque haberi debent et inviolabiliter observari. Litteras quas vestra nobis sanctitas destinavit super pace et concordia per vestram clementiam facta et precepta inter missos et procuratores domini Frederici Romanorum [imperatoris] serenissimi et semper augusti, et regis Hierusalem et Sicilie ex una parte et procuratores et syndicos societatis predicte et singulos illius societatis ex altera, devotione et debita reverentia recepimus; earumque tenore plenius intellecto, habito quoque super his deliberato consilio et tractatu, et de voluntate et consilio communium et universitatum singularum predicte societatis, sigillis quorum littere iste sunt corroborate, pietati vestre voluntatem et responsionem nostram taliter super his duximus exprimendam: videlicet quod pacem illam ratam habemus, ipsamque volumus observare. Remittimus insuper omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas, et revocamus omnia banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que occasione premisse discordie si quas vel si que fecimus vel imposuimus civitatibus, locis vel personis imperiali celsitudini adherentibus, et quecumque ex eis vel ob ipsa hactenus sunt sequuta. Et has litteras jussimus per manum infrascripti notarii scribi cum ejusdem subscriptione et testium confirmatione; unde plures charte uno tenore scripte sunt.

Ego Guillelmus de Sexto qui et Abbas dicor, filius quondam Alberti de Sexto civis Mediolanensis, publicus notarius, scripsi ex mandato predictorum rectorum mihi facto in palatio communis Brixie, ubi predicti rectores convenerant. Et hoc presentibus testibus ibi rogatis Petro de Lanzano notario de Placentia, et Beraldo de Coalunga notario de Padua et Petro Franzigena notario de Cario.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, Gregorio papae nuntiat se contra haereticos regni sui manifeste convictos poenam incendii decrevisse, et cuilibet justiciario mandasse ut cum uno praelato de statu regionum super hoc inquirat; hortaturque papam ut suum erga caeteros haereticos Italiae et imperii propositum efficaciter adjuvet. Messanae, 16 junii.

(Edidit HÖFLER, *Kaiser Friedr. II*, docum. p. 344, n° 16; collat. cum papali regesto in Bibl. reg. Paris. (fonds Laporte du Theil), ann. VII, n° 243, ubi notae chronologicae rectius exhibentur, cum Höfler perperam 15 *julii* legerit.)

[Sanctissimo, etc., Gregorio Dei gratia, etc., Fredericus, etc.] Ut Regi regum de cujus nutu feliciter imperamus, quanto per eum hominibus majora recipimus, tanto magnificentius et devotius obsequamur, et obedientis filii mater Ecclesia videat devotionem ex opere, pro statu fidei christiane cujus sumus tanquam catholicus imperator precipui defensores, novum opus assumpsimus ad extirpandam de regno nostro hereticam pravitatem que latenter irrepit et tacite contra fidem. Cum enim ad nostram audientiam pervenisset quod, sicut multorum tenet manifesta suspicio, partes aliquas regni nostri contagium heretice pestis invaserit et in locis quibusdam occulte latitant errorum hujusmodi semina rediviva, quorum credidimus per penas debitas extirpasse radices, incendio traditis quos evidens criminis participium arguebat, providimus ut per singulas regiones justiciarius cum aliquo venerabili prelato de talium statu diligenter inquirant, et presertim in locis in quibus suspicio sit hereticos latitare, omni sollicitudine discutiant veritatem (1). Quidquid autem invenerint fideliter redactum in scriptis sub amborum testimonio serenitati nostre significent ut per eos

(1) « Item alias [mense julio] ad Casertanum episcopum litteras mittit pro inquisitione facienda haereticae pravitatis ut tam Paterenos quam eorum fautores quos invenerit hujus cri-

Digitized by Google

instructi, ne processu temporis illic hereticorum germina pullulent ubi fundare studemus fidei firmamentum, contra hereticos et fautores eorum si qui fuerint animadversione debita insurgamus. Quia vero supradicta vellemus per Italiam et imperium exequi, ut sub felicibus temporibus nostris exaltetur status fidei christiane et ut principes alii super his Cesarem imitentur, rogamus beatitudinem vestram quatenus vos ad quem spectat relevare christiane religionis incommodum, ad tam pium opus et officii vestri debitum exequendum diligentem operam assumatis [et] nostrum si placet efficaciter coadjuvandum propositum, ut de utriusque sententia gladii quorum de celesti provisione vobis ac nobis est collata potentia, subsidium non dedignetur alternum, hereticorum insania feriatur qui in contemtum divine potentie contra matrem Ecclesiam de perverso dogmate sibi gloriam arroganter assumunt.

Datum Messane, XV junii, indictione VI.

Messanae, junio. Fridericus, Romanorum imperator, Berardo archiepiscopo et ecclesiae Panormitanae, in excambium domus apud Messanam ab eis receptae, concedit et donat vineam de Comitaria in flumaria de Camaris, quam olim Temonerius proditor suus tenuit.

(Edid. Mongitore, *Bullae, privileg. et instrum. Panormit. ecclesiae*, p. 103, ex autographo unde pendebat sigillum cereum filis sericis rubris appensum.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidem puram, devotionem laudabilem et accepta servitia que tu Berarde, vene-

---

minis reos sub suo et justiciarii Terrae Laboris testimonio sibi debeat intimare. » Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann.

Digitized by Google

rabilis Panormitane archiepiscope, dilecte familiaris et fidelis noster, celsitudini nostre semper exhibuisti et exhibes incessanter, recepta a te et ecclesia Panormitana domo quam apud Messanam ante palatium nostrum pro parte ipsius ecclesie tue habebas (1), concedimus et donamus tibi, successoribus tuis et ecclesie Panormitane in perpetuum in causam permutationis pro eadem domo vineam de Comitaria quam olim Temonerius, filius quondam Joannis Miscitata, proditor noster, tenuit apud Messanam in flumaria de Camaris (2) cum omnibus pertinentiis suis : que vinea cum bonis omnibus dicti proditoris nostri, pro commisso crimine juste dampnati, fuit ad nostram curiam devoluta; ut tu et successores tui perpetuo vineam ipsam habeatis et possideatis absque ullo servitio et faciatis de ea et in ea quod vobis et ecclesie Panormitane utile videatur, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus autem concessionis et donationis nostre memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Messane, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo tertio, mense junii, sexte indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus quartodecimo (*a*), regni Jerusalem octavo, regni vero Sicilie tricesimo quinto (*b*), feliciter. Amen.

(*a*) Rectius *tertio decimo.*

(*b*) Rectius quoque *tricesimo sexto.*

---

(1) Hanc domum ecclesiae Panormitanae et Hugoni ejusdem archiepiscopo dederat Gulielmus rex, mense junio 1159. Cf. *Ibidem*, p. 41.

(2) Scilicet torrens apud Messanam duobus ferme passuum millibus ad meridiem ab urbe distans. Fazellus, *Decad.* I, lib. 2, cap. 2, p. 48. Hanc exinde vineam archiepiscopus Berardus concessit Johanni de Lauro, ejus vita durante, pro censu annuo unius unciae auri, ex instrumento dato Cremonae, coram magistro Petro de Vinea imperialis curiae judice et Angelo Capuae notario, mense decembris 1237. Vid. Mortillaro, *Catalog. ragion. dei diplomi dell. cath. di Palermo,* t. I, p. 407.

Catanae, junio. Fridericus, Romanorum imperator, Machario electo et conventui Sancti Salvatoris apud Messanam omnia privilegia a praedecessoribus suis eidem monasterio indulta confirmat.

(Edit. sed partim, apud Pirrum, *Sicil. sacra*, t. II, p. 982.)

Fridericus, etc., semper augustus et rex Sicilie, etc. . . . . .
. . . . . .
Attendentes laudabilem conversationem et honestam vitam Macharii venerabilis electi et monachorum monasterii Sancti Salvatoris, fidelium nostrorum, et devota servitia que majestati nostre exhibuerunt, confirmamus ei omnia privilegia felicium regum predecessorum nostrorum regis Rogerii, Guillelmi I et II et divorum augustorum parentum nostrorum Henrici imperatoris et Constancie imperatricis recolende memorie, cum omnibus que in iisdem privilegiis continentur. Ad hujus confirmationis robur, presens privilegium per manus Jacobi de Leontino notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario nostre majestatis impressa munimus (*sic*).

Datum Catane, anno incarnationis dominice MCCXXXIII, mense junio (1), regni Sicilie XXXV (*a*), Hierusalem VIII, imperii XIII.

(*a*) Ita; sed legendum recte *XXXVI*.

(1) « Mense junio imperator castrum quoddam in Sicilia quod Centurbium dicitur sibi rebelle vi cepit et destruxit, et incolas ad loca compulit alia demigrare. » Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann. Si fides Fazello adhibeatur, Centurbienses apud Augustam morari coacti sunt; quam urbem Fridericus imperator tunc temporis a fundamentis extruxit, ut duae monent inscriptiones arcis Augustanae portis insculptae. Quarum una :

AUGUSTAM DIVUS AUGUSTUS CONDIDIT URBEM
ET TULIT UT TITULO SIT VENERANDA SUO.
TEUTONICA FREDERICUS EAM DE PROLE SECUNDUS
DOTAVIT POPULO, FINIBUS, ARCE, LOCO.

Digitized by Google

Gregorius papa consulibus et populo Gaietano formam pacis transmittit quam pro ipsorum commodo conclusit, monens ut intiment si eam duxerint acceptandam, et privilegium ipsis ab Apostolica Sede indultum remittant. Lateran., 23 junii.

(Inedit. ex autographo regest. Gregorii IX, ann. VII, epist. 211, in archivo Vaticano.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, etc., consulibus et populo Gaietano, etc. Quietem et profectum civitatis vestre intimo zelantes affectu, que vobis profutura cognoscimus qua possumus sollicitudine promovemus (1). Hinc est quod vobis pacem procurare volentes, ipsius formam

---

Ex altera vero tempus praecise notatur :

HUJUS APEX OPERIS EX MAJESTATE DECORIS
DENOTAT AUCTOREM TE, FREDERICE, SUUM.
TUNC TRIA DENA, DECEMDUO, MILLE DUCENTA TRAHEBANT
TEMPORA, POST GENITUM PER NOVA JURA DEUM.

Ita Fazellus, *Decad. prior.*, lib. III, cap. 4. Ex diplomate autem Friderici Aragonensis, dato Cataniae, 3 januar. 1298, XII indictione (ap. TESTA, *De vit. et reb. gest. Frider. II*, monum., n° IX, p. 244), quid imperator de finibus Augustae tribuendis tunc jusserit, comperimus. « Concedimus, » inquit rex, « quod territorium seu tenimentum terrarum quod illustris domi» nus imperator Fridericus dive memorie, proavus noster, *tempore nove constitutionis* et pro » liberatione terre Auguste, de manibus civium predictorum civitatis ipsius [Syracusarum] » ademit ac territorio dicte terre Auguste attribuit, subducatur et eximatur de eodem territorio » et pertinentiis Auguste, et in territorio et pertinentiis dicte civitatis Syracusarum restituatur » et applicetur omnino. »

(1) Cum cardinales, tempore pacis apud Sanctum Germanum conciliatae Gaietanos ad imperatoris vota flectere nequivissent (cf. RICC. DE S. GERM., ad ann. 1230, mense junio), res usque ad mensem augustum anni 1232 producta fuit. Tunc temporis, ut idem refert, Bartholomaeus de S. Germano, domini papae capellanus, papa mandante ivit Gaietam pro compositione inter imperatorem et Gaietanos facienda, ut redirent ad fidelitatem ipsius. Quod cum facere non posset, apud Sanctum Erasmum secessit et ibi usque ad mandatum papae elegit facere stationem. Demum ita pergit idem Riccardus : « Mense octobris Aegidius Verraclus

Digitized by Google

vobis sub bulla nostra mittimus interclusam; quam si duxeritis acceptandam nobis per instrumentum publicum intimantes, intendatis hiis que vobis dilectus filius magister P. scriptor noster, lator presentium, ex parte nostra duxerit proponenda, et indultum vobis ab Apostolica Sede privilegium nobis per scriptorem remittatis eumdem (1).

Datum Laterani, XI kalendas julii, anno septimo.

Gaietae, 30 junii.

Consules et populus civitatis Gaietae acceptant pacem tractatam per dominum papam et gratiam ab imperatore sibi concessam de datione civitatis ejusdem Conrado ipsius imperatoris filio, summo pontifici gratias agentes quod paterna in hoc pietate ipsos procuraverit.

(Inedit. ex *Libr. cens. Cenc. camer.*, in Bibl. reg. Paris., anc. fonds latin, n° 4188, sine folii numero.)

In nomine Domini nostri Iehsu Christi, anno dominice incarnacionis M° CC° tricesimo tercio, imperante domino nostro Frederico Dei gratia victore Romanorum imperatore semper augusto, Iehrusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus tercio decimo, tempore domini nostri illustris regis Corradi ejusdem serenissimi imperatoris filii, die jovis ultimo mensis junii, sexto indictionis. Nos consules, judices et universus populus Gaiete presenti scripto volumus esse notum quod tractatam pacem per dominum papam et gratiam nobis a domino imperatore concessam, sicut in privilegiis ejusdem imperatoris filio suo domino nostro illustri regi Conrado de dacione et concessione civitatis Gaiete et nobis indultis plenius contine-

---

domini papae subdiaconus et capellanus pro facto Gaietae a papa ad imperatorem in Apuliam nuntius vadit. »

(1) Verisimiliter agitur de privilegio dato Perusii, 21 junii 1229. Cf. quae supra edidimus, t. III, p. 142 et seqq.

Digitized by Google

tur (1), quam sub sigillo ipsius domini pape recepimus in Gaieta per manus magistri Petri de Guartino (*a*) venerabilis (*b*) scriptoris et nuncii ejusdem domini pape, affectuosius acceptantes, ipsi domino summo pontifici cum omni humilitate gratias agimus quod paternam de nobis in hoc habuit curam et salutem nostram pietate apostolica procuravit. Ad cujus rei memoriam presens scriptum in Gaieta fieri per manus Jacobi publici Gaietani notarii et communis sigillo jussimus roborari.

Actum Gaiete per manus predicti notarii, coram magistro Bartholomeo de Sancto Germano ejusdem domini pape capellano, Girardo Brontusula, Johanne Gaietano et aliis astantibus (2).

Fridericus, Romanorum imperator, scribit papae de compromissione super negotio Lombardiae, quod cum litterae suae patentes nec non et regis filii sui a Sede Apostolica requirantur, responsum differre proponit usque ad reditum magistri domus Theutonicorum, huic et non alii quaedam commissurus. Syracusis, 12 julii.

(Inedit. ex regest. Gregor. IX, ann. 7, epist. 267, in coll. *Laporte du Theil*, ap. Bibl. reg. Parisiens., fol. XLII et LXVI.)

Sanctissimo in Christo patri domino Gregorio Dei gratia summo pontifici, Fridericus eadem gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, salutem et reverentiam filialem. Honore debito et affectione sincera litteras vestre paternitatis accepimus et intelleximus

(*a*) Alias *de Varcino* et *de Guarcino*.

(*b*) In cod. mendose *venerunt*.

---

(1) Cf. supra, p. 426.

(2) « Mense julii civitas Gaietae ad mandatum redit imperatoris et juramentum fidelitatis sibi praestat et Conrado filio suo; ad quam Hector de Montefuscolo, justitiarius Terrae Laboris, accedens, jussu imperatoris doanam instituit in ea et consulatu privavit eamdem. » Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann.

Digitized by Google

diligenter que continebantur in eis de ordinatione provisa super compromissione in Jacobum venerabilem Penestrinum electum et Othonem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, propter hoc tunc temporis ad partes Lombardie per Sedem Apostolicam destinatos nomine Romane Ecclesie, facte (*a*) per magistrum domus Theutonicorum nomine nostro ex una (*b*) parte, nec non et per rectores et ambassatores quarumdam ex civitatibus Lombardie, Marchie et Romaniole ex altera. Verum quia patentes litteras nostras et regis filii nostri usque ad proximo futurum festum beati Michaelis juxta tenorem nobis transmissum Apostolice Sedi dirigi postulastis, noverit beatitudo vestra quod in brevi ejusdem magistri Theutonicorum reditum prestolamur, qui ejusdem negotii extitit procurator et novit omnia singillatim. Per quem super hiis et aliis vestre sanctitati disposuimus respondere, maxime cum per eum quedam verba mittere proponamus que alii committere non possemus.

Datum Siracusis, XII° julii, sexta indictione.

Syracusis, 12 julii.

Fridericus, Romanorum imperator, quid de compromissione papae responderit Raynaldo Ostiensi et Velletrensi electo nuntiat; cum autem Lombardos papa in quingentis militibus per biennium condemnaverit, conventione priori de quadringentis militibus omissa, conqueritur quod non sit de injuriis imperio illatis congrua satisfactio subsecuta.

(Edider. Savioli, *Annal. Bologn.*, tom. III, part. II, p. 134, n° 596, e regest. Gregor. IX. — Höfler, *Kaiser Friedrich II*, docum., p. 345, n° 17. Iste vero secundam tantum epistolae partem exhibet.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, dilecto amico suo magistro R. venerabili Ostiensi et

(*a*) Sic in duobus locis.

(*b*) In cod. *ex utraque*, male.

Digitized by Google

Velletrensi electo salutem et sincere dilectionis affectum. Recepimus nuper apostolicas litteras continentes ordinationem summi pontificis provisam super compromissione olim facta in Jacobum venerabilem Prenestinum electum et Othonem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem nomine Romane Ecclesie per magistrum domus Theutonicorum nomine nostro pro nobis ex una parte necnon per rectores quarumdam civitatum Lombardie, Marchie et Romaniole pro ipsis civitatibus ex altera: videlicet quod remissis ex parte nostra offensis, injuriis et quamplurimis aliis capitulis qui diffusim in litteris continentur, partem aliam pro satisfactione nostra in quingentis militibus condempnavit, per biennium expensis eorum pro subsidio Terre Sancte ituris termino quem Romana Ecclesia eis duxerit prefigendum, conventione priori de quadringentis militibus prorsus omissa. Preterea eisdem litteris commonemur ut patentes litteras nostras et regis filii nostri super hoc usque ad proximum venturum festum Sancti Michaelis sibi mittere debeamus. Nos autem eidem summo pontifici nostris litteris respondemus quod reditum magistri domus Theutonicorum qui ejusdem negotii extitit procurator et plenius ad singula est instructus, in proximo prestolamur per quem ei super iis et aliis proposuimus respondere. Ceterum ut vobis de quibus sincere confidimus, confidenter et tuto loquamur, salva provisoris pace, non videtur equa satisfactio subsecuta pro tot offensionum, tot injuriarum provocationibus que per illius partis insolentiam processerunt; quibus non parum in defensore suo lesa fuit Ecclesia, nosque damnis innumeris offensi [fuimus] multipliciter et turbati, ubi tam celebris Ravenne curia, pro Ecclesie et imperii honore ac commodo generali prefixa, eorum instinctu extitit impedita, regi filio venturo ad patrem preclusi sunt viarum aditus, persone principum et copia multa nobilium dehonestationes ab eis plurimas pertulerunt. Pro quibus omnibus sperantes assequi ex patris provisione solatium, ordinationi et arbitrio suo nos et causam imperii commisimus confidenter, ut quod Ecclesie, nostro et imperii honori cederet (*a*) provideret. Verum quia, sicut ei placuit, est provisum ut ex

(*a*) Sic; vertit tamen in sensum verbi *conveniret* vel *expediret*.

ipsa provisione in nullo videatur nobis a mole commissorum excessuum satisfactum nec de nostro et imperii honore aliquatenus cogitatum, mirum geritur si vestrum consilium huic potuerit processui concordari. Quare circumspectionem vestram attente rogamus quatenus precum nostrarum et dilectionis intuitu super iis benevolo provideatis favore quod honori Ecclesie, nostro et imperii noveritis expedire, maxime cum ad id pro honore Ecclesie specialiter moveamur. Nam si ad publicam notitiam tenor hujus provisionis exierit, reges et principes exemplo tam vicino submoniti arbitrale judicium Ecclesie non libenter subibunt.

Datum Siracusis, quarto idus julii, indictione VI.

Laterani, 15 julii. Gregorius papa Fridericum Romanorum imperatorem monet ne sub praetextu haereticorum quorum aliqui incendio sunt commissi, fideles qui forte ipsum offenderunt pereant; quod jam non sine multorum scandalo et imperialis nominis detrimento accidit.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.*, tom. XXI ad ann. 1233, § XXXIV, e regest. Gregor., lib. VII, n° 244.)

Gregorius, etc., Friderico, etc. Quia ferventi desiderio multis temporibus expectamus quod verborum pulchritudinem decor operum sequeretur, eo quod arbor ex fructibus formosa potius quam ex frondibus censeatur, excellentiam tuam rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo quatenus prudenter attendens quod ex melle favus laudem dulcedinis et ex messe seges placente titulum sortiatur, devotionis verba que sepe tuis litteris exponuntur ita conformes operibus bonitatis quod in actu fructificent, et te celorum regi ac terre principibus cunctisque fidelibus ut excelsum potentia principem, ita virtute constituant preeminentem; alias autem parum arbitramur utile quod studet litteris dictatoris facunditas explicare. Taliter igitur cordis adorna thalamum pietatis insignibus et meritis, illustra solium bone splendoribus voluntatis, ut te

Digitized by Google

severitatem in abdito et in procinctu clementiam obtinente, letitie causam ex te subjecta populi multitudo concipiat et illa te propitio in prosperitatis gratia reflorescat. Sic enim, cum sit amor civium inexpugnabile munimentum, desiderium quod adversus exterminium pravitatis heretice concepisti, processu prospero, auctore Deo, dirigi poterit et finiri. Verumtamen expedit, sicut divinam gratiam et favorem matris Ecclesie vis uberius promereri, quod sub hereticorum pretextu quorum dudum aliqui pro firmamento fidei, ut asseris, incendio sunt commissi, fideles qui forte tuam celsitudinem offendendo, non heretici, sed errantes in aliquo impatientia procurante gravaminum, sunt inventi, nullo modo pereant, ut pridem nobis dolentibus multisque merentibus, non absque divine majestatis offensa, scandalo fidelium populorum et imperialis detrimento nominis, in tui presentia perierunt (1). Que, si fas sit verbum proponere pietatis, debebat delendis perfidis, non perdendis fidelibus deputari, ut sic christiani potius promotor imperii quam depressor ejusdem occasione afflicti regni Sicilie dicereris.

Datum Laterani, idibus julii, anno VII.

In Sicilia, julio.

[Mense julio] imperator de Sicilia suas ad justitiarium [Terrae Laboris] et alios justitiarios regni litteras dirigit super molestiis et injuriis praelatorum, ut ipsi statuto die et loco praelatos ad se convocent regionum, audiant eorum clamores et quae juste poterunt expedire expediant; reliqua vero per suos nuntios sibi significent fideliter et distincte, ut de ipsorum correctionibus provide ipse disponat. . . Mense augusti ad mandatum Hectoris de Monte-

(1) Alludit papa suppliciis quibus imperator in Sicilia sibi rebelles sub praetextu haereticae labis affecerat. Unde Godefridus Coloniensis: « Miranda res et nimium stupenda quod hiis temporibus ignis contra genus mortalium sic invaluit. Nam eodem fere tempore et rebelles imperatori in Sicilia et in Germania infinitus numerus hominum et multa moenia incendio perierunt. »

Digitized by Google

fuscolo justitiarii Terrae Laboris, apud Theanum praelati isti conveniunt in die ab eodem justitiario constituto : scilicet Casertanus, Calvensis, Calinensis, Venafranus, Alifanus et Nolanus; sed nullus eorum se molestiam vel injuriam passum fuisse ab aliquo officialium conquestus est. Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann.

Anagniae, 5 augusti.

Gregorius papa fratri Johanni Vicentino ordinis Praedicatorum dat facultatem absolvendi Eccelinum [de Romano] et cives Veronenses eorumque fautores qui in excommunicationem illapsi fuerant, seu in eos censuras Ecclesiae exercendi si ipsius mandatis resistere praesumpserint.

(Edid. Verci, *Stor. degli Ecel.*, t. III, p. 571, CCCIV, ex bullario Fratr. Praedicat., tom. I, p. 62.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio fratri Joanni Vicentino ordinis Predicatorum salutem et apostolicam benedictionem. Mirificante super miserationum suarum copiam. . . . . Salvatore cum simus. . . . . in quos fines seculorum secundum apostolum devenerunt, gaudio reficimur salutari devotoque veneramur affectu que manus omnipotentis Dei per suum ministerium operatur. Fides etiam roboratur catholica, convertuntur increduli ad justorum semitam et corda fidelium in sui conditoris amorem suaviter accenduntur; unde inter pressuras innumeras et tedia infinita que ferre plus possumus quam referre, merito consolationis materiam resumentes, gratias quas valemus exsolvimus Creatori quod per insignem gratiam tibi ab ipso collatam imprudentium hominum ignorantia obmutescit, ejusdemque beneficia fideles in suis operibus attendentes ipsum inenarrabili devotione glorificant, summis eum laudum preconiis attollendo. Sane receptis nuper affectione debita litteris tuis earumque tenore plenius intellecto, quia tibi cui adest puritas conscientie non dubitamus adesse judicium rationis,

Digitized by Google

presertim cum pedes sint pacem evangelizantium speciosi; nos quia vicarius licet immerite sumus ejus in terris qui pacem diligens eam dedit suis discipulis et reliquit, solutionemque libentius querimus quam vinculum animarum, devotioni tue presentium auctoritate concedimus ut nobili viro Ezelino, civibus Veronensibus et fautoribus eorumdem excommunicatis a dilecto filio nostro Jacobo Prenestino electo et Ottone (*a*) Sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, tunc legatis Apostolice Sedis, vel ab aliis judicibus delegatis a nobis, occasione discordie que hucusque civitatem Veronensem lacessivit, receptis sufficientibus cautionibus ab eisdem pro pace facienda et servanda et ut mandatis nostris debeant obedire, possis super forma Ecclesie absolutionis beneficium impertiri, ac in eos, si salubribus mandatis que ipsis super predictis duxeris facienda, resistere forte presumpserint, appellatione postposita censuras Ecclesie exercere (1).

Datum Anagnie, nonis augusti, pontificatus nostri anno VII.

Anagniae, 12 augusti.

Gregorius papa querelam Friderici imperatoris refellit, qui per litteras cardinalibus scriptas nil sibi de injuriis a Lombardis illatis satisfactionis praestitum fuisse conquestus erat; qualiter in hac provisione secundum justitiam et rationem egerit exponit, nuntians tamen negotium in statum pristinum posse reduci, jure utriusque partis integro remanente.

(Edider. RAYNALD., *Annal. eccles.*, tom. XXI, ad ann. 1233, § XXIX, e regest. Gregor., lib. VII, n° 269. — SAVIOLI, *Annal. Bologn.*, t. III, p. 137.)

(*a*) Ap. Verci *olim*, male.

(1) Pacem autem praedicavit frater Johannes vicesimo octavo die ejusdem mensis augusti in solemni concione apud Paquaram (vid. instrumentum ap. MURATORI, *Antiq. Ital.*, t. IV, p. 641), in qua fuit ordinatum matrimonium inter Rinaldum filium marchionis Estensis et Adelaidem filium Alberici de Romano contrahendum.

Digitized by Google

Gregorius, etc., Frederico, etc. Pro tue celsitudinis incremento, etsi ab aliquibus, qui scirent etiam de balsami murmurare fragrantia et in melle causari dulcedinis ubertatem, forte contrarium teneatur, duos ex fratribus nostris quos laudabiles effecit multiplicis evidentia probitatis, Lombardis omnino renitentibus, pro te in Lombardiam misimus, quorum diligenti studio quantum difficultas negotii concedebat, tuis accrevisse profectibus probabiliter estimamus. Ceterum, etsi bona referamus inviti que de Sedis Apostolice benignitate procedunt, eo quod impensa beneficia non sint largitoris relatibus publicanda, tamen ut innocenti maculam non impingas et scias te ad retributionis debitum, non ad querele convitium obligatum, reminisci te volumus quod in pluribus que tuorum prudentia nuntiorum seu multarum series litterarum a nobis tuo nomine diebus preteritis exposcerunt, faciendum semper assumpsimus quod dignum et utile videbamus. Sed ecce, quasi arbor gratis onusta fructibus ex eo dicenda sit sterilis si non per totum appareat uniformis, aut quasi defectus ascribi firmamento debeat si equa stellarum claritas non existat, oblivioni commissa gratiarum congerie quam suis temporibus circa te recolimus effudisse, innuis ex scripto lamentabili quod non nobis, sed nostris fratribus destinasti, nos taliter super Lombardie negotio providisse ut de illatis injuriis a Lombardis nihil sit tibi satisfactionis prestitum aut de tuo vel honore imperii cogitatum ; immo quod pro miro geritur si processus hujusmodi cardinalium consilio fulciatur, quasi talibus inconsultis soliti simus efficere que debemus et cupimus ipsorum consulta providencia diffinire. Ad hec autem quid rescribentis innocentia respondebit? Unde presumptio quod sequentes arbitrium proprie voluntatis, quasi rationis consilio non ducamur, qui licet immeriti locum superni judicis obtinentes in terris, plenitudinem justitie studemus omnibus exhibere, principi preeminenti et Ecclesie filio speciali Lombardos in aliquo, maxime ubi de jure agitur, relicto rectitudinis tramite preponamus? Absit, absit a nobis qui testem in celis et in excelsis conscium obtinemus, quod in juris prejudicium nobis sit acceptio personarum. Sed infers ex quingentis militibus quos quidem de fratrum nostrorum consilio in terre sancte subsidium a Lombardis providimus prefigendo ab Ecclesia Romana termino destinandos, forte injuriam tibi

Digitized by Google

fecerimus evidentem. Unde locus a damnis et injuriis que tibi Lombardorum temeritas irrogavit? Que sunt illa? Pone quod plurima : tamen quia Lombardis paratis subire judicium procuratores tui nihil sub figura judicii proponere voluerunt, in favorem tui nominis ad provisionis remedium nos oportuit habere recursum, que qualiscumque tue magnitudini videatur, tamen ex illa Lombardi se gravatos intelligunt, eo quod super habitis contra te processibus se in modico culpabiles ex causis plurimis recognoscunt. Sed querelam querele adjicis, et subjungis quod in provisione predicta prior sit omissa conventio de militibus quadringentis. Ad hoc autem quam possumus breviter et lucide respondemus. Scis enim, nisi forte oblivioni commiseris aliis pluribus occupatus, quod secundum declarationem felicis recordationis Honorii pape predecessoris nostri, quam sumptam ex regestis tibi presentibus mittimus interclusam (1), celsitudini tue predicti milites debebantur si statuto a te passagio et per Romanam Ecclesiam approbato in Terre Sancte subsidium transivisses. Igitur, quod non sine turbatione referimus, cum talem transitum feceris sicut scimus et nosti, tibi predicti milites non debentur. Si non debentur et in premissis nil de contingentibus est omissum, quare, vir provide, lamentaris? Verum si de provisione predicta te gravatum propriis vel alienis moribus arbitraris, super hoc nobis tuam precise resera voluntatem, quia credimus negotium in statum pristinum posse reducere, jure utriusque partis integro remanente.

Datum Anagnie, II idus augusti, anno VII.

[Raynaldus Ostiensis electus] Friderico Romanorum imperatori respondet super querela quam sibi de provisione in negotio Lombardiae facta destinaverat, eumque ad exemplum ipsius papae monet negotium, si placuerit, ad statum pristinum reduci posse. [Augusto.]

---

(1) Cf. supra t. II, p. 703, et praecipue p. 706.

Digitized by Google

(Inedit. ex *dictam. Thom. de Capua* ap. Biblioth. Paris., *anc. fonds latin*, n° 4042, pars V, epist. 1ª; coll. cum altero cod., ibidem, n° 8604, lib. VI, fol. 48 verso. Haec adest rubrica : « *Excusatio cardinalis ad imperatorem, et narrato negotio habito per procuratores ipsius, dicit quod suum consilium eidem imperatori credidit profuturum.* » Ex praecedentibus autem de tempore quo epistola fuerit scripta, nihil dubii superest.)

Missa nuper per judicem P. de Vinea ab imperiali majestate pagina super processu domini pape inter vos ex parte una et quarumdam civitatum Lombardie, Marchie et Romaniole rectores ex altera, querele aliquid attulit et quedam expresse admirationis habebat. Subinferebat quidem clausula illa querelam qua provisio dicebatur processisse de beneplacito provisoris, per quam in nullo videbatur vobis de commissis excessibus satisfactum nec esse vobis de honore imperii cogitatum. Ex hiis autem prosiliebat in publicum admiratio vestra quod consilium meum, ut misse nobis nitar epistole, tali processui potuerit concordare. Sane si cause processus, si procedentis affectus ad vestre circumspectionis notitiam pervenisset, forte querelam (*a*) repressisset silentium et admirationem (*b*) dedignata fuisset admictere mens quieta. Porro diligenter propositis contra societatem predictam per procuratores vestros que magnificentia vestra promovenda commisit, pars adversa negavit a societate vel de mandato societatis dampna data et injurias irrogatas, et adjecit quod si qui de societate ad sui defensionem aliquid providissent, hoc retorqueri ad alicujus injuriam non deberet, quum, ut dicebatur, ex aliis presumere poterant quid in se sub vestre prudentie (*c*) brachio formidarent. Super hiis autem syndici partis ejusdem offerebant se liti, ingerebant se cause, judicium expectabant. Procuratoribus vero vestris non videbantur hec in contentionem litis et strepitum judicii deducenda, et forsitan non decebat tanti principis nomen contentionis litigiis ventilari; et quidem de predictis injuriis aliquid ad audientiam Sedis Apostolice fama protulerat, sed non

(*a*) In utroque codice *querela*.
(*b*) In utroque codice *admirationis*.
(*c*) In cod. 8604 *providentie*.

Digitized by Google

sic prolatio expresserat intima veritatis (*a*) que juris solempnitas, rigor justitie et condempnationis exacte sententia pateretur. Verum, ut speranti filio patris provisio non deesset, dominus papa ad illius statim providentie remedium se convertit, de compromissi ut potuit forma suscipiens quod de scripti (*b*) juris suffragio non habebat. In hiis quoque consilium meum non defuit, et consideratis que consideranda videbam, credidi profuturum. Sed, ut video, contingit interdum quod spei gratie non succedit eventus, et commoda procurantis affectus gratiosum non invenit recognitionis effectum. Ceterum ut querele tollatur occasio et admiratio causam non habeat, si magnitudini vestre placuerit, credo quod poterit provideri ut ad illum statum negotium reducatur in quo tempore provisionis edite noscitur extitisse.

Fridericus, Romanorum imperator, Gregorio papae notum facit se pro parte sua et filii sui ratam habere provisionem ab ipso papa factam super discordia inter se et Lombardiae societatem vertente.

Apud Castrum Johannis, 14 augusti.

(Memorat. in *Summ. privilegior. Eccl. Rom.* ex cod. card. Ottobon. ap. MARTENE, *Ampliss. coll.*, t. II, col. 1246-47, et in *Catal. chart. Eccl. Rom.* ap. MURATORI, *Antiquit. Ital. med. aevi*, t. VI, p. 86, ubi notae chronologicae exhibentur, et aurea bulla notatur.)

Littera ejusdem Friderici imperatoris regisque Jerusalem et Sicilie domino Gregorio pape directa continens quod, sicut ipse imperator scripto promiserat de suorum principum et Henrici filii sui Romanorum regis consensu stare ordinationi Ecclesie de omni eo quod. . . . . super discordia vertente inter ipsum imperatorem et quasdam universitates Lombardie, quarum nomina in compromissi serie sunt expressa, provisionem dicti domini pape super hoc factam, scilicet quod dicte universitates ad honorem Dei et Ecclesie ac imperii teneantur in quingentis mili-

(*a*) In cod. 8604 *probatio expresserat nuntia veritatis.*
(*b*) In cod. 8604 *stricti.*

Digitized by Google

tibus suis expensis pro Terre Sancte subsidio per biennium exhibendis, pro parte sua et predicti filii firmam habet et ratam. Et juxta ordinationem ipsius domini pape, remittit eisdem universitatibus et locis predictis in compromisso expressis, et etiam marchioni Montisferrati qui infra statutum a partibus terminum compromisit, omnes injurias et offensas contra ipsum et filium ac principes suos commissas, impediendo indictam ultimo curiam in Ravenna, irrogando injurias principibus venientibus ad eamdem, dictoque filio ire volenti aditum precludendo.

Datum apud Castrum Johannis, anno Domini MCCXXXIII, XIV augusti, septima indictione.

Anagniae, 27 augusti.

Gregorius papa Fridericum Romanorum imperatorem monet ut Sarracenos Luceriae qui non mediocriter italicum idioma intelligunt, hortetur ad recipiendos in pace fratres ordinis Praedicatorum quos ad eos dirigit.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.* ad ann. 1233, § XXIV, e regest., lib. VII, n° 310.)

Gregorius, etc., Frederico, etc. . . . . Imperialem mansuetudinem rogandam duximus et hortandam quatenus Sarracenis qui Capitanate Nuceriam incolunt et italicum idioma non mediocriter ut fertur intelligunt, per tuas litteras firmiter dare debeas in mandatis ut fratres ordinis Predicatorum, pacis angelos, quos ad eos cum exhortationis verbo dirigimus, in pace suscipiant, patienter audiant et prudenter iis que pro salute sua proponuntur intendant. Si forte pater luminum nostre miseratus aspiciens intentionis affectum, populo qui in tenebris habitat verum lumen ostendat, et si quod a nobis in benedictione plantabitur, potentie tue favoribus irrigetur, ad unum ex hoc nobiscum proficias meritum apud eum, qui solus tribuit incrementum; quia qui plantat et qui rigat unum sunt in unius intentionis affectum, etc.

Datum Anagnie, VI kalendas septembris, [anno VII].

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, Ursoni Agrigentino episcopo ad exemplum praedecessoris sui regis Guillelmi II concedit libertatem extrahendi de portu Agrigenti trecentas salmas frumenti annuatim. In urbe felici Panormi, septembri.

(Edid. partim R. Pirrus, *Sicil. sacr.*, t. I, p. 703.)

Fridericus, etc. . . . . .
Inde est quod Urso venerabilis Agrigentinus episcopus, fidelis noster, exposuit quod ecclesia Agrigentina habuit ex dono domini regis Willelmi II inclite recordationis licentiam unoquoque anno extrahendi CCC salmas frumenti de portu Agrigenti per suum privilegium super hoc ipsi ecclesie indultum. Sed quia idem episcopus privilegium ipsum asserit foro amissum et curia nostra exinde certa non erat, produxit in curia legitimos testes qui tactis sacrosanctis Evangeliis, juraverunt quod prefata ecclesia supradictum privilegium habuerit. Eapropter supradictus episcopus supplicavit majestati nostre ut super hoc ipsi ecclesie privilegium renovari et fieri preciperemus. Nos autem divine miserationis intuitu et innata nobis benignitate, concedimus memorate ecclesie Agrigentine ut unoquoque anno liberam habeat potestatem extrahendi de portu Agrigenti salmas frumenti CCC libere, sine aliquibus juribus doane et portus que inde dari deberent. Ad hujus autem renovationis et concessionis nostre memoriam et inviolabile firmamentum, presens privilegium per manus notarii Jacobi fidelis nostri scribi et nostre majestatis sigillo jussimus roborari, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in urbe felici Panormi, anno dominice incarnationis MCCXXXII, mense septembris, indictione V, regnante domino nostro imperatore, anno XIII. Amen (1).

(1) Notas chronologicas quae minime inter se conveniunt, non recte apud Pirrum trans-

Digitized by Google

In urbe felici Panormi, 12 octobris.

Fridericus, Romanorum imperator, civibus Panormitanis per speciale privilegium concedit ut, non obstantibus novis constitutionibus Melfiae editis, uti possint eorum consuetudinibus approbatis : scilicet ut nullus civis cogi debeat exire de civitate ad causandum nec officiales curiae procedere possint contra cives ad personalem vel pecuniariam poenam infligendam.

(Edit. ap. M. de Vio, *Privileg. Panorm.*, p. 15, et Amato, *De principe templ. Panorm.*, p. 118. Quod quidem privilegium in tabula marmorea, sinistrae parieti vestibuli cathed. eccl. Panorm. affixa, incisum litteris nigris exhibetur. Memoratur quoque a Fazello, *Decad. prior.*, lib. VIII, p. 161, et in cod. Panormitano, Biblioth. principis Fitaliae, fol. 98, unde notas chronologicas addimus. Baronus, *Panormit. majestas*, lib. IV, p. 22, perperam annum 1237 indicat.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, castellano, vicecomiti, pretori et universo populo Panormi fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Cum felix civitas nostra Panormi prima regni sedes existat et a progenitoribus nostris priscis regibus multis approbatis consuetudinibus honorata fuerit, que tam utilitatis regnantium dominorum quam civium opportunitatis dignoscuntur; dignum duxit nostra serenitas specialem vobis gratiam indulgere, universitati vestre liberaliter concedendo quatenus illa vestra consuetudine per quam nullus civis Panormi cogi debet exire de civitate ipsa pro aliquo negotio publico vel privato, civili vel etiam criminali ad causandum, ob aliquam citationem officialium curie nostre; illa etiam consuetudine per quam dicti officiales per modum inquisitionis generalis vel specialis aut alium extraordinarium modum in privatis et publicis crimi-

criptas esse liquet. Quum autem mense septembri 1232 Panormi imperator morari non potuerit, et locus itineri ejusdem Siciliam anno 1233 peragrantis optime se accommodet, hic sistimus. Annus praeterea imperii XIII et nomen notarii Jacobi [de Leontino], qui supra p. 438, opinioni nostrae roboris aliquid afferunt.

Digitized by Google

nibus quibuscumque in unum vel plures de jamdicta civitate non debent procedere ex eorum officio vel ad denunciationem etiam alicujus, et precipue quando patratores criminum nequeunt inveniri, ad penam personalem vel pecuniariam infligendam; nec non omnibus antiquis et approbatis consuetudinibus vestris, quibus ab eorumdem progenitorum temporibus et precipue a tempore regis Guilelmi junioris consobrini nostri usque ad hec felicia tempora nostra usi et gavisi estis, utamini, et eas absque contradictione aliqua habeatis, non obstantibus novis constitutionibus nostris loquentibus specialiter tam super (*a*) privilegia a nobis aut predecessoribus nostris indulta et consuetudines per quas citati a curia nostra vel justiciariis regionum a locis eorum exire nullatenus tenebantur, quam super exigenda pena ab universis (1), etc. [*Reliqua desunt, cum erosa desiderentur in autographo.*]

Data in urbe felici Panormi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo tercio, duodecimo octobris, septime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, [Cremonensibus] gratulatur quod T. de [Aquino] nuntio suo obsequium exhibuerint, eosque monet se ad eorum exaltationem in proximo praesentialiter adventurum. [Novembri.]

(Ined. ex cod. Bibl. reg. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay,* n° 455, pars II, n° 50. Quum huic epistolae desint in codice titulus et rubrica, cui civitati et quo tempore scripta fuerit non bene constat. Inspecto tamen quod narrant Riccardus de Sancto Germano in *Chronico* et Campus in sua *Cremona fedelissima*, p. 37, arbitramur epistolam eamdem tum ad Cremonenses, tum ad annum 1233 circa novembrem, satis probabili conjectura posse reponi.)

(*a*) Apud Amato *tanquam*, minus recte.

---

(1) Vide supra inter constitutiones Melfienses, lib. I, *prooemium*, p. 4; tit. CVI, p. 72, et tit. XXVIII, p. 29 et seqq.

Digitized by Google

Fredericus, etc. Nota [est] ex antiquo fidei vestre constantia quam indeficienter circa imperium habuistis, devotionem immensam ad personam nostram per experientiam ostendentes, nuncios et legatos nostros qui ad partes ipsas pro honore et servitio nostro processu temporis veniebant, tanto postea honorantes opere et sermone quanto zelum fidei vestre non poteratis sub palliatione transire quin pateret in omnibus ad dominii nostri votum vestre promptissime voluntatis affectio. Nuper autem T. de . . . . . fideli nostro eamdem adeunte provinciam, nostri gerulo propositi et favoris (1), statim quod nostros conjecistis affectus et animum quod ad reformanda imperii jura nostri serenitas nostra ferventer aspirat, ipsum debito recepistis honore, et ad nostri reverentiam nominis et recognitionem honoris promptis assurgentes affectibus, exposuistis ei pro nobis civitatem, personas et omnia bona vestra, quicquid pro parte nostra requirere voluit ad beneplacitum et mandatum nostrum devotis animis exequentes. Cum igitur gratus nostro conspectui residet, et adeo in nobis de fide vestra roboravit cum jocunditate fiduciam ut ad commodum et augmentum ejusdem civitatis vestre, quam nostram specialem cameram reputamus, ac condigna nostrum premia singulorum favorem et munificentie nostre gratiam exponamus, [sciatis] quod preter remunerationis vestre propositum firmiter et irrevocabiliter disponimus ad relevationem vestram et exaltationem proximam status vestri potentialiter et presentialiter advenire, liberare vos populum nostrum et sub clamyde ac libertate imperii vos recipere et nobis efficere gloriosum. Hortamur igitur universos et singulos vestrum, mandantes vobis omnibus in communi quatenus de cordibus vestris omni dubietate remota, in fide ac devotione nostra et imperii firmiter persistentes, nostrum expectetis in proximo indubitanter adventum; minas, incursus aut aliquorum insidias non timentes, quorum conatibus viriliter insistatis; nequicquam dampna rerum vel pericula curaturi, quorum indempnitati provisionis nostre non deerit dextera liberalis; cum ad hoc

(1) « Mense septembris Thomas de Aquino Acerrarum comes mandato imperatoris in Lombardiam vadit ad civitatem Cremonae quae favet imperatori. » Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann. Monet quoque Campus Thomasium Acerrarum comitem, a julio ad novembrem Cremonae potestatem, pacem inter Cremonam et Placentiam iniisse.

Digitized by Google

velimus vos fieri plene certos quod quicquid dictus T. nuncius noster vobis ex parte nostra promiserit, ratum haberi volumus et servari, tanquam qui vos et civitatem vestram amplioribus disposuimus beneficiis exaltare. Vos autem quod exhibetis per effectum operum comprobetis.

Fridericus, Romanorum imperator, Gregorio papae scribit se paratum esse ad praeliandum una cum ipso contra hostes fidei; de fratribus vero praedicatoribus ad Sarracenos Luceriae mittendis pro eorum conversione, respondet ut securi veniant, cum ipse eisdem adesse velit statim ut ad partes istas fuerit reversus. Buterae, 3 decembris.

(Edit. HÖFLER, *Kaiser Friedr. II*, docum., p. 346, n° 18.)

Sanctissimo in Christo patri Gregorio, etc., Fredericus Romanorum imperator, etc. Apostolici culminis littere nuper ad nos cum omni suscepte reverentia pervenerunt, quarum tenor spiritualibus exuberans documentis et salutaribus refectus exhortatibus monitorum adeo cordi nostro resedit acceptus ut pari voto et unanimitate consilii dignum censeamus vestris affectibus concurrendum. Cum enim, sicut eedem littere continebant, post vicarium Christi Romanum pontificem qui disponente Deo christiani dux est et magister exercitus, fidem catholicam defendere teneamur, utpote qui ex commisso nobis augustalis titulo dignitatis non inaniter recepisse vel sine causa cernimur gladium bajulare, paternitas vestra non ambigat inesse nobis alta mente propositum vobis duce ac previo dominica castra protegere ac contra hostes fidei prelia Domini preliari. Cupimus enim illam prosequi efficaciter unitatem quam in ostensione utriusque gladii Dominus conjunxit in terris et per sacerdotalis et regalis officii debitum voluit exerceri, omnem quam tenemus opem et operam impensuri ut vinea Domini quam ipse plantavit producat palmites altiores et infecunditatis propagines extollantur. Quia vero placet sanctitati vestre aliquos fratrum ordinis predicatorum transmittere ad conversionem Sarra-

Digitized by Google

cenorum qui Capitanate Luceriam incolunt et intelligunt italicum idioma, gratum est nobis ut iidem predicatores veniant et incipiant nomen Domini predicare. Nam nos in brevi circa partes illas esse proponimus, ubi fratribus adesse intendimus affectu pariter et effectu quatinus autore Deo proficiant in opere et sermone, maxime cum plures eorumdem Saracenorum ad cognitionem fidei dudum fuerint de consensu nostro Domino vocante conversi. Quapropter tanto speciale nobis gaudium erit in conversione gentis ejusdem, quanto ad unius Dei culturam predicatione previa inducentur. Emulamur enim emulatione celesti ut nedum Sarraceni Lucerie, sed plenitudo gentium reverterentur ad fidem, ut sicut ex collati nobis imperii dignitate catholice fidei defensores assistimus, ita neophitis eo debito pararemur ut non minus ab eis nostri imperii celsitudo decus acciperet quam decorem.

Datum Butere, III decembris, VII indictione.

Apud Syracusiam, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces Ulrici abbatis monasterii de Cappel Cisterciensis ordinis apud Turegum, eum et conventum ejus cum bonis in protectione sua suscipit; et sub poena indignationis suae inhibet ne quis eumdem in hominibus et possessionibus indebite molestare praesumat.

(Memorat ap. Ger. Meyer von Knonau, *Regesten*, in *Arch. für Schweizer. Gesch.*, t. I, p. 87.)

Datum apud Syracusiam, anno dominice incarnationis MCCXXXIII, mense decembris, VII indictionis.

[Syracusis, decembri.]

Fridericus, Romanorum imperator, universis de regno suo in-

Digitized by Google

hibet ne ulli filiorum vel filiarum regni matrimonium cum alienigenis contrahere sine speciali curiae suae consensu liceat.

(Insert. in *Constitut. regn. Sicil.*, lib. III, tit. XXIII, pars II, ap. CARCANI, p. 179, cum hoc titulo *Nova constitutio*. Memoratur autem et quasi compendiose exhibetur apud Riccardum de Sancto Germano, *Chronic.* ad ann. 1233; unde notas chronologicas addimus.)

Fredericus, etc. Cum hereditarium regnum nostrum Sicilie cujus preclara nobis hereditas. . . . . , laudabiles mores suorum incolarum consueverit enutrire ac processu temporis habitatores ipsius servitii et fidei exhibitione claruerunt in necessitatibus dominorum, sepe jam contigisse dolemus quod post diversarum mixturam gentium passa est ex alienis moribus regni sinceritas corruptelam; ita quod ex quo homines regni Sicilie se cum alienigenarum filiis miscuerunt, denigrata est puritas hominum et excrescente dierum malitia et infirmitate mentium inquinata conversationibus ac usibus ceterorum, veritas decrevit in populis et ab illorum fermento grex est fidelium maculatus. Ne timeatur ergo deinceps cohabitantium in regno diversitas nationum magna illatura discrimina vel ad regni majus incommodum progressura, volentes hominum diversitatibus competens adhibere remedium, presertim ne in regno nostro gentium infirmitas nutriatur, edicto generali solemniter duximus statuendum universis de regno et singulis inhibendo ut nulli liceat amodo de filiis et filiabus regni matrimonium cum exteris et alienigenis qui vel que non sunt de regno absque speciali requisitione et mandato ac consensu nostre curie contrahere : eo videlicet modo ut nec aliqua de regno nubere alienigenis audeat, nec aliqui filias alienigenarum ducere in uxores suas (1). Eos qui contra presumpserint bonorum omnium spoliatione mulctamus.

[Data Syracusis, mense decembris, indictione VII.]

---

(1) Cf. tamen quid supra notaverimus, p. 233, not. 1.

Digitized by Google

ANNO 1234. — INDICTIONE 7.

[Messanae, januario.] Fridericus, Romanorum imperator, curias solemnes bis in anno in diversis regni provinciis, scilicet apud quinque civitates ibidem nominatas, congregandas statuit : ubi praesidente nuncio de latere suo transmisso, de damnis et injuriis a suis officialibus cuique illatis querelae deponantur et inquisitio fiat.

(Ediderunt Afflitto *in Constit. Neap.*, tom. I, rubr. 41, p. 136; Muta, *Ad capitul. reg. Johann.*, tom. VI, cap. XI, p. 28, necnon et C. Pecchia, *Storia civ. e politic. del regn. di Nap.*, t. III, p. 75. Memoratur quoque et fere integre sub alia tamen forma exhibetur ap. Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann. 1234, unde notas chronologicas addimus. Quae quidem constitutio in corpore juris nusquam apparet; de qua ita loquitur Afflittus loc. citato : « Immo ut non appareret haec constitutio utilis, non fuit impressa ; sed in constitutionibus antiquis sic reperitur scripta. »)

Fredericus, etc. Etsi generalis cura nos advocet circa multorum regimina populorum, qui Romani sceptra imperii aliorumque regnorum dispensante Domino moderamur, ad dispensationem tamen tranquilli status hereditarii regni nostri Sicilie culmen nostrum precipua sollicitudo convertit, ut qui presentes ubique locorum esse non possumus, nostrorum provisuri quieto statui subjectorum, convocatis fidelibus nostris Sicilie in solemni colloquio apud Lentinum, necessario vidimus statuendum de corrigendis et compescendis excessibus, si qui per officiales nostros vel ob eorum favorem, absentie nostre occasione attentata, quodammodo licite ac libere committantur ; ut per hoc aspera convertantur in plana et populis qui diversis motibus hactenus vagabantur, amodo circa devotionis ac debite fidei constantiam recto tramite dirigantur. Ideoque solemnes curias indiximus per singulas provincias regni nostri de cetero annuatim, prout in sequenti distincte et peracte legerit (*sic*), celebrandas. Bis in anno

Digitized by Google

debet curia congregari per diversas partes regni : videlicet in Sicilia apud Placiam; in Calabria, terra Giordani et vallis Cratis apud Consentiam; in Apulia, Capitanata, et Basilicata apud Gravinam; in Principatu, Terra Laboris et comitatu Molisii usque ad Soram apud Salernum; in justitiaratu Aprutii apud Sulmonam. Tempus autem quando curie sunt celebrande est in calendis maii et in calendis novembris (*a*). De qualibet magna civitate debent esse in eisdem pro parte universitatis quatuor viri de melioribus terre, bone fidei et bone opinionis et qui non sint de parte. De aliis vero non magnis et castellis debent duo etiam in hac curia interesse. Prelati [vero], nisi certam excusationem habeant quod interesse non possunt; et hanc excusationem mittent per honorabiles personas et de majoribus et melioribus ecclesiarum suarum qui intererunt loco sui (*b*). Comites etiam et barones locorum debent huic curie interesse; et durabit curia per octo (*c*) dies vel si non poterunt intra dies ipsos expediri negotia, prorogabitur usque ad quindecim. In hac curia liberum erit cuilibet tam clerico quam laico proponere gravamina que sustinuerunt tam a justitiario provincie quam ab omnibus aliis officialibus; liberum etiam erit cuique conqueri de damnis et injuriis et quocumque alio excessu in persona et bonis suis commissis. In hac curia erit nuncius specialiter de latere nostro transmissus; cum justiciario locorum iste nuncius scribat omnes clamores propositos contra magistros justiciarios, secretos, magistros camere et ceteros officiales; super quibus assumptis sibi duobus (*d*) prelatis si ibi sunt, vel loco eorum duobus viris secularibus quos ad hoc viderit ydoneos, inquisitionem faciat diligenter et mittat eam ad curiam nostram, tam suo quam predictorum quatuor (*sic*) sigillis sigillatam, et nostre presentabitur ma-

(*a*) Legitur ap. Ricc. de S. Germ. *et finient in kalendis novembris* : quod nullo modo admitti potest.

(*b*) Ap. Ricc. de S. Germ. paulo diverse concipitur : *Praelati vero locorum, nisi certam habeant excusationem quod interesse non possint, similiter intererunt eisdem curiis.*

(*c*) In Peechia et in Afflitto *duos*, sed in Ricc. de S. Germ. *octo;* quod bona lectio videtur.

(*d*) Ap. Ricc. de S. Germ. *quatuor.*

jestati. Clamores autem factos contra alios officiales decidat (*a*) justiciarius. Prelati vero vel viri ecclesiastici qui loco prelatorum intervenerint, denunciabunt in hac curia si qui sunt in eorum provinciis patareni vel aliqui heretica pravitate suspecti, ut eos debita severitas vel puniat vel castiget. Presenti igitur nostre constitutionis edicto universis tam officialibus quam ceteris de regno nostro damus firmiter in mandatis, sub obtentu gratie nostre firmiter singulis injungentes quatenus magistri justitiarii, magistri camere, bajuli et alii officiales nostri, prelati, comites et barones, cives et aliorum locorum habitantes quilibet in provincia sua tempore et loco prefixo juxta tenorem scripture constitutionis nostre conveniant in presentia legati nostri, qui specialiter ex nostro transmissus latere loco et vice nostri in eadem curia residebit, super universis et singulis que constitutio nostra continet processurus, ut nec in officialibus negligentia, nec in aliquibus possit inobedientia reprehendi, maxime cum in singulis hujusmodi animadversione puniri debita sancimus.

[Datum apud Messanam, mense januarii, septima indictione.]

Messanae, januario.

Mense januarii apud Messanam ipse imperator regens curiam generalem statuit in septem regni partibus per annum generales nundinas celebrandas, mandans ut in singulis provinciis in quibus erunt nundinae constitutae, quamdiu nundinae ipsae duraverint, nullus mercator vel ministerialis alibi cum mercibus et rebus venalibus quam in loco nundinarum inveniri praesumat. Primae nundinae erunt apud Sulmonam et durabunt a festo sancti Georgii usque ad festum inventionis Archangeli (1). Secundae erunt Capuae et durabunt a XXII madii usque ad octavum junii. Tertiae

(*a*) Ap. Ricc. de S. Germ. diverse : *Clamores autem contra eos factos qui officiales non sunt, decident justitiarii regionum.*

(1) Scilicet a 23 aprilis usque ad 3 maii.

Digitized by Google

erunt Lucerii et durabunt a festo beati Johannis Baptistae usque ad octo dies (1). Quartae erunt apud Barum et durabunt a festo Magdalenae usque ad festum sancti Laurentii (2). Quintae erunt Tarenti et durabunt a festo sancti Bartholomaei usque ad festum Nativitatis beatae Virginis (3). Sextae erunt Cusentiae et durabunt a festo beati Matthaei usque ad festum beati Dyonisii (4). Septimae erunt Regii et durabunt a festo sancti Lucae usque ad festum Omnium Sanctorum in kalendis novembris (5). RICCARD. S. GERM., *Chronic.* ad ann.

Fridericus, Romanorum imperator, Matthaeo Marchafabae, dohanae imperialis secreto et quaestorum magistro, mandat ut inquirat de jurisdictione quam sibi archimandrita Messanensis vendicat in terra Tucchii (6). ..... 14 februarii.

(Memorat. ap. R. PIRRUM, *Sicil. sacra*, t. II, p. 982, ex tabulis archimand., fol. 161.)

Datum. . . . . , XIV februarii, septima indictione.

---

(1) 24 junii — 1° julii.

(2) 22 julii — 10 augusti.

(3) 24 augusti — 8 septembris.

(4) 21 septembris — 9 octobris.

(5) 18 octobris — 1 novembris.

(6) Quomodo res successerit breviter quoque notat Pirrus, loco infra citato, qui tamen ad *Libr. reg. monarch.*, fol. 253, se refert, his verbis : « Nymphus ut suae ecclesiae privilegia et jurisdictionem in Calabriae oppido Tucchii sarta tecta tueretur, anno 1233 (1234?) mense maio, indictione 7, coram eodem imperatore hanc obtinuit sententiam : « *Quod bajuli terrae Tucchii Calabriae jurisdictionis archimandritatus eligantur ab ipso archimandrita, et homines illius terrae adjudicentur in foro praedicti archimandritae.* » Hanc litem compertam habuisse videtur DU PIN, *Défense de la monarchie de Sicile*, quum dicat p. 138 : « En 1234, il (Frédéric) connut d'une affaire de l'archimandrite de Sicile contre des communautés du royaume, jugée par des juges inférieurs, et commit des juges supérieurs pour juger de l'appellation. »

Februario, martio. Mense februario de Sicilia in Calabriam transfretat imperator et exinde in Apuliam venit. Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann. — Alli 20 di febraro ritornao l'imperatore a Vieste a dismontare con quattro galere. Alli 20 del detto mese [marzo] venne l'imperatore a Trani a vedere la fabrica dello castello. Matt. di Giovenazzo, *Diurnali*, § 18 et 3 (1).

13 aprilis. Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis et acceptis servitiis Pisanorum, licentiam eis concedit eundi, morandi et redeundi libere ad negotiandum in regnis suis, specialiter autem apud Messanam et Panormum.

(Inedit. in *cod. Pagnini*, vol. IV, fol. 14, ap. archiv. Florent.; cujus privilegii copia jam diu requisita ad nos nondum pervenit.)

Datum. . . . . , anno dominice incarnationis MCCXXXIV, XIII aprilis, [indictione septima].

In Landouve 1 aprili. Fridericus, Romanorum imperator, Rogerio Tullensi episcopo propter incursiones hostium auctoritatem concedit firmandi civitatem ipsius Tullensem cum muris et fossatis.

(1) Quum in suo commentario vir egregius H. de Albertis de Luynes clarissimo probaverit nullam de annis ad Matthaei diurna perperam consutis rationem esse habendam, vix monendum censemus ea quae tam juste ad annum 1234 conveniunt, sub annis 1250 et 1248 in textu impresso prodire.

Digitized by Google

(Memorat. ap. BENOIT, *Hist. ecclés. et politiq. de la ville et du diocèse de Toul*, p. 445. Ex collectionibus Bibliothecae Parisiensis, quae ad historiam Lotharingiae tot fontibus scaturiunt, aliud apographum hujus privilegii frustra disquisivimus; quod quidem jam tempore quo sua documenta edidit Benoit, fuisse deperditum consemus. Nempe ex copia pro certo mendosa fragmenta inseruit, quae sequuntur.)

. . . . . Sane cum venerabilis Rogerius episcopus Tullensis, princeps noster dilectus, ad celsitudinis nostre presentiam accedens, nobis indicans necessitudinem firmande civitatis Tullensis. . . . . Simulque cum fossatis et villis concedimus fieri. . . . .

Datum in Landouve (*sic*), anno dominice incarnationis 1239 (1), mensis aprilis, imperante domino nostro Frederico, anno Romani imperii 24, regni Ierusalem 9, regni vero Sicilie 36, feliciter. Amen.

Capuae, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, ad consilium Johannis Sabinensis episcopi et Petri de Capua Sancti Georgii ad Velum aureum diaconi cardinalis, negotium illorum de Lombardia, de Marchia Trevisii et Romaniola, tam super detentione regalium quam de praeteritis excessibus, summo pontifici et Ecclesiae Romanae committit.

(Edider. RAYNALD., *Annal. eccles.*, t. XIII, p. 460, col. I, § 33. Integrius tamen SAVIOLI, *Annal. Bologn.*, t. III, p. 139, et PERTZ, *Monum. German. Histor.*, t. IV, p. 303. Nunc quoque damus ex regest. Greg. IX, ann. VIII, in coll. La Porte du Theil ap. Bibl. reg. Paris.)

---

(1) Mense aprili 1239, Fridericus Paduae et Tervisii morabatur, sicut infra videre erit. Notatio insuper annorum imperii et regnorum minime concordat, cum hic annus fuerit imperii 19, regn. Jerusalem 14 et Siciliae 14; sed anno 1234 sat bene convenit, si tantum pro anno imperii 24 corrigas 14. Arbitramur autem numeros litteris romanis in originali forma expressos, male in copia qua usus est Benoit sub signis arabicis transcriptos fuisse, scilicet *MCCXXXIX* pro *MCCXXXIV* et *XXIV* pro *XIV*. Nomen quoque loci mutilum videtur. Forsitan legendum *Lacedonie* (*Lacedogna*) super viam qua ab ulteriori Principatu ad Terram Laboris itur. Si tamen *Landouve* (*Landau*) retineamus, tunc ad ann. 1236 recurrendum quo Fridericus mense aprili Hagenovia Spiram petens apud Landau staro potuit.

Digitized by Google

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis quod nos attendentes qualiter sancta Romana Ecclesia mater nostra singulis, ex debito quo tenetur indifferenter ad omnes, illibata jura conservet, et nos unitati sue ad tuendam ecclesiasticam libertatem et pro statu imperii reformando reddiderit uniformes, ut ei debite filiationis affectu teneamur in omni reverentia tanquam matri, et honorem Ecclesie ac reformationem imperii juxta consilium et submonitionem ipsius facere debeamus, admoniti per honorabiles viros Johannem venerabilem Sabinensem episcopum et magistrum Petrum de Capua, Sancti Georgii ad Velum aureum diaconum cardinalem, pro parte reverendissimi patris domini Gregorii summi pontificis et fratrum suorum, super negotio illorum de Lombardia, Marchia Trevisii et Romaniola, qui videntur nobis et imperio adversari, ex innata mansuetudine qua universos imperio Romano subjectos ad fidem et devotionem imperii revocamus, totum negotium predictorum de Lombardia, Marchia Trevisii et Romaniola tam super detentione nostrorum regalium et aliorum jurium nostrorum quam de preteritis excessibus, quos pridem et hactenus quocumque modo erga nos et imperium commiserunt, consilio, provisioni, compositioni et laudationi predicti summi pontificis et sancte Romane matris Ecclesie pro reformatione pacis et status imperii duximus committendum; id in voluntate et ordinatione apostolica firmiter exponentes quod quidquid ex hoc consuluerit, providerit, composuerit et laudaverit, ratum et firmum tenere volumus et habere. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri fecimus et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus insigniri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Capue (1), anno dominice incarnationis MCCXXXIV, mense aprilis, septime indictionis.

---

(1) « Imperator de Apulia venit in Terram Laboris. Et tunc ab ista parte Capuae fieri super montem castellum jubet quod ipse manu propria consignavit. » Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann. De illo castello cf. quid diximus in libro cui titulus : *Recherches sur les monuments et l'hist. des Normands et de la mais. de Souabe dans l'Ital. mérid.*, p. 78 et 79.

Digitized by Google

Thomas de Montenigro, justiciarius Principatus et terrae Beneventanae, vigore imperialis mandati cujus tenor inseritur, vassallos abbatis Cavensis in Rocca Pimontis, Nuceria et pertinentiis, qui non tenent ab imperatore, immunes a subventionibus, exactionibus et collectis declarat; vassallos vero ejusdem abbatis qui tenent de demanio imperatoris, collaturos pro facultate tenimenti ipsorum denunciat. ..... 4 mali.

(Inedit. in archiv. monast. Cavensis, arca XLIV, n° 18, ex originali pergamena lacera in margine dextra.)

In nomine Domini eterni Salvatoris nostri Jesu Christi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, regnante domino nostro Friderico, Dei gratia magnifico Romanorum imperatore semper augusto, Ierusalem et Sicilie excellentissimo rege. . . . . Ierusalem anno nono, regni vero Sicilie tricesimo septimo, die sabbati quintodecimo julii, septime indictionis, apud Surrentum, nos Thomas de Montenigro, magister imperialis justitiarius Principatus et terre Beneventane, presenti scripto proprio fatemur nos a d[omino]. . . . . recepisse litteras sigillo majestatis sue consueto et proprio munitas; et erant per omnia continentie talis :

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, Thome de Montenigro justiciario Principatus et terre Beneventane s[alutem]. . . . . venerabilis Cavensis abbas fidelis noster transmissa nuper curie nostre conquestione monstravit quod cum homines monasterii sui, quos tenet et possidet in jurisdictione tua tam in Rocca Boamontis (*a*) quam in Nuceria et pertinentiis ipsarum, non teneant. . . . . monasterii memorati, vos eos cum

(*a*) In praecedente mandato (8 mali 1233) dicitur *Rocca Pimontis*. Cf. supra p. 427 et 428.

aliis fidelibus nostris predictorum locorum conferre compellitis in nostris subventionibus et collectis, cum dictus abbas nostris servitiis quotiens expedit, inrequisitus etiam a curia nostra, sit expositus et paratus, et nichilominus. . . . . [man]datum nostrum et beneplacitum curie nostre servicium exinde compensare. Verum quia dictum monasterium et prelatos ejusdem ad servitia nostra semper experti sumus non remissos, et de predicti abbatis devocione potissime confidimus, mandamus tibi quatinus si est ita. . . . . teneant de curia nostra seu de nostro demanio preterquam de bonis ecclesiasticis et possessionibus que sunt patrimonium Crucifixi, non permittas vassallos dicti abbatis in exactionibus [et] subventionibus impeti vel collectis. Imo quicumque de vassallis nostri demanii seu. . . . . monasterii per modum affiliationis duxerit in uxorem, et ipse funditus fiat libere vassallus ejusdem monasterii ac libertate et gratia nostri demanii hominum prefate Rocce gaudeat et fruatur, sicut in nostro privilegio olim eidem monasterio concesso plenius contin[etur]. . . . . eos vel aliquos eorum de curia nostra tenere constitit, secundum porcionem rerum quod justum fuerit exigi facias ab eisdem. Nichilominus tamen provideas ut quantitas ab hominibus ipsius exacta in juridictione tua taliter dividatur quod taxatum collecte numerum minus non contingat. . . . . (1) IIII° madii, septime indictionis.

Quo mandato devote recepto, legitime per nos citata universitate predicte Rocce quod mittent sindicos vel actores instructos, paratos contendere cum supradictis hominibus Cavensis monasterii super predictis in imperiali curia co. . . . . sindici pro parte universitatis predicte expressim renunciaverunt cum dictis hominibus Cavensis monasterii contendere, dicentes quia non intererat eorum; nam res fiscalis agebatur. Prudentibus viris et domini imperatoris fidelibus, scilicet domino Riccardo Caputasini et judici. . . . . de Sancto Severo super hiis diligentem inquisitionem commisimus faciendam; quo-

(1) Deest locus, verisimiliter tamen *apud Sanctum Germanum*, unde imperator mox ad papam transitum faciens Reate se transtulit. Cf. Ricc. de S. Germ., *Chronic.* ad ann.

Digitized by Google

rum inquisitione super predictis facta et ad nos sub eorum sigillis transmissa, veniente postmodum apud Surrentum magistro Robberto de Tocco in justitiariatu judice et. . . . . mus fore probatum quod homines predicti monasterii infrascripti quos tenet in Rocca, non tenent a domino imperatore nisi de possessionibus et bonis ejusdem monasterii, preter quosdam infra notatos qui tenent a domino imperatore et sunt homines et vassalli monasterii memo. . . . . infrascriptis qui habent et tenent possessiones incartatas a quibusdam militibus Sancti Severi, Sancti Georgii, ejusdem Rocce et Nucerie, qui tanquam laboratores reddunt dictis militibus medietatem de bonis ipsarum possessionum desuper et desup. . . . . gallinas. . . . . tarenos; debent etiam nutrire iidem homines nuntium eorum a quibus tenent terras, quotiens vadit ad recolligendum victuale et mustum de possessionibus supradictis, sicut in eorum instrumentis plenius vidimus contineri. Pro possessionibus vero non eque bonis reddunt medietatem fructuum, desuper et subtus terraticum cum redditu tamen gallinarum, tarenorum et ovorum. Nos itaque justiciarius, quia per dictam inquisitionem ut dictum est invenimus fore probatum quod infrascripti homines omnia que tenent a dicto monasterio et nichil tenent a domino imperatore, exceptis terris dicto modo incartatis, habito inclitorum plurium et fidelium domini imperatoris diligenti consilio, decrevimus quod iidem homines infrascripti non conferant cum hominibus dicte Rocce in subventionibus, exactionibus et collectis; alios vero infra notatos quos probatum fuit tenere terram de demanio domini imperatoris, decrevimus cum hominibus Rocce predicte conferre in collectis et exactionibus, sed in facultatem eorum que tenent a domino imperatore. Homines quos monasterium habet in Rocca predicta qui non tenent a domino imperatore et quos decretum est non debere conferre cum hominibus predicte Rocce in collectis et aliis subventionibus, sunt hii : Matheus de Dompna Suzanna, Gucirazius, Guillielmus Gueira, Johannes Celentanus, Petrus de Furino, Fortunatus, Johannes Calvenese, Marotta de Crescentio, Robbertus de Salerno, Laurencius Calvenese, Robbertus de Pero. . . . . Matheus Forniscus, Petrus Avisanus cum suis, Sarracenus Patricius,

Digitized by Google

Johannes de Rapoano cum suis, Barcholus de Laurentio cum suis, Petrus de Amata cum suis, Sarracenus de Forino, Johannes Cafanus cum suis, Majorinus cum suis, Johanninus cum suis, Rogerius. . . . . vicus cum suis, magister Matheus cum suis, Guilielmus magister, dompnus Johannes Calvenese cum suis, Petrus Albus, Petrus Calvenese cum suis, dompnus Matheus Calabrese cum suis, Johannes Ariolus, magister Riccardus cum suis, Jacobus cum suis, Petrus de Magistro. . . . . terris domini imperatoris et sunt vassalli predicti monasterii; quos decretum est conferre debere cum hominibus Rocce in exactionibus et collectis, justa quantitate eorum que tenent a domino imperatore, sunt hii : Petrus de Sergio, Johannes Cocus, Urso de Milicia ma. . . . . Angeli pro eo quod tenet ex parte Trocte uxoris sue, Johannes de Salerno et Turgisius frater ejus. Ad cujus rei memoriam et vassallorum Cavensis monasterii prescriptorum et futurorum cautelam, presens scriptum per manus Petri de Sancto Severino in justiciariatu. . . . . et prescripti judicis subscriptionibus roboratum. Hoc scriptum scripsi ego Petrus Sancti Severini et in justiciariatu notarius, et meo signo signavi.

† Nos qui supra Thomasius de Montenigro imperialis justiciarius.

† Ego Petrus de Tocco, advocatus curie ejusdem domini justiciarii, predictis interfui et testis sum.

† Ego qui supra Robbertus de Tocco in justiciariatu judex.

† Ego magister Mattheus de Dompno Mauro, medicus predicti domini justiciarii, predictis interfui et testis sum.

Laterani, 20 mali. Gregorius papa Lombardos hortatur ut propter negotia quae in praesentiarum occurrunt, militibus qui ex Allemania ad imperatorem in apparatu pacifico venire properant, liberum transitum permittant.

(Edid. Savioli, *Annal. Bologn.*, t. III, p. 140.)

Datum Laterani, XIII kalendas junii, anno VIII.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, omnibus nobilibus in imperio constitutis mandat ut pacem in curia Francofurtensi firmatam infra quatuor hebdomadas jurent, a divitibus et pauperibus similiter jurandam et servandam. [Malo vel junio.]

(Edider. SCHANNAT, *Vindemiae litter.*, pars I^a, p. 197. — PERTZ, *Monum. Hist. German.*, t. IV, p. 302.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ducibus, nobilibus, liberis et ministerialibus omnibus in imperio constitutis gratiam suam et omne bonum. Scire debetis certissime et nullatenus dubitare quod si status terre vestre malus est et turbatio est in partibus vestris, ut audivimus, supramodum nobis displicet, et ut emendetur in melius omnem diligentiam quam poterimus intendimus adhibere. Mandamus ergo vobis sub obtentu gratie nostre ut pacem firmatam in curia celebrata Frankenfurt (1) infra quatuor ebdomadas juretis, tam divitibus quam pauperibus nobis subjectis ut similiter jurent et servent injungentes diligentius et mandantes. Quicunque enim non juraverit et mandatum nostrum adimplere neglexerit, indignationem nostram indubitanter se noverit incurrisse, et hoc etiam volumus ut precepti nostri contemptores in proxima curia quam celebraturi sumus manifeste in nostra presentia nominentur.

Gregorius papa Lombardis scribit quod si eis mandaverit ut liberum transitum darent militibus ad imperatorem pro subsidio [Reate, 3 julii.

(1) Scilicet hoc ipso anno, mensis februarii die undecimo, ut ipse opinatur Pertzius. Licet mentio regni Hierosolymitani in titulo omittatur, nulli alii tempori quam anno 1234 hoc se mandatum aptius accommodat.

Digitized by Google

Ecclesiae contra Romanos venientibus, non in aliquo modo moveantur, dum non cesset pro eorum statu conservando opportuna consilia cogitare.

(Edid. partim Raynald., *Annal. eccles.*, t. XXI, § IV ad ann. 1234, e regest. Gregor., lib. VIII, epist. 148.)

Gregorius, etc., Lombardis, etc. . . . . .

. . . . . .

Cum diverse ac varie forent contra Ecclesiam inquietudines Romanorum, ita quod Sedes Apostolica sine confusione sua non poterat quin uteretur imperialis brachii ministerio evitare, dictus imperator ad presentiam nostram accedens, ad Ecclesie Romane defensionem et patrimonii sui sponte se obtulit (1), sicut ad id specialiter tenebatur. Unde cum auxilium militum necessarium esset eidem, vobis ut liberum transitum daretis eisdem direximus scripta nostra (2), super quo qualiter sit processum plene novistis. Verum cum non possetis absque offensa Apostolice Sedis offendi, que reputat vos membra ejus honorabilia et filios speciales,

---

(1) « Mense madio [verisimiliter exeunte], imperator per Sanctum Germanum habens transitum apud Reate ad papam vadit, ducens secum Conradum filium suum et se ad servitium Ecclesiae exponens contra Romanos. » Ricc. de S. Germano, *Chronic.*, ad ann. — « Cujus discordiae causam dictus imperator agnoscens, cum decrevisset pro imminente sibi necessitatis eventu contra Heinricum ejus filium, in ipsius juris invidiam sibi jura imperii vindicantem, ad Ecclesiae patrocinium implorandum, Reate concitus nec invitatus advenit; Ecclesiae causam quam ut advocatus ex imperii debito et vasallus ex homagio regni Siciliae gemino tenebatur defendere juramento, cum supplicatione suscipiens, domino papa et fratribus de ipsius fide dubitantibus, etc. . . . Qui post tractatus et collocutiones multiplices, post familiare convivium quod eadem mensa et scutella communis simul utrique principi ministrarat, ut cautius falleret, cautionem adjecit, Conradum natum proprium obsidem ad summi pontificis pedes exponens regni et imperii juribus pro fide servanda fraudulenter oblatis. » *Vit. Gregor. IX*, ap. Muraton., *Script.*, t. III, p. 580. Rem quoque ipse imperator memorat in litteris postea scriptis, scilicet 20 aprilis 1239, ubi haec inter alia leguntur : « Ad istius pape presentiam personaliter ivimus, etiam non vocati, ducentes nobiscum Conradum filium nostrum. . . . ac eumdem post oblatam Ecclesie personam nostram, in totum obsidem summo pontifici nos offerre non puduit. »

(2) Cf. supra papae epistolam, p. 470.

Digitized by Google

non debetis in aliquo modo moveri, nec unquam dubitare potestis quod paternum affectum quo sincera vos complectimur charitate, deponere debeamus. Propter quod nihil vobis deperit, sed accrescit potius si Romana Ecclesia mater vestra in libertate et honore debito conservetur, maxime cum nos vestris profectibus ex intimis cordis et animi aspirantes, non cessemus pro statu vestro salubriter conservando opportuna consilia cogitare.

Datum Reate, V nonas julii, anno VIII.

Reate, 6 julii.

Gregorius papa Treverensem archiepiscopum monet se Henrico Friderici Romanorum imperatoris filio scripsisse ut juxta promissionem quam ipse litteris et bulla aurea munivit, patri suo devotus et obediens existat. Alioquin archiepiscopo mandat ut, sicut Henricus se ipsum voluntarie ligavit, eumdem Henricum pro perjurio excommunicatum per Teutoniam nunciet et nunciari faciat.

(Edid. Wurdtwein, *Nova subsid. diplomat.*, t. I, p. 56; ex cod. eccles. S. Andr. Wormat.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Trevirensi salutem et apostolicam benedictionem. Generalis tenet opinio et habet assertio singulorum quod celi luminaribus secundum mensuram magnitudinis sit differentia claritatis. Illis ergo quos adeo divina potentia constituit in populo precellentes ut quasi pre aliis quedam luminaria censeantur, merito inesse debet cura studii vigilantis ut, sicut ad invicem statu excellentie differunt, sic plenioris virtutis lumine decorentur. Sane si dilectus filius nobilis vir Henricus, natus karissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis illustris, diligenter attendit quod sibi celsitudinis in hoc superne providit sapientia majestatis quod illius principis preeminentis est filius qui pre cunctis terre regibus fulget imperiali diademate coronatus, verum

Digitized by Google

quia rerum quibus inest perfectionis titulus, precipua preter dilectionem Dei dicitur et existat parentes prosequi devotione continua et reverentia non remissa, eo quod exinde bonum presentis retributionis proveniat et eterne, nobilitati sue per literas nostras (1) bona fide consulimus et eam affectione qua possumus exhortamur ut prudenter advertens quod longevus super terram redditur qui parentum honoris studio deputatur, et quod lucerna ejus extinguitur in tenebris qui maledictis offendit innocentiam genitoris, si apud Deum et homines prosperari desiderat et matris Ecclesie promereri gratiam devotionis filiis multipliciter fructuosam, ab omnibus que imperatoris ejusdem patris sui sunt desideriis dissona vel ejus beneplacitis non accepta, se penitus constituat alienum; memor quod, ut verbis utamur que missarum nobis suarum litterarum series continebat, se corporali astrictum (*sic*) spontanee juramento quod quidquid et quoties predictus imperator secum disponeret ad exequendum, ore, litteris vel nuntiis demandaret, id voluntarie ac bona fide expleret, nihilque committeret quod persone, terre seu rerum prenominato patri suo pareret detrimentum; adjiciens nihilominus, ut summatim verba tangam que tam patentibus suis litteris bulla aurea communitis quam specialibus illis quas nobis sua destinavit devotio continentur, quod dilecto eidem imperatori honorem nec his favorem impenderet qui sibi existerent odiosi, nihil assumpturus de cetero faciendum quod merito suam offenderet voluntatem; et si ex adipe iniquitatis scienter incideret in aliquod predictorum, se feriendum mucrone anathematis obligavit, usque adeo a communione sacramentorum religionis ecclesiastice relegandum donec ejusdem imperatoris pareret beneplacitis et mandatis (2). Preterea idem nobilis principes omnes tam ecclesiasticos quam mundanos contra se predicto imperatori adherere statuit, cum per eumdem super hoc fuerint requisiti, ex tunc omnes alios principes absolvendo qui sibi fidelitatis

(1) Sub eisdem vocabulis, mutatis tantum mutandis, scriptas fuisse opinamur has alias quas ipsi Henrico direxit papa litteras. Nusquam tamen alibi de eis mentionem sive notitiam invenire potuimus.

(2) Totus ille locus magni momenti fit ut cognoscamus quid litterae Henrici regis, hodie deperditae, continerent. Cf. supra, p. 325, not. 1.

Digitized by Google

prestiterant juramentum (1). Ut igitur idem Henricus juventutis sue primitias que per incrementa virtutum ad altiora provehi felicibus auspiciis exoptatur, pravorum seductus consiliis, labe maculari perjurii non permittat, premissorum observantie ita studeat vacare sollicitus quod dictus imperator in nullo per eum ammodo videatur offensus. Quod si, quod absit, adjecerit ultra quibuslibet levitatis ineptiis contraveniendum, ex nunc, ne tandem causari valeat quod omisso monitionis paterne debito circa se videamur tramitem providentie reliquisse, pro firmo sibi constare volumus quod ab eo ita favoris nostri gratiam avertemus ut evidenter intelligat se in hoc discretionis caruisse lumine, si illum qui eum genuit et multiplicatis honoribus exaltavit, vel in minimo apposuerit perturbare, pro cujus amplianda gloria et honore nedum omnem cordis affectum liberaliter deberet exponere, imo ad hoc vitam, si necessitas incumberet, quolibet sublato diffugio, spontaneus deputare, omnes contraria suadentes non homines, sed demones potius arbitrando, maxime cum post Deum secundum velle imperatoris ejusdem habeat necesse dirigi; qui si sua importunitate turbatus, oculos ab eo solite propitiationis avertat et silentibus nobis. . . . . .

Quod cum illatam imperatori memorato injuriam nostram merito reputamus, eo quod Ecclesie provisus a Domino sit defensor, arbitrantes nobis accrescere quidquid sibi in bonis contigerit advenire, sepefato nobili si eidem imperatori obnoxius et devotus extiterit, erit Sedes Apostolica in favorum munere liberalis. Alioquin, ne ipsum ad damnum quasi negligentibus nobis predictus imperator notum sibi sentiat de quo exaltationis deberet dona percipere, ac pre patribus universis cumulatis exaltationibus abundare, quinimo ne dicto nobili sequente arbitrii proprii libertatem, quod avertat Dominus, id contingat accidere per quod Ecclesie et imperii dignitas possit aliquod inconveniens sustinere; fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus quatenus, sicut memoratus nobilis voluntarie se ligavit quod nisi quod in predictis continetur litteris observaret, nulla monitione previa et absque strepitu judicii

(1) Vide supra instrumentum Bertholdi patriarchae Aquilegiensis et caeterorum nobilium, p. 325.

Digitized by Google

excommunicationis vinculo per Ecclesiam ligaretur, eum per totam Teutoniam excommunicatum [pro] perjurio publice nunties et facias nuntiari, contradictores per censuras et appellatione prescripta (*a*) compescendo.

Datum Reate, III nonas julii, pontificatus nostri anno octavo.

Reate, 13 julii. Gregorius papa, ad preces Friderici Romanorum imperatoris, electo Curiensi concedit ut fructus beneficiorum quae prius canonice obtinebat, usque ad suum beneplacitum retinere possit.

(Edider. Wurdtwein, *Nov. subsid. diplom.*, t. VI, p. 44.— Mohr, *Cod. diplom. Rhaet.*, p. 322, n° 211.)

Gregorius, etc., dilecto filio electo Curiensi (1) salutem, etc. Pro te fuit nobis humiliter supplicatum ut cum electio de te in episcopum Curiensem celebrata canonice per venerabilem fratrem nostrum Maguntinum archiepiscopum metropolitanum tuum rite fuerit confirmata, et ecclesia Curiensis gravi prematur onere debitorum, retinendi saltem usque ad certum tempus beneficia que prius canonice obtinebas, licentiam tibi concedere dignaremur. Nos igitur carissimi in Christo filii nostri regis (*sic*) Romanorum imperatoris semper augusti pro te supplicantis devotis precibus inclinati, veris existentibus supradictis, percipiendi fructus beneficiorum ipsorum usque ad nostrum beneplacitum auctoritate tibi presentium concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Reate, tertio idus julii, pontificatus nostri anno octavo.

(*a*) Sic, sed forsitan legendum *postposita*.

---

(1) Scilicet *Ulrico de Kyburg*, post decessum Bertholdi episcopi Curiensis, a Rudolfo de Greifenstein crudeliter occisi.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Conradi junioris landgravii Thuringiae et Henrici landgravii, comitis palatini Saxoniae, fratris ejus, hospitale Sancti Francisci in Marburg, a beata Elisabeth eorum sorore constructum et ab ipsis dotatum, in protectionem suam cum omnibus bonis suscipit. Reate, julio.

(Editum ap. Feder, *Unterricht von des Hohen Teutschen Ritter-ordens, insbesondere der balley Hessen,* Beyl. I, n° 7.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod dilectus princeps et consanguineus noster Conradus junior lantgravius, frater Henrici Thuringie lantgravii, Saxonie comitis palatini, constitutus in presentia nostra, pro parte sua et ejusdem fratris sui celsitudini nostre supplicavit humiliter et devote ut hospitale Sancti Francisci in Marpurg, quod pro Christi reverentia sancte recordationis nobilis mulier Elisabeth soror eorum construxit et ipsi fratres idem hospitale de bonis suis pie dotare curarunt, sub protectione ac defensione nostri culminis recipere ac confirmare sibi omnia que nunc juste tenet et possidet et que in antea justo titulo adipisci poterit, dignaremur; specialiter autem aream in qua idem situm est hospitale cum decimis et universis proventibus novalium sitorum inter viam que de Marpurg tendit Ockirshusen et acumen montis qui dicitur Cassenburg, que omnia dictum hospitale possidet ex dono ipsorum fratrum, sicut in eorumdem privilegio diffusius et plenius continetur. Nos autem dicti Conradi et Henrici fratrum, dilectorum principum consanguineorum nostrorum, precibus grato concurrentes assensu, dictum hospitale cum omnibus justitiis, rationibus et possessionibus suis que in presentiarum juste tenet et possidet ac in antea pia fidelium largitione justo acquisitionis titulo poterit adipisci, cum prefata area in qua idem situm est hospitale,

Digitized by Google

cum omnibus superius predistinctis, recipientes sub protectione ac defensione nostri culminis speciali, confirmamus ea omnia hospitali jamdicto et presentis divalis pagine patrocinio communimus (1). Universis et singulis imperii fidelibus sub pena gratie nostre et centum marcarum argenti firmiter injungentes quatenus nullus sit qui dictum hospitale, magistrum et fratres ibidem Domino famulantes contra presentem protectionem, defensionem ac confirmationem nostram super premissis omnibus impedire seu ausu temerario perturbare presumat. Quod qui presumpserit, preter indignationem nostram pretaxatam centum marcarum penam se noverit incursurum, medietatem camere nostre, reliquam passis injuriam persolvendam. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo celsitudinis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Reate, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense julii, septime indictionis.

Apud Reate, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, cives Erfordienses cum omnibus eorum bonis sub speciali protectione sua recipit, eisque approbatas consuetudines et antiqua jura in perpetuum confirmat.

(Edi'er. Lunig, *Reichsarchiv.*, t. XVI, pars II, p. 427. — Falckenstein, *Histor. von Erfurt*, t. I, p. 81.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod fideles nostri cives Erf-

---

(1) Extat autem ap. Feder, *ibidem*, n° 46, bulla Gregorii IX qua ad supplicationem Henrici et Conradi fratrum lantgraviorum Thuringiae, idem hospitale Sancti Francisci cum omnibus ejus juribus domui hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum confert. Dat. Reate, kalendis julii, pontificatus anno octavo. (1° julii 1234.)

Digitized by Google

fordienses majestati nostre humiliter supplicarunt ut eos sub protectione nostra recipientes, bonos usus et approbatas consuetudines et antiqua jura quibus hactenus usi sunt sibi et heredibus suis confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos igitur supplicationes eorum benigniter admittentes et attendentes puram fidem et devotionem sinceram quam ad nos et imperium indefesse habuerunt semper et habere non cessant, predictam civitatem Erffordie et cives ipsius cum omnibus bonis suis sub speciali protectione ac defensione nostre recepimus majestatis, et omnes bonos usus et approbatas consuetudines necnon et antiqua jura quibus dicti cives hactenus rationabiliter et libere usi sunt in civitate predicta, eisdem civibus Erffordiensibus et eorum heredibus de nostra gratia in perpetuum confirmamus. Mandantes et injungentes firmiter universis quatenus nullus sit qui eosdem cives fideles nostros vel ipsorum heredes super predictis contra hujus protectionis et confirmationis nostre tenorem temere molestare seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus autem protectionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum fieri jussimus celsitudinis nostre sigillo munitum.

Datum apud Reate (*a*), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense julii, septima indictione.

Reate, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, baronibus, militibus et populo Aconensi notum facit se Theoderico archiepiscopo Ravennati, Apostolicae Sedis legato, officium nuncii sui commisisse, ita ut formam concordiae inter se et ipsos jam contractae idem archiepiscopus loco sui conservare possit.

(Edider. Lunig, *Reichsarchiv*, t. IV, p. 152, et *ibidem, Spicil. eccles.*, t. V, totius operis t. XIX, p. 3.— Rubeus, *Histor. Ravenn.*, p. 407.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hieru-

(*a*) In Lunigio *apud Renat.*, male.

Digitized by Google

salem et Sicilie rex, baronibus, militibus et universo populo Acon, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Inter alia que nostra moderatione reguntur et debite provisionis regimine gubernantur, specialis nos cura sollicitat et ingens urget sollicitudinis instantia culmen nostrum ut regni nostri Hierosolymitani statum in abundantia pacis et justitie disponamus, et tam vos universaliter quam ceteri fideles nostri possitis nostre serenitatis favorem et gratiam juxta solitum obtinere, presertim ut terra sancta Hierusalem pro cujus obsequio et salute totius christiani nominis est attenta devotio et universalem pacem exigit ad sui subsidium reformari, vestrarum mentium tranquillitate composita et omni dissensione sopita, suorum viscerum quiete respiret. Quia ergo sanctissimus in Christo pater summus pontifex, de universali pace pro terre sancte subsidio reformanda sollicitus specialiter, mittit ad partes ipsas dilectum principem nostrum Theodoricum venerandum archiepiscopum Ravennatem, Apostolice Sedis legatum, qui aspera in plana convertat et dirigat in melius statum vestrum, nos ut pote qui tanti patris tam laudabilem tenemur prosequi voluntatem, ad sue monitionis instantiam dictum principem nostrum archiepiscopum Ravennatem nihilominus nostrum nuncium duximus statuendum, qui nostrum vobis reserabit propositum et affectum et quod ad vos ex innata mansuetudine benigna serenitate convertimur, omnes et singulos patulis brachiis recepturi, si vos ad nos conversi fueritis, prout ab eodem Apostolice Sedis legato et nuncio nostro expressius audietis. Quocirca universitati vestre mandamus quatenus ea que vobis pro parte nostra dictus Apostolice Sedis legatus et nuncius noster proponet, intendere et firmiter credere debeatis; scientes insuper quod si formam concordie per venerabilem patriarcham Antiochenum et magistrum domus Theutonicorum inter nos ex una parte et vos ex alia jam contracte volueritis vobis amodo conservari, nos eidem archiepiscopo plene commisimus ut eam vobis loco nostro et auctoritate conservet. Nos enim id quod dictus Apostolice Sedis legatus et nuncius noster secundum tenorem forme procedet et faciet, ratum et firmum habere volumus et inviolabiliter observari mandamus. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presentem paginam fieri et sigillo nostro jussimus communiri.

Digitized by Google

Datum Reate, anno incarnationis dominice MCCXXXIV, mense augusti, VII indictionis.

Gregorius papa nobilem virum Johannem de Ibelino arguit quod Fridericum Romanorum imperatorem offenderit, eique mandat ut satisfaciat. Apud Arronem, 7 augusti.

(Memorat. ex *Indice litter. Gregorii IX*, ap. collect. La Porte du Theil, in Biblioth. reg. Paris., R. L. 56.)

Datum apud Arronem, VII idus augusti, anno VIII.

Gregorius papa omnibus praelatis Hierosolymitani regni nuntiat, se, cum Terrae Sanctae subsidio per generalem populi christiani succursum subveniendum providerit, ad partes illas destinare Theodericum Ravennae archiepiscopum, Apostolicae Sedis legatum, cui super pace ibi reformanda intendere procurent. Spoleti, 8 augusti.

(Edid. LUNIG, *Reichsarchiv*, t. IV, p. 152, et t. XIX, p. 3.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis [et div]ersis aliis ecclesiarum prelatis per Hierosolymitanum regnum constitutis salutem et apostolicam benedictionem. De liberatione Terre Sancte vehementer anxii et sine intermissione solliciti, non cessamus dum flebilem ipsius casum attendimus, pro ejus statu opportuna consilia cogitare. Unde nuper deliberatione prehabita cum fratribus nostris et venerabilibus fratribus Constantinopolitano, Antiocheno et Hierosolymitano patriarchis, archiepiscopis, episcopis et multis aliis ecclesiarum

Digitized by Google

prelatis apud Sedem Apostolicam constitutis, presente et acceptante carissimo in Christo filio nostro Frederico Romanorum imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege illustri, pie terre ipsi subveniendum providimus per generalem populi christiani succursum (1), et ubique, sicut est negotio permaxime necessarium, pacis seu treugarum debere fidem observari. Quia vero turbationi et ex hoc gravi periculo subjacet terra predicta, propter quod labor hujusmodi esset inutilis si pacem ipsa non haberet, pro qua hec provisio emanavit, et facile amitti contingeret paucas que supersunt reliquias ex eadem; nos nolentes sicut nec debemus ipsius exterminium sustinere, venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Ravennatem, Apostolice Sedis legatum, cujus discretionis et probitatis merita nos hortantur ut in arduis negotiis vices nostras fiducialiter committamus eidem, ad partes vestras duximus destinandum. Quocirca universitatem vestram monemus per apostolica scripta mandantes quatenus eum sicut Apostolice Sedis legatum debito suscipientes honore, salubribus ipsius monitis et mandatis et specialiter super pace ibi reformanda, tam devote quam humiliter intendere procuretis. Alioquin sententiam quam rite tulerit. . . . . ratam habebimus et servari, auctore Deo, usque ad satisfactionem congruam faciemus.

Datum Spoleti, VI [idus] augusti, pontificatus nostri anno octavo.

Spoleti, 8 augusti.

Gregorius papa praelatis [et universis] regni Hierosolymitani mandat ut pacem inter ipsos et imperatorem initam inviolabiliter

---

(1) Legimus in *Vit. Gregor. IX*, papam hoc tempore Spoleti congregavisse conventum de rebus Syriacis, cui astiterunt tres patriarchae, scilicet Constantinopolitanus, Antiochenus et Hierosolymitanus. Cf. RAYNALD., *Annal. Eccles.* ad ann. 1234, § XXVII. Adest quoque ap. Matthaeum Parisiensem universis fidelibus per Angliam constitutis a Gregorio missa epistola, qua monet quod, quum vicinus sit terminus treugarum ab imperatore cum soldano initarum, quisque ad Terrae Sanctae subsidium viriliter se accingat. Dat. Spoleti, II non. sept., ann. VIII (4 sept. 1234). *Histor. major*, edit. 1644, p. 274 et seqq.

Digitized by Google

observent; alioquin se archiepiscopo Ravennati injunxisse ut omnia in eum statum reducat in quo ante subortam discordiam fuisse noscuntur.

(Edid. partim RAYNALD., *Annal. eccles.* ad ann. 1234, § XXXII, ex regest., lib. VIII, n° 183.)

Gregorius, etc., regni Hierosolymitani presulibus, etc. . . . . Pacem quam jamdudum predicti Antiochenus patriarcha et dilectus filius magister domus Theutonicorum inter imperatorem ipsum ex una parte et vos ex altera facere curaverunt, que, cum littere super hoc nobis congruo tempore presentate non fuerint, non extitit per Sedem Apostolicam confirmata, sine difficultate qualibet acceptantes, inviolabiliter observetis eamdem; ita quod, propitiante Domino, nullum impedimentum obsistat quin ad subsidium vestrum Ecclesia valeat sicut disposuit christianum populum advocare. Alioquin, cum nequeamus predicto imperatori deesse in justitia, quem velut Ecclesie brachium speciale in rationibus suis abundantiori tenemur affectu fovere, archiepiscopo ipsi (*a*), quem tanquam Ecclesie Romane legatum debito suscipiatis honore et ipsius pareatis humiliter monitis et mandatis, per litteras nostras injungimus ut omnia quoad jus possessionis et proprietatis [in] eum statum auctoritate nostra reducat in quo fuisse noscuntur ante discordiam inter marescallum imperatoris ejusdem et vos, inimico pacis faciente, subortam, etc. . . . . .

Datum Spoleti, VI idus augusti, pontificatus nostri anno VIII.

Imperator cum gente sua una cum magistro Raynerio cardinale Viterbium se confert, praedicto Conrado filio suo et qui cum eo usque Reate iverant redeuntibus in regnum imperatore mandante. [Augusto-septembri.]

(*a*) Scilicet *Theodorico* archiepiscopo Ravennati, qui supra p. 480.

Et tunc apud Raspampanum (1) quod Romani custodiebant, obsidionem ponit de cardinalis consilio imperator; ubi per duos menses faciens moram, cum in capiendo castro ipso non proficeret (2), mense septembris in regnum reversus est.

[Augusto vel septembri.] Fridericus, Romanorum imperator, scribit papae se mittere Gebardum de Arnestein, imperialem in Italia legatum, qui mandatum apostolicum obtineat ad id ut homines Spoleti et Marchiae sibi auxilium largiantur.

(Edider. Martene et Durand, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1146, n° XII. Coll. cum cod. Bibl. reg. Paris., *Fonds S. Germ.*, n° 455, p. 1.)

Fridericus, etc., summo pontifici, etc. Cum mutuis teneamur nos juvare subsidiis, et nostra intersit, prout sumus advocatus Ecclesie, adesse favorabiliter ad tuitionem ecclesiastice libertatis et vos nobis et nostris necessitatibus requisitum auxilium non negare, confidenter olim paternitatem vestram recolimus requisisse ut universis de Spoleto et Marchia mandaretis quod ad requisitionem nostram debitum nobis servitium exhiberent. Super quo licet recepimus a vestra paternitate responsum quod vos inde intromittere nolebatis et ut quod nostrum erat per nos exinde fieri mandaremus, nichilominus tamen sancte matri Ecclesie ac vobis

---

(1) Hodie *Rocca Rispampani* juxta Toscanellam, octo passuum millibus Viterbio distans.

(2) Si fides auctori *Vitae Gregorii* adhibeatur, caeterum in imperatorem mordaci stylo utenti, Fridericus nimis tepide causam Ecclesiae gessit : « Violato prioris fidei foedere, mutatus in hostem, hostibus se conjunxit, recessus sui diem certum certis cautionibus statuens. . . . . non minus in hoc pusillanimitatis opprobrio quam infidelitate notandus. Hic majestatis titulum in officium venaturae commutans, non armis decoratus et legibus, sed canibus et avium garrulitate munitus, factus de imperatore venator, excellentiam sceptri in ferarum venabula commutavit, et hostium vindicta postposita, in capturam avium sollicitabat aquilas triumphales. » Cf. Raynald. ad ann., § V.

Digitized by Google

deferre volentes, mittimus Gebardum de [Arnesteyn] (*a*), sacri imperii in Italia legatum, fidelem nostrum, vestram rogantes attentius sanctitatem quatenus eisdem hominibus Spoleti et Marchie mandare dignemini ut ad requisitionem ejusdem legati nostri, sicut nobis tenentur et debent, secundum ingruentis necessitatis exigentiam, auxilium largiantur (1).

Fridericus, Romanorum imperator, donat, concedit et confirmat Raymundo comiti Tolosano terram Venesinam totamque aliam quam in imperio sive in regno Arelatensi et Viennensi idem comes tenere consuevit, et restituit eum in dignitatem marchionatus Provinciae. Apud Montem Flasconis, septembri.

(Edit. ap. CL. DE VIC et VAISSETE, *Hist. génér. de Languedoc*, t. V, p. 679, preuves, n° CLXXVI, édit. du Mège, ex thes. cart. reg. Tolosae, sac. 5, n° 52; collat. cum originali in arch. imper., *Trésor des chartes*, J. 311, n° 52; cujus bullam auream nunc integerrimam insculpi fecimus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis excellentie solium tunc augetur, cum retinendo que donat et donando que retinet, vel subditorum devota obsequia remunerat, aut aliquorum devotionem munificentia liberalitatis acquirit. Nec ob id solum Romana sceptra regentibus et nomen et omen impositum esse dignoscitur augustorum, quod rebus et regnis augere tantummodo Romanum erarium intendissent; verum etiam quod aucta veteri

(*a*) Legitur in Martene *Gerbertum de Loco* et in cod. simpliciter *Gebardum de*..... De legato vero imperiali hujus vel similis nominis nulla alia mentio fit, nisi de Gebardo vel Gevehardo de Arnestein; unde cognomen supplemus.

---

(1) Desunt omnino chronologicae notae. Epistola tamen huic tempori quo Fridericus ad tuitionem Patrimonii accesserat, et praecipue dum ipse papa Spoleti moraretur, optime convenit.

Digitized by Google

fide fidelium vel novis extraneorum obsequiis imperium ampliarunt. Hac igitur consideratione commoniti, illustris nichilominus viri dilecti affinis et fidelis nostri Raymundi comitis Tolosani fide et devotione pensatis (1), recepto ab eo pro parte imperii fidelitatis et homagii juramento, de munificentia gratie nostre, qua bene meritos et devotos nostros benigne consuevimus prevenire, donamus, concedimus et confirmamus sibi et heredibus suis terram Venesini et totam aliam terram quam in imperio sive in regno Arelatensi et Vienne ipse vel antecessores sui habere et tenere consueverunt : videlicet civitates, castra, villas, cum plena jurisdictione, cum omnibus feudis et solitis pedagiis, usaticis et saunariis in idiomate ipso, que latine saline dicuntur, et cum omnibus aliis justitiis, juribus et pertinentiis ejusdem terre; restituentes eumdem comitem in pristinam dignitatem marchionatus Provincie quam antecessores sui similiter habuerunt; statuentes et imperiali edicto firmiter injungentes ut nulla omnino persona, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, dictum comitem vel heredes suos de predictis omnibus sub pena mille librarum auri puri, impedire seu molestare presumat; medietatem cujus camere nostre et aliam medietatem passis injuriam persolvendam decrevimus ab eo vel ab hiis qui contra hujus nostre majestatis edictum fuerint ausu temerario presumptores. Ut autem hec nostra donatio, concessio, confirmatio robur obtineat perpetue firmitatis, ad futuram memoriam presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa, jussimus communiri.

---

(1) Raymundus ut suam apud summum pontificem causam ageret, tunc in Italiam advenerat, adducta secum armatorum copia. Haec autem apud Matthaeum Parisiensem legimus : « Tunc exercitus summi pontificis cui praecrat *comes Tholosanus* quaerens gratiam, et episcopus Wintoniensis (quem dominus papa callide vocavit ad exercitum suum regendum, tum propter thesauri abundantiam, tum propter militandi peritiam,) et exercitus imperatoris simul convenientes casalia Romanorum per gyrum urbis posita numero XVIII prostraverunt . . . . Cives exierunt ab urbe VIII idus octobris ut civitatem Viterbium spoliarent, etc. Acies militares ipsius papae . . . et simul imperatoris ab insidiis prorumpentes irruunt in Romanos et ex eis magnam stragem non tamen sine suorum laesione fecerunt. » *Histor. major*, ad ann. p. 280. Huc convenit Riccardus de Sancto Germano, dum cladem Romanorum qui post imperatoris discessum usque Viterbium properaverant, enarret.

Digitized by Google

Hujus autem rei testes sunt : T. venerabilis Ydrontinus archiepiscopus, Frater H[ermannus] venerabilis magister hospitalis Sancte Marie Teutonicorum in Jerusalem, . . . prefectus alme urbis, G. de Arnesten imperii in Italia legatus, comes Alduinus, comes Conradus de Hohenloch, comes C. de Fayngen (1), H. et L. comites de Froburg, B. comes de Gravespach, A. de Arnesten, A. de Rotenwels, comes Simon Theatinus, Manfridus marchio Lanza, Ricardus camerarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. [*Monogramma.*]

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense septembris, octave indictionis, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus quarto decimo, regni Jerusalem nono, regni vero Sicilie tricesimo septimo, feliciter. Amen.

Datum apud Montem Flasconis, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Montem Flasconis, septembri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem principum imperii, controversiam inter se et Ottonem de Luneburg super proprietatibus Henrici ducis de Brunswick vertentem ad arbitrium principum ibidem nominatorum remittit; ita ut eadem quaestio a futuro festo sancti Johannis Baptistae usque ad annum decidatur.

(Edit. ap. SCHEID, *Origin. Guelf.*, t. IV, p. 141, ex autographo.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jeru-

---

(1) Idem qui supra, p. 430. Paulo post in praelio contra Romanos interiit. De quo Godefridus Coloniensis : « In hoc tamen conflictu periit nobilis comes Sueviae dictus *de Veingin*, sed plurimi capti fuerunt nobilium Romanorum. »

Digitized by Google

salem et Sicilie rex. Per presens scriptum pateat omnibus imperii fidelibus quod nos ad supplices dilectorum principum nostrorum instantias inclinati, quorum magna pars celsitudini nostre sepius attentius supplicavit et ad ultimum dilectum fidelem nostrum Albertum de Arnstein ad presentiam nostram in Italiam destinarunt, supplices magnificentie nostre per eum preces offerentes ut Ottonem de Luneburch fidelem nostrum in plenitudinem gratie nostre assumere dignaremur, de innata serenitati nostre clementia precibus eorum grato assensu occurrentes, cum zeli nostri maxime fervor exestuet ut subjecti nobis populi per latitudinem imperii pacis gaudeant ubertate, quidquid inter altitudinem nostram et prefatum O. de patrimonio et proprietatibus Henrici ducis patrui sui, que a primogenita filia sua comparuimus, uxore marchionis de Baden, dissidii vertitur vel rancoris, ad arbitrium dilectorum principum nostrorum patriarche Aquilegiensis vel fratris sui episcopi Babenbergensis, regis Boemie, landgravii Thuringie, alterius marchionum de Brandenburch, A. vel G. de Arnstein duximus referendum; committentes eorum fidei ut de prescripta questione inter excellentiam nostram et eumdem O. de plenitudine potestatis eis per nos collate taliter ordinent et componant, sicut utriusque partis honori et commodo viderint expedire. Si autem aliquis predictorum eidem arbitrio non potuerit interesse, ceteri alium pro eo quem voluerint eligant et assumant, statuentes ut eadem questio a futuro festo sancti Johannis Baptiste octave indictionis usque ad annum ad ultimum sit decisa; quidquid prefati arbitri de causa jamdicta tractaverint, statuerint aut composuerint, ratum et stabile fideliter habituri. Ad cujus rei evidentiam, presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Hujus rei testes sunt : Frater H. magister domus Theutonicorum, L. et H. comites de Vroburch, H. comes de Greiffesbach, G. de Arnstein, C. de Hohenloh, O. de Stuzzelingen, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno Domini M° CC° XXX° IIII°, mense septembri, indictione VIII.

Datum apud Montem Flasconis, anno, mense et indictione prescriptis.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, Ugolinum de Cortona publicum tabellionem imperii constituit. Apud Montem Flasconem, septembri.

(Edit. in epist. Franc. Bonainii, ap. *Archiv. stor. Italian.*, append. n° 12, p. 465, ex regist. veteri fere coaetaneo notarii Crescentii in archivo comm. Corton., f. 95 verso.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos confidentes de prudentia et legalitate Ugolini de Cortona, fidelis nostri, recepto ab eo juxta consuetudinem fidelitatis et officii juramento, constituimus eum publicum tabellionem imperii ut amodo publici tabellionatus officium ubique per imperium ad honorem et fidelitatem nostram debeat fideliter exercere. Quocirca universitati vestre precipiendo mandamus quatenus predicto Ugolino in hiis que ad ejusdem publici tabellionatus officium spectare noscuntur, intendatis de cetero tanquam publico tabellioni a majestate nostra statuto ad honorem et fidelitatem nostram; et nullus sit qui eum super eodem officio publici tabellionatus temere impedire vel perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum apud Montemflasconem, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo quarto, mense septembris, octave indictionis (1).

(1) Extant in eodem registro, fol. 98 recto, litterae ejusdem imperatoris et ejusdem formulae pro Bonaiuncta filio Aimerighetti de Cortona, editae cum his notis chronologicis: « Datum apud Montem Frasconem, anno dominice incarnationis MCCXXXIIII, mense decembris, VII indictionis. » Quae notae mendosae sunt, cum annus incarnationis et indictio non concordent, et insuper Fridericus in decembri 1234 intra fines Apuliae moraretur, ut mox videndum erit.

Digitized by Google

Apud Montem Flasconis, septembri.

Fridericus, Romanorum imperator, privilegium renovat quo totum negotium de Lombardia, marchia Trevisii et Romaniola provisioni, compositioni et laudationi summi pontificis committit.

(Memorat. in *Summar. privilegior. Eccl. Roman.* ex cod. card. Ottoboni ap. MARTENE et DURAND, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1246, et in *Catalog. chart. Rom. Eccles.*, ap. MURATORI, *Antiquit. Ital.*, t. VI, p. 86.)

Littera Frederici Romanorum imperatoris, regis Jerusalem et Sicilie, per quam notum facit omnibus quod ipse totum negotium illorum de Lombardia, marchia Trevisii et Romaniola, qui videbantur sibi et imperio adversari, tam super detentione regalium imperii et aliorum jurium quam de preteritis excessibus quocumque modo per eos contra imperatorem et imperium commissis, consilio, provisioni, compositioni et laudationi domini Gregorii summi pontificis pro pacis et status imperii reformatione commisit; et etiam si quid ipse imperator contra ipsos fecerat, totum ipsius domini pape arbitrio et provisioni commisit, et promittit tenere quicquid per dominum papam fuerit ordinatum et pro observantia illorum dare cautiones idoneas, si per partem aliam sibi dentur (1).

Datum apud Montemflasconis, anno dominice incarnationis MCCXXXIV, mense septembris, indictione VIII.

Perusii, 27 octobris.

Gregorius papa rectoribus Societatis Lombardiae scribit imperatorem totum negotium quod inter ipsum et Lombardos vertitur

(1) Hoc privilegium renovatio fuisse videtur alterius instrumenti dati Capuae, mense aprili, quod supra, p. 466. Caeterum contextus qui nunc deficit, quasi repetitur in epistola Gregorii IX, data Viterbii 21 martii 1236.

Digitized by Google

provisioni et compositioni Ecclesiae praecise commisisse; unde petit ut sibi ex parte Lombardorum patentes litteras, transcripto litterarum imperialium consimiles, infra unius mensis spatium transmittant.

(Edid. Höfler, *Kais. Friedr. II*, docum. p. 347, n° 19, ex regest. Gregor. IX, ann. VIII, n° 292.)

Gregorius, etc., rectoribus societatis Lombardie, etc. Grande desiderium quod de pace et tranquillitate Lombardorum dudum habuimus, materiam nobis obtulit ut de tractanda inter ipsos et . . . . . Fridericum . . . . . concordia salutari pluries vobis litteras mitteremus, in quarum ultimis scripsisse recolimus quod, cum idem imperator negotium Lombardie, marchie Trevisane, et Romaniole provisioni, compositioni et ordinationi Ecclesie commisisset, probos et honestos viros qui pro parte societatis Lombardie ad componendum cum imperatore predicto de pace et concordia coram nobis sufficiens mandatum haberent, ad nostram presentiam mitteretis. Verum cum vos id laudabiliter duxeritis adimplendum et commissa relatui nuntiorum diligenter ab ipsis exposita fuerint coram nobis, inter que si prefatus imperator tam de querelis quas Lombardi adversus ipsum se habere proponunt, quam de suis se vellet in manibus Ecclesie ponere ac precipue (*sic*) querebatur, tandem eisdem nuntiis, sicut Domino placuit, viam universe carnis ingressis, de voluntate imperatoris ejusdem super questione hujusmodi procuravimus edocere (*sic*). Ipse quidem, sicut princeps catholicus et avidus efficere per que status Ecclesie ac imperii possit in pacis gaudio reflorere, negotium totum inter ipsum et Lombardos tam super regalium et suorum detentione jurium necnon preteritis excessibus qui a Lombardis quocumque modo contra ipsum et imperium sunt commissa, quam quidquid per eumdem in lesionem et injuriam Lombardorum factum esse dinoscitur, sive generaliter omnia ex quibus vel propter que aliqua discordia inter ipsos et eumdem hactenus est exorta, consilio, provisioni, compositioni et laudationi Ecclesie per patentes litteras bulla aurea communitas precise commisit; ratum habiturus et firmum quod super his Ecclesia duxerit ordi-

nandum aut etiam quod de dandis utrinque cautionibus providebit, sicut ex earum transcripto intercluso presentibus plene poteritis informari (1). Ad hec enim, cum Lombardie provincia que dudum in dissensionis fuit turbine constituta, unde plus noscitur accidisse discriminis quam exponi valeat levibus documentis, sit per Ecclesiam in statum pacis et concordie his diebus potissime reformanda, presertim cum multis excitemur Terre Sancte clamoribus ut ejus miserando statui studeamus succursum celerem impertiri, de quo ut tanto possit procurari facilius quanto terrarum orbis fuerit a guerrarum et discordie fluctibus expeditus, providendum duximus quod ibi christiane fidei professores in statum pacis et concordie reducantur, ad hoc si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam compellendi; discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatenus provida meditatione pensantes quantum sit condecens et salubre ut et imperatoris memorati dextra quem Dei sapientia providit Ecclesie defensorem, victrici fortitudine contra depressores libertatis ecclesiastice roboretur, et quod prefata Terra tanto plus egeat Lombardie juvari subsidio quanto ipsa rebus fecunda cernitur et robustorum plurium munita multitudine comprobatur, ad amorem pacis et concordie corda Lombardorum societatis propensius inducatis, pro firmo tenentes quod cum eosdem Lombardos ita filios reputemus Ecclesie speciales quod pati aliquomodo non velimus ut a quoquam ipsis aliqua inferatur injuria vel jactura, diligentiam efficacem habebimus quod eis apud imperatorem et dilectum filium nobilem virum H. natum ejus et principes Theutonie securitatis plenitudinem, auctore Domino, procuremus. Pro his autem diligentius et expeditius exequendis, dilectum filium T. cappellanum nostrum ad vos duximus destinandum, quem vel nos in ipso potius honorifice pertractantes, sibi diligenter intendere ac super iis que vobis ex parte nostra retulerit, fidem curetis plenariam adhibere; curam dantes et operam ut si prefati Lombardi se super premissis omnibus in manibus Ecclesie ponere precise voluerint, sicut se dictus imperator posuit super hoc nobis, per patentes litteras vestrorum et civitatum societatis ejusdem sigillorum

(1) Agitur evidenter de litteris datis apud Montemflasconem, quae praecedunt.

Digitized by Google

appensione munitas, quarum tenor sit transcripto memorato consimilis, nobis infra unius mensis spatium post susceptionem presentium declaretis, nobis per capellanum eumdem jamdictas Lombardorum litteras transmissuri.

Datum Perusii, VI kalendas novembris, pontificatus nostri anno VIII.

[Immediate sequitur in papalibus regestis tenor litterarum de quibus mentio fit; has ediderunt Raynaldus, *Annal. eccles.*, ad ann. 1234, § XXXIV, et Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 303, ex regestis Gregor. IX, anno VIII, n° 293. Quas quidem non *reversales*, ut vocant, fuisse credimus, sed ipsam potius acceptionis formam Lombardis a papa transmissam :]

Notum sit omnibus presentes litteras inspecturis quod nos rectores, potestates et consilia civitatum societatis Lombardie, ex debito quo tenemur tanquam filii devotionis efficere que ad honorem sancte Romane Ecclesie matris nostre possint merito redundare, juxta consilium et submonitionem ipsius, omnes querelas quas habemus adversus serenissimum principem dominum Fredericum imperatorem semper augustum, Hierusalem et Sicilie regem illustrem, consilio, provisioni, compositioni et laudationi domini Gregorii Dei gratia summi pontificis et ejusdem Ecclesie pro reformatione pacis et statu Lombardie committimus. Si quid etiam per nos in lesionem vel injuriam imperatoris ejusdem factum est, totum provisioni et arbitrio predicte Ecclesie libere duximus committendum : nihilominus generaliter omnia ex quibus vel propter que inter nos et imperatorem eumdem aliqua discordia hactenus est exorta, in voluntate et ordinatione apostolica firmiter exponentes, quod quidquid ex hoc consuluerit et laudaverit ratum et firmum tenere volumus et habere. Modum etiam cautionum et formam, si que necessarie videbuntur prestande nobis ab eo vel ipsi per nos pro eorum observatione que inter nos et prefatum imperatorem Ecclesia duxerit statuenda de omnibus supradictis, similiter in totum committimus provisioni et arbitrio prefati summi pontificis patris nostri; ita ut nos cautionibus quas proinde providerit esse prestandas, debeamus pro parte nostra esse contenti : ut tamen et ipse nobis pro parte societatis nostre eas prestare debeat cautiones, quas

nobis Ecclesia viderit esse efficaces. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri.

Salpis, 28 octobris.

Henricus de Morra, magnae imperialis curiae magister justiciarius, vigore mandati imperialis cujus tenor inseritur, justiciariis mandat ut inquisitiones per diversas regni regiones fieri faciant, et quos noxios invenerint a locis propriis cum familiis eorum transferre, dividere et mutare procurent.

(Inedit. ex codice Panormitano, in biblioth. egregii viri Petri Settimi, principis Fitaliae, fol. 132 verso, 133 recto.)

Nobilibus viris justiciariis, etc., Henricus de Morra, etc. Nuper ab imperiali excellentia litteras recepimus sub hac forma :

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, Henrico de Morra, etc. Statum regni nostri pacificum vigili semper intentione zelantes, per quem honoribus nostris ac commodis fit non minus additio quam minus augmentum salutis fidelium, prosperantes in pace videmus adhuc quod labor iste nobis per usum vetus est et propter populos novus, cum leta virtutum germina vitiorum non careant inclusione mordaci, que quanto remissius ex raritate perlonga negligitur neglectaque pullulat, quanto libentius aculeos improvisos tendit ut ledat. Ad hoc igitur perspicacius (*a*) intuendum nostre mentis aciem docte more sagacitatis ad signum acuimus, et ut tam avidus et salubris (*b*) nostre serenitatis zelus per executores sollicitos proprium consequatur effectum, te ad hoc providemus eligendum; fidelitati tue mandantes quatenus in singulis justiciariatibus regni nostri per singulas civitates et loca quelibet inquisitionem fieri facias diligentem, et tam illos qui inventi sunt esse

(*a*) In codice *prospicatius.*
(*b*) In codice *tam avide sed salubris.*

Digitized by Google

capita inimicitiarum et divisionum ac fomites odiorum, quum (*a*) etiam auctoritate propria defensionem aliorum non in judicio, sed alias, necnon sine nota criminis et reprehensionem apparentem (*sic*) assumunt (1) et hujusmodi gloriantur ineptiis nec minus sibi quodam tempore proditione dissimulationis alludent, quam omnes alios temerarios, pronos ad rixas, sevientes minis et probris, incentores scismatis et scandali causam dantes, quorum (*b*) aures nostre provocantur auditu, ita dividere, transferre et mutare procures ut propter eorum excessus a locis propriis (*c*) et a fidelium bonorum incolatibus dividantur, glorientur boni, et si qui labi possent, non labantur, sed bonorum gloria et pravorum correptione firmentur ad bonum. Et ecce propter hoc singulis justitiariis damus per nostras litteras in mandatis ut mandato et ordinationi tue super his faveant efficaciter et intendant. Tu igitur commissum tibi mandatum nostrum sic studeas adimplere ut eorum partem (*d*) et tuam per eos diligentiam acceptemus. Data Salpis, XXVIII octobris, none indictionis (2).

(*a*) In codice *quam*.

(*b*) In codice *quarum*.

(*c*) Vox *propriis* ibi in sensum *demanii* vertitur.

(*d*) Sic; verisimiliter tamen legendum *per te*.

---

(1) Noscimus, exempli causa, dum Fridericus Reate moraretur, quemdam Gualterum de Aversa, credentem imperatori placere, castrum Sanctae Mariae de Oliveto quod Rogerius de Galluccio tenebat, vi cepisse; unde eum ad requisitionem papae et ipsius imperatoris mandatum, aliquamdiu carcere afflictum fuisse. Cf. RICC. DE S. GERM., *Chronic.* ad ann.

(2) Indictionis notationem perperam in codice fuisse transcriptam arbitramur, dum anno 1235, mense octobri, cui *nona* respondet indictio, imperator Augustae in Allemania versaretur. Legendum autem censemus *octave indictionis*. Nempe sub intervallo temporis quo Henricus de Morra praecipuum in justiciariatu locum obtinuit, mensis october anni 1234 itineri Friderici in Apulia degentis optime convenit. Praeterea Riccardus de S. Germano, postquam inquisitiones de infamibus et suspectis jam factas ad junium 1231 et januarium 1232 memoraverit, tum lucem ipsi instrumento, tum opinioni nostrae vim novam subjicit, his verbis: « 1235, mense februarii, inquisitiones fiunt per totum regnum *de hominibus demanii, quos in locis statutis transfert imperator cum familiis suis*. Propter quod de Sancto Germano et de tota terra monasterii nonnulli qui inventi sunt de demanio extitisse, apud Cumas ire cum suis familiis compelluntur. » Circa tempus idem, ut ex eodem Riccardo discimus, caeci tumultus per Apuliam serpebant, quibus praecavere voluit imperator, priusquam ad Allemaniam in occursum filii sui Henrici sibi rebellantis accederet.

Digitized by Google

Volentes igitur imperiale mandatum exequi sicut decet, super predictis omnibus nobilitati vestre commictimus vices nostras, ex imperiali parte auctoritate qua fungimur injungentes quatenus ipso imperiali mandato diligentius inspecto, sic super predictis omnibus inquirendis per singulas civitates et loca justiciariatus vestri illam diligentiam, curam et sollicitudinem adhibere curetis, sicut hoc de voluntate summi principis emanasse poteritis intueri; inquisitionem tandem ab illis propriis fieri facientes qui non sint de parte nec nota in eis appareat omnium predictorum super quibus ipsa inquisitio fieri debet. Minus est etenim dignum nec minus ab equitate discordat malos et pravos pro eorum malitia et pravitate punire quam fideles et bonos pro eorum bonitate diligere et fovere (*a*). Qua inquisitione facta cum summo studio sicut decet, quoscumque invenietis noxios super omnibus his que in ipso imperiali mandato aptius continentur, cum familiis eorum a locis et habitationibus propriis per unius diete distantiam transferre, dividere et mutare curetis; de bonis eorum mobilibus nihil auferentes vel auferri permittentes eisdem. Bona vero stabilia predictorum quos mutaveritis, ut est dictum, hiis quos ab uno loco in altero transtuleritis juxta quantitatem et qualitatem eorum que in locis propriis dimiserunt et juxta provisionem vestram ut possint vivere assignetis, et de omnibus que (*sic*) transtuleritis et mutaveritis quaterniones et scripta fieri facientes, ipsa sub sigillo nostro (*b*) ad imperialem curiam destinetis.

Data, etc. (*sic*).

[Octobri vel novembri circiter.] Fridericus, Romanorum imperator, universis scolaribus Bononiae notum facit se studium apud Neapolim in integrum refor-

(*a*) Sic in codice. Sensus tamen legendum requirit : *Non minus est enim indignum nec minus*, etc., *malos . . . . pro eorum malitia . . . non punire quam . . . bonos pro eorum bonitate non diligere et fovere.*

(*b*) Sic. Rectius tamen *vestro.*

Digitized by Google

mare, eosque invitat ut ad praedictam civitatem sub securitate et protectione sua in kalendis proximi septembris conveniant.

(Inedit. ex codice Biblioth. Guelferbitanae, n° 298, fol. 34 recto, ubi haec inscribitur rubrica : « Invitat imperator universos scolares ut veniant ad studium civitatis Neapolis, ipsos in sua protectione recipiens eisque suam gratiam repromittens. »)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis scolaribus Bononie commorantibus, dilectis suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Imperii Romani solio dispensante Domino presidentes, etsi ad publica mundi negotia ex commisso nobis onerum et honorum officio debita sollicitudine teneamur, inter universales tamen reipublice curas quibus imperialis sedes vehementius occupatur, non dedignamur ad specialia commoda singulorum nostre mentis aciem inclinare, ut qui milites nostros arma scire volumus et non leges, velimus viros scientiarum et cujuslibet professionis amicos, quorum eloquentia nostrum decorat imperium, nichilominus in ipsis nostro tam opere quam sermone proficere ac virtutis acquisite meritis et consilio militare, cum non minus scientia quam qualitate virorum imperii ac regnorum moderamina disponantur. Statutum ergo olim studium aput Neapolim civitatem uberrimam et locum in regno nostro salubritate aeris in quibuslibet oportunitatibus preelectum, cordi nobis est in integrum reformare (1). Cujus reformationi non dubitetis nos efficacem operam adhibere, cum in instanti per litteras nostras et nuncios doctores theologos ac utriusque juris professores ac magistros quarumlibet artium liberalium ad instituendum et fovendum quarumlibet professionum et scientiarum in eadem civitate gymnasia convocemus, libertatibus et immunitatibus universis necnon consuetudinibus scolaribus approbatis juxta

(1) De tempore quo haec scripta fuerit encyclica nihil dubii remanere potest, dum ea legamus ap. Riccardum de S. Germano : « Studium quod in Neapoli per imperatorem statutum fuerat, quod extitit turbatione inter Ecclesiam et imperium secuta penitus dissolutum, per imperatorem in Neapoli reformatur. » *Chronic.* ad ann. 1234, circa octobrem.

priorem concessionem indultam (1) tam doctoribus quam docendis per documenta publica confirmandis. Itaque cujuslibet professionis doctores in civitate predicta confidimus in kalendas proximi venturi mensis septembris sine dilatione qualibet convenire ut apto tempore ferventioris studii regimen prosequantur. Cum igitur plerique vestrum ex predicti loci experientia non ignorent quanta singulis ibidem studentibus oportunitas famuletur quantave pacis opulentia et rerum copia universitas scolarium consuevit habundare, et subprobatur (?) doctoribus et facundis spes leta proficiendi, quemlibet animamus et universitatem vestram ad idem studium invitamus; prudentie vestre mandantes quatinus confidenter et unanimiter ad predictam civitatem sub securitate et protectione nostri culminis vos conferre curetis prevenientes tempore tam studio quam studentibus oportuno. Gratiam enim nostram favorabilem et benignam adventus inveniet singulorum, et promptiorem curam vestris profectibus impendemus. Cives insuper exercicio studii precedentis vestris quodammodo assuefactos moribus et conformes ad commoditates vestras benevolos habebitis et attentos; et sic dante Deo nichil in studio vobis deerit ad profectum, nec inquietari poterit vestra tranquillitas favoris nostri robore premunita.

Datum, etc.

..... Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Vercellensium mittit eis magistrum V. juris civilis professorem, qui scholares edoceat, hortaturque ut ipsum honore debito recipiant.

(Edider. Martene et Durand, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1142-1143, n° VII; coll. cum cod. Bibl. reg. Paris., *Fonds S. Germ.*, n° 455, p. I. Exhibuit quoque Jac. Durandi, *Dell' antica condiz. del Vercellese*, p. 51.)

Fredericus, etc., Vercellensibus, etc. Quanquam milites nostros arma

(1) Cf. supra varia imperatoris mandata super ordinatione studii ejusdem, t. II, p. 447 et seqq.

Digitized by Google

scire velimus, tamen quia ad utrumque tempus, bellorum et pacis rectum et conveniens moderamen, non solum armis decoratam, sed et legibus armatam esse decet imperatoriam majestatem; subditorum nostrorum utilitatibus providentes, nobis proficere credimus et prodesse dum illis eruditionis materiam exhibemus, per quam processu temporis edocti militent patroni causarum, qui precellentis scientie munimine confidentes se, suos et patriam tueantur. Supplicationibus igitur pro parte vestra culmini nostro porrectis de providentia vestrorum scholarium (1) doctrine pro sufficientia utili et accepta liberaliter annuentes, magistrum V. (2), juris civilis professorem, fidelem nostrum, de cujus fide, prudentia et scientia certam fiduciam obtinemus, ad civitatem vestram duximus transmittendum; tam pro nostris servitiis juxta fidei sue debitum promovendis ibidem quam pro edocendis vestris scolaribus et aliis undecunque venturis juris civilis scientiam qua prepollet. Sit ergo devotionis et industrie vestre ob mittentis reverentiam honore debito recipere venientem, ut sicut petitionibus vestris satisfacimus in eodem, sic gratum velitis ostendere quod de talis viri scientia publicis vestris profectibus consulatur; ut non minus sue scientie regimen acceptetur in cathedra quam presentie sue consilium in nostris servitiis requiratur a vobis.

Fridericus, Romanorum imperator, Hermanno marchioni Ba- Apud Precinam, novembri.

(1) Ex instrumento de anno 1228, 4 aprilis, indict. I, ap. ZACHARIA, *Iter litter. per Italiam*, p. 142, comperimus fuisse statutum « quod universum studium Padue veniet Vercellis et moretur ibi usque ad octo annos ». Cum insuper, Tiraboschio testante (*Stor. dell. Lett. Ital.*, t. IV, p. 54 et seqq.), discamus studium Vercellense circa annum 1234 maxime floruisse, hanc epistolam tam stylo quam tempore non multum discedere arbitramur a praecedente qua studium Neapolitanum reformavit imperator. Haud multo post, anno scilicet 1236, civitas Vercellae ad Societatem Lombardorum divertit, neque ante mensem januarium 1238 in gratiam Friderici restituta est.

(2) Sub hac initiali littera Durandius conjecit forsitan latitare *Ubertum de Bobbio*, clarum hujus temporis jurisconsultum, qui revera Vercellis docuit. Rem tamen judicio peritorum relinquere satius erit.

Digitized by Google

densi contra violentias Henrici Romanorum regis filii sui obligationem suam de duobus millibus et trecentis marcis argenti super civitates Laufen, Sinsheim et Eppingen oppignoratis restituit et confirmat.

(Edid. Schöpflin, *Histor. Zaringo-Bad.*, cod. diplom., t. IV, p. 192, ex autogr. Badensi.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod olim presentes in Alemannia meminimus obligasse Hermanno marchioni de Baden fideli nostro civitates Loufen, Sunnesheim (*a*) et Eppingen pro duobus millibus et trecentis marcis argenti, et in feodo sibi dedisse civitatem Etteningen et civitatem Durla (*b*) in proprietatem, pro bonis que sibi ex parte uxoris sue (1) de proprietate in Brunsvic contingebant, juxta tenorem privilegii nostri exinde sibi indulti. Et quia per virum illustrem Romanorum regem Henricum filium nostrum coactus est de predicta summa remittere mille marcas et indultum nostre celsitudinis privilegium resignare, et quod civitates predicte non tenerentur obligate sibi nisi pro mille trecentis marcis argenti, nos volentes mandatum et obligationem nostram in sua sicut ante consistere firmitate, presentis scripti auctoritate mandamus quatenus civitates predicte obligationi duorum milium et trecentarum marcarum argenti subjaceant et amodo teneantur, sicut nobis in Alemania existentibus obligate fuerunt, non obstantibus litteris ab eodem marchione dicto regi filio nostro factis (2). Statuimus igitur et mandamus quatenus nullus sit qui dictum marchionem vel heredes suos

(*a*) Scilicet *Laufen* et *Sinsheim*.

(*b*) Scilicet *Ettlingen* et *Durlach*.

---

(1) *Irmingardis* nomine, primogenita filia quondam Henrici ducis Brunswicensis et palatini comitis Rheni. Cf. supra, p. 488.

(2) De dissidiis inter regem Romanorum et marchionem Badensem summotis, cf. infra litteras Henrici regis, dat. ap. Ezzelingen, 2° septembris hujus anni.

Digitized by Google

contra presentis obligationis nostre paginam impetere vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad cujus rei memoriam, presens scriptum fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Datum apud Precinam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense novembri, octave indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, filios Heinrici de Ravensburg ad bona feodalia et proprietates quibus propter infamiam parentum suorum multo tempore fuerant spoliati, de principum sententia restituit. Apud Precinam, novembri.

(Edid. Glafey, *Anecdotor. histor. ac jus publ. illustr. collectio* (Dresde et Leipsig, 1734), p. 391; inclus. in diplomate Caroli IV, de anno 1360.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod conquerentibus nobis fidelibus nostris filiis quondam Henrici de Ravensburg, intelleximus quod propter infamiam vel delictum parentum suorum non tantum bonis feodalibus, verum etiam proprietatibus in quibus ipsi debebant succedere, sint jam multo tempore spoliati. Unde clementiam nostram humiliter implorabant ut ipsorum miserie misereri et imperiali subvenire presidio dignaremur. Cum igitur patris iniquitatem filius portare non debeat ut puniatur amissione proprietatis paterne, nos eorum supplicationibus inclinati, principum etiam dictante sententia, ipsos ad bona que parentes eorum proprietatis titulo possidebant restituimus universa; mandantes sub obtentu gratie nostre et firmiter inhibentes universis detentoribus eorumdem quatenus bona ipsa eis ammodo non detineant, sed illa sibi restituant, nullam de cetero inferentes injuriam in eisdem, sicut indignationem nostram desiderant evitare. Ad hujus itaque rei memoriam et sta-

Digitized by Google

bilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus bulla aurea typario nostre majestatis impressa munitum.

Datum apud Precinam, anno dominice incarnationis M° CC° XXX° quarto, mense novembris, VIII° indictionis.

Precinae, novembri. Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem archiepiscopi Maguntini concedit ut filius quondam Sifridi ecclesiae Maguntinae marescalci, licet ex parte matris suae ministerialis sit imperii, ministerialis ecclesiae fiat et ratione feodi archiepiscopo debitum servitium exsolvat.

(Edidit Gudenus, *Cod. diplomat. Magunt.*, tom. I, p. 534, n° 216.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod venerabilis Maguntinus archiepiscopus (1), dilectus princeps noster, celsitudinem nostram humiliter supplicavit ut licet filius quondam Sifridi marescalci ecclesie Maguntine ex parte matris sue ministerialis debeat esse imperii, quia tamen feodum

---

(1) Tunc imperiali curiae aderat Sifridus Maguntinus archiepiscopus, quem a se missum cum officio nuncii declarat Henricus rex in epistola praelaudata et inferius ad suum locum exhibenda. Huic quoque tempori convenire arbitramur litteras archiepiscopi ejusdem, quas edidit Schannat, *Vindem. litter.*, t. I, p. 193, ut sequitur: « Venerabili fratri in Christo domino » C. episcopo Hildesheimensi S. Dei gratia sancte Moguntine sedis archiepiscopus salutem » et obsequium benivolum cum fraterna in Domino caritate. Sicut vobis diximus cum mecum » Heiligenstat essetis quod imperator nos ad suam presentiam accersisset, ita secundario » postquam recessistis, nos in tantum arctius et attentius fecit vocari quod nullo modo audemus » omittere ut tota festinatione acceleremus ad eum venire. Quare vos omni quo possumus » affectu rogamus quatinus per litteras vestras vel si esse potest, personaliter, apud ducem de » Brunswik dignemini nos super eo quod diei et placito inter vos constituto et ipsum non » intersimus ista vice, habere propensius excusatos. Firmiter enim habemus propositum cum » ad partes istas reversi fuerimus, ad hoc quod inter vos conveniens ordinatio fiat accedere ad » eumdem, et sue obtemperare quatenus possumus voluntati. »

Digitized by Google

patris amitteret (*a*) quod tenet ab eadem ecclesia nec debitum servitium exhibet eidem, dignaremur concedere ut sit ministerialis ecclesie nominate. Nos autem suis supplicationibus inclinati, necnon indempnitati ejusdem filii dicti quondam Sifridi providere volentes, ipsum eidem archiepiscopo Maguntino duximus concedendum, ut eidem [archi]episcopo ratione feodi quod tenet ab eo debitum servitium exsolvere teneatur. Ad hujus autem concessionis nostre memoriam et inviolabilem firmitatem, presens scriptum fecimus et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum Precine (*b*), anno dominice incarnationis M. CC. XXXIIII, mense novembris, octave indictionis.

Fogiae, 15 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, notum facit se ad ordinationem Gregorii summi pontificis acceptavisse ducere in uxorem Isabellam sororem regis Angliae, et procuratorem suum generalem statuisse Petrum de Vinea, magnae curiae suae judicem, tam de constitutione dodarii quam de dotibus sibi dandis et caeteris articulis qui emergere poterunt.

(Edider. Rymer, *Foedera, conventiones,* etc., t. I, p. 220, in edit. Londin. 1816. — Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 307.)

Fridericus, Dei gratia, etc., omnibus presentes litteras inspecturis, fidelibus et amicis suis, salutem et omnem benevolentiam. Matrimoniorum sacra solempnia ex institutione divina induxit necessitas et utilitas approbavit. Necessario enim oportebat genus humanum in successorum propagine vivere, ne sublatione presentium perpetuo casui subjaceret; copulam etiam maritalem per ornamenta solempnium et ecclesiastici sacramenti utilitas evidens persuasit ut per hoc conjunctionem sanctam et licitam ab illicita segregaret. Noverit igitur presentium multitudo quod

(*a*) Hoc verbum quod non legere potuit Gudenus, suppletur a Boehmero, *Regest.*, p. 159, n° 781.

(*b*) Ap. Gudenum *Precure*, male.

Digitized by Google

nos, ad tractatum et ordinationem karissimi patris nostri domini Gregorii Dei gratia sacrosancte Romane Ecclesie summi pontificis, acceptavimus ducere in uxorem legitimam Isabellam sororem illustris regis Anglie karissimi amici nostri. Ad quod, disponente Domino, feliciter consummandum, ad predicti regis presentiam destinandum duximus magistrum Petrum de Vinea, magne curie nostre judicem et fidelem nostrum, quem non immerito nobis acceptum fides et industria reddiderunt; eumdem nuncium et procuratorem nostrum legitimum statuentes, cui plenam concedimus potestatem et speciale mandatum ut consensum domine supradicte in nos per verba de presenti recipiat et quod in eam nomine nostro per verba de presenti consentiat, speciale mandatum nihilominus eidem judici conferentes ut nomine nostro et in anima nostra juret quod nos eamdem dominam in uxorem legitimam ducere debeamus et ipsam in facie Ecclesie solempniter desponsare, et quod nos eam imperiali honore et affectione maritali tractemus. Quod etiam jusjurandum dilecto principi et fideli nostro H. venerabili archiepiscopo Coloniensi commisimus faciendum, ita quod si contingeret ipsum archiepiscopum simul cum prefato judice in Anglia non transire vel ipsum etiam morte preripi vel qualitercunque aliter ejus transitum impediri, nihilominus prenominatus judex solus auctoritate nostra fretus, predicta omnia secure et libere valeat consummare et dominam antedictam recipere cum nunciis regis prefati, associato sibi aliquo de principibus vel prelatis imperii fidelibus nostris, quem ipse ad hoc velut idoneum eligendum duxerit, ad presentiam nostram felicibus auspiciis deducendam. Concedimus etiam antedicto judici plenam auctoritatem et speciale mandatum ut eidem domine nomine nostro in dodarium constituat Vallem Mazarie cum civitatibus, castris et villis, tenimentis, terris cultis et incultis, aquarum decursibus et cum omnibus juribus et pertinentiis suis necnon et honorem Montis Sancti Angeli similiter cum omnibus civitatibus, castris et villis, tenimentis, terris cultis et incultis, aquarum decursibus et pertinentiis suis, prout alie regine Sicilie utrumque dodarium integre habere consueverunt; et ut prefatus judex ipsam dominam de iis omnibus nomine nostro auctoritate presentium debeat investire. Que etiam dodaria nos die nup-

Digitized by Google

tiarum nostrarum, prout est juris et moris, prenominate domine Isabelle future uxori nostre promittimus specialiter assignare et privilegium sibi exinde facere, pendenti bulla aurea communitum typario nostre majestatis impressa. Plenariam etiam sepedicto judici contulimus potestatem et speciale mandatum de dotibus nobis dandis pro domina supradicta cum rege prefato pacta et conventiones inire vel acceptare conventionem primam que per fratrem G. de Merk et eumdem judicem, dudum nuncios nostros ad hoc specialiter destinatos, cum rege prefato inita fuerat (*a*) et per nostram celsitudinem confirmata, vel ut intercedente novatione solempni pristina obligatio perimatur : ut tamen non sit minori quantitate contentus in promissione dotium predictarum quam triginta millium marcarum argenti solvendarum nobis aut certis nuntiis nostris per loca et terminos, prout prenominatus judex duxerit statuendum. Super quibus, videlicet de locis et terminis statuendis super solutione facienda dotium que ad solvendum remanserint, et de recipiendis proinde cautionibus quas sufficientes nobis idem judex et idoneas reputabit, sibi plenam auctoritatem contulimus et speciale mandatum. Illud etiam quod pre manibus in adventu domine supradicte future uxoris nostre solvendum erit, eidem judici volumus assignari, ad nos, deductis expensis quas pro domina supradicta faciendas viderit, deferendum. Super dotibus etiam restituendis a successoribus nostris, si casus acciderit quod nos antedicte uxori nostre non susceptis ex ea liberis premori forte contigerit, antedicto judici plenum et speciale mandatum contulimus ut eidem regi nomine nostro promittat et in anima nostra juret quod dotes ipsas in eventum casus predicti successores nostri eidem domine vel regi predicto stipulanti vel successoribus eorum restituere integre teneantur. Super quibus omnibus et singulis, ut est dictum, prefatum judicem nuncium et procuratorem statuimus, adjicientes quod si articulus aliquis inexcogitatus emerserit, super quo speciale mandatum eidem judici non contulerimus, per presentes eumdem in emergentibus procuratorem statuimus generalem; dantes eidem generalem et liberam potestatem sic omnia nomine nostro facere ac si esset speciale mandatum super emergentibus

(*a*) Ap. Rymer et Pertz *fuerant*.

Digitized by Google

singulis a nostra celsitudine consecutus; promittentes sic omnia et supradicta singula rata et inconcussa servare ac si a nobis personaliter et presentialiter promissa existerent et firmata.

Data Fogie, anno Domini M. CC. XXXIV, XV mensis novembris, octava indictione (1).

Foggiae, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Sifridi Maguntini archiepiscopi, renovat et confirmat generale privilegium quod quondam in favorem principum ecclesiasticorum imperii pro juribus eorum conservandis concessit.

(Edit. ap. Falkenstein, *Cod. Nordgav.*, p. 61.— Wurdtwein, *Subsid. diplomat.*, t. IV, p. 400.— Memorat. quoque ap. Guden., *Cod. diplomat. Magunt.*, t. I, p. 473.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jherusalem et Sicilie rex. Si grata fidelium nostrorum obsequia dignis retributionibus compensamus, tanto benivole dilectorum principum nostrorum debemus petitiones admittere quanto ipsi in partem nostre sollicitudinis et honoris assumpti, nobis erga promotionem imperialis excellentie tam fideliter quam efficaciter obsequuntur. Universis igitur imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod constitutus in presentia nostra S. venerabilis Maguntinus archiepiscopus, dilectus princeps noster, privilegium quoddam olim in Theutonia in favorem dilectorum principum nostrorum ecclesiasticorum a celsitudine nostra indultum nobis ostendit, supplicans ut privilegium ipsum innovari de nostra gratia mandaremus, ipsum et ea que in ipso continentur expressius auctoritatis nostre munimine confirmantes. Cujus privilegii talis est tenor :

---

(1) Adsunt apud Rymer, loco supra citato, litterae Gregorii papae ad Henricum Angliae regem hortativae propter hoc matrimonium sine mora contrahendum, datae Perusii, nonis decembris, pontificatus anno octavo (5 decemb. 1234).

Digitized by Google

[*Sequitur de verbo ad verbum privilegium* datum apud Frankenfurte, sexto kalendas maii 1220, *quod incipit* : Digna recolentes animadversione, etc. *Vide supra*, t. I, p. 765 *et seqq.*] Nos igitur ipsius archiepiscopi precibus annuentes, consideratis gratis ipsius obsequiis que nobis, karissimo filio nostro regi Romanorum illustri et imperio semper exhibuit et exhibere poterit in futurum, in favorem ipsius predictum privilegium innovari precipimus, ea que in ipso continentur in perpetuum confirmantes. Statuimus igitur et presentis privilegii auctoritate sancimus quatinus amodo nulla persona ecclesiastica vel secularis, alta vel humilis, huic nostre confirmationi aliquatenus contraire presumat. Quod qui presumpserit quinquaginta librarum auri pena plectatur, medietate parti ipsius archiepiscopi et altera medietate fisco nostro solvenda. Ad hujus autem rei memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : E. Babenbergensis et H. Eystetensis episcopi, marchio de Baden, comes H. de Ortenburch, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jherusalem et Sicilie regis magnifici.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense novembris, indictione octava, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jherusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus quartodecimo, regni Jherusalem nono, regni vero Sicilie tricesimo sexto (*a*), feliciter. Amen.

Datum Fogie, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, sententias principum promulgat : scilicet ut nullus episcopus Theutoniae aliquem infeodet praeter assensum imperatoris ; ut nullus advocatus in cives cathe- Foggiae, novembri.

(*a*) Recte tamen legendum *tricesimo septimo*.

Digitized by Google

dralis civitatis exactionem faciat; ut nullus comes vel advocatus in immunitatibus ecclesiarum judicium usurpet, nisi judex de voluntate episcopi constitutus, etc. Quas quidem sententias in favorem Henrici Eystetensis episcopi ratas habet et ab omnibus observari praecipit.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 227-229, num. DCXXVII, ex originali unde bulla aurea illaesa appendet ex filis sericis coloris purpurei, flavi et violacei vel potius subfusci; et ap. Pertz, *Monum. German. Hist.*, t. IV, p. 304.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis excellentie dignitas tunc precipue laudum suarum titulos ampliat, cum preces eorum provida liberalitate prosequitur quos ad obsequia sua per effectum operis obligatos et devotio provexit ut meritos et fides extulit ut acceptos. Universis igitur imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod, dictante sententia principum aliorumque nobilium imperii fidelium existentium in presentia nostra, exstitit approbatum ut nullus episcopus Theutonie de hiis que spectant ad regalia et ab imperio tenet, aliquem infeodare possit preter assensum nostrum, et quod nulli advocato liceat in cives cathedralis civitatis exactionem aliquam facere. Nec liceat alicui comiti vel advocato sibi judicium usurpare de hiis que in emunitatibus fiunt ecclesiarum, nisi tantum ecclesiastico judici ad hoc de voluntate episcopi constituto, et quod nulla ecclesia in uno predio plures advocatos possit habere. Item quod nulli advocato liceat in officiatos episcopi et familiam ecclesie sue aliquam exactionem facere vel judicium exercere. Item quod quilibet episcoporum Theotonie secularem officiatum in suis civitatibus, oppidis et villis habere tenetur, ut judicet loco sui et duas partes compositionis et satisfactionis spectantes ad episcopum loco ipsius pro parte sua recipiat et tertiam habeat advocatus. Constitutus itaque in presentia nostra Henricus venerabilis episcopus Eystetensis, dilectus princeps noster, nobis supplicavit attentius ut quia super premissis omnibus gravem huc usque super juribus ecclesie sue perpessus est lesionem, in favorem suum et ecclesie

Digitized by Google

sue munimen predictas sententias ratas habere perpetuo dignaremur. Nos igitur attendentes grata satis et accepta servitia que dictus episcopus nobis, karissimo filio nostro regi Romanorum illustri et imperio semper exhibuit et exhibere poterit in futurum, volentes eciam suis et ecclesie sue indempnitatibus providere, de innata celsitudinis nostre munificentia predictas sententias confirmamus, et si qua contra eas in ecclesia Eystetensi usque ad hec tempora sunt contra justitiam attemptata, in irritum revocamus. Statuentes et imperiali sancientes edicto ne aliquis advocatus aut comes, alta persona vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra presentes sententias et per nos approbatas venire presumat. Quod qui presumpserit quinquaginta librarum auri pena plectatur, quarum medietas parti ipsius episcopi et ecclesie sue, reliqua fisco nostro solvatur. Ad hujus igitur rei memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et bulla aurea tipario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : S. archiepiscopus Maguntinus totius Germanie archicancellarius, E. Papembergensis episcopus, H. marchio de Baden, comes Hermannus de Ortemburch, Albertus de Ense, Englardus de Nidek, et alii quam plures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense novembris, octave indictionis, imperante domino nostro Fr[iderico] Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus quarto decimo, regni Jerusalem nono, regni vero Sicilie tricesimo sexto (*a*), feliciter. Amen.

Datum Fogie, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces Heinrici episcopi Eystetensis (Eichstädt), privilegium Philippi regis patrui sui anno

Apud Foggiam, novembri.

(*a*) Rectius *septimo*, ut supra notavimus.

Digitized by Google

1199, 14 septembris, ecclesiae Eystetensi concessum, confirmat ac renovat, illud de verbo ad verbum huc transcribi faciens.

(Edit. ap. *Monum. Boica*, t. XXXI, pars 1ª, p. 560, e libr. copial. Eichstet., fol. 3 et 4. — Privilegium Philippi regis exhibetur *Ibidem*, tom. XXIX, p. 488.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. In solio imperii actore Domino constituti, sic tenemur condescendere principibus nostris ad gratiam et liberaliter admittere preces suas quas culmini nostro porrigunt non indignas, ut et suorum merita servitiorum irremunerata non transeant et qui merentur nostrorum beneficiorum largitionibus ampliari, debeant super hiis que sibi et ecclesiis eorum a nostris predecessoribus sunt collata, confirmationis nostre robur et indulgentiam obtinere. Notum sit igitur universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod constitutus in presentia nostra Heinricus venerabilis episcopus Eystetensis, dilectus princeps noster, privilegium quoddam predecessoribus et ecclesie sue indultum a Philippo quondam Romanorum rege semper augusto, karissimo patruo nostro dive memorie, nostre celsitudini presentavit, supplicans ut privilegium ipsum de verbo ad verbum transcribi jubentes, confirmare de nostra gratia dignaremur. Cujus privilegii tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Philippus secundus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Cum eis qui in nostro et imperii laudabiliter desudant obsequio, pia duxerimus occurrere remuneratione et circa ipsorum commodum curam et operam habere curaverimus diligentem, eorum nobis sinceritatis affectum reddere non ambigimus obligatiorem, et plerosque per hoc ut nostris se velint ardentius inferre servitiis sollercius credimus invitare. Inde est quod nos considerantes dilecti consanguinei nostri Hertwici Eistedensis episcopi fidem et pure dilectionis affectum quem erga nos gerit jugiter et obtinebit in posterum, quamque fideliter ipse et ecclesia sua hactenus affuerunt predecessoribus nostris recolentes, ad universorum imperii fidelium tam presentis

Digitized by Google

etatis quam posteritatis successure notitiam duximus perferendum quod nos permittimus et concedimus regia auctoritate nostra prenominato Eistedensis ecclesie presuli suisque in evum successoribus ut quotienscumque contigerit quod ministeriales nostri, sive masculus fuerit sive femina, pertinentes imperio aut nobis ex hereditate contraxerint matrimonium vel jam contraxerunt cum ministerialibus ecclesie prenotate, pueri descendentes ab eis eque dividantur, ita quod prior natu sive masculus fuerit sive femina conditionem patris sequatur, secundus vero natu conditionem matris, et sic de reliquis ab ipsis procreandis fiat vel jam procreatis, et si pares fuerint, medietas imperio vel nobis vel heredibus nostris, reliqua pars ecclesie Eistedensi pertineat. Si vero pueri procreati fuerint impares, solus ille qui superest, et si fuerit unus tantum et non plures, paternam eos volumus assequi conditionem; hec omnia imperio nobisque et nostris heredibus ecclesiam sepedictam et ejus episcopos vicissim decernentes observare. Concedimus ad hec eidem episcopo et suis successoribus ut in civitate Eistedensi nundinas annuales celebret per quatuordecim dies duraturas, sicut olim ibidem celebres fuisse memorantur, universis negotiatoribus pacem providentes et sub nostra eos volentes eundo ad prefatum forum et redeundo habere securitate. Statuimus igitur et regia auctoritate firmiter observandum decernimus ut nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc nostre concessionis divalem paginam infringere vel ei quoquo modo audeat contraire. Quod qui fecerit in ultionem transgressionis quinquaginta libras auri componat, quarum medietas fisco nostro, residua vero pars injuriam passis persolvatur. Ad cujus rei majorem evidentiam, hoc presens privilegium conscribi et bulla nostra aurea fecimus insigniri.

Hujus rei testes sunt : . . . Tharatiensis archiepiscopus, . . . Monasteriensis episcopus, Chunradus Wirceburgensis episcopus imperialis aule cancellarius, comes Fridericus de Abenberg, comes Boppo de Werdheim, comes Heinricus de Ortenberc, Chuno de Mincenberc, Drushardus, Wernherus de Bonlande et frater suus Philippus, Chunradus dapifer de Rotenburc, Fridericus dapifer de Walpurc, Ludewicus de Nichastel, Nidingus de Wirceburg, et alii quamplures.

Signum domini Philippi secundi Romanorum regis invictissimi. (*Monogramma.*)

Ego Chunradus Wirceburgensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Maguntini tocius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno ab incarnatione domini MCXCVIIII, indictione II, regnante domino Philippo secundo Romanorum rege gloriosissimo, anno regni ejus primo.

Datum apud Magunciam, per manum Cunradi regalis aule prothonotarii, XVIII kalendas octobris.

Nos igitur considerantes fidem et devotionem laudabilem predecessorum prefati Heinrici Eystetensis episcopi dilecti principis nostri, quam ad nostram et imperii celsitudinem habuerunt, gratis quoque servitiis ejusdem episcopi que nobis, karissimo filio nostro Romanorum regi et imperio exhibuit diligenter et exhibet incessanter inspectis, eumdem episcopum, ecclesiam suam Eystetensem et omnia bona ipsius que juste possidet in presenti et in futurum justo titulo poterit adipisci, sub nostra et imperii speciali protectione recipientes, predictum patrui nostri privilegium et ea que in ipso expressius continentur auctoritatis nostre munimine confirmamus; statuentes firmiter et imperiali edicto mandantes quatenus nulla persona, alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis confirmationis nostre paginam aliquid attemptare presumat. Quod qui presumpserit penam quinquaginta librarum auri puri se noverit incursurum, medietatem camere nostre et aliam medietatem passis injuriam persolvendam. Ad cujus rei evidentiam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt: S. venerabilis Moguntinus archiepiscopus totius Germanie archicancellarius, E. venerabilis Babinbergensis episcopus, H. marchio de Baden, comes Hermannus de Ortemberg, Al. de Ense, Reinhardus de Hagenawe, Engilhardus de Nideke, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense novembris, VIII indictionis, imperante domino nos-

Digitized by Google

tro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus quarto decimo, regni Jerusalem nono, regni vero Sicilie tricesimo sexto (*a*), feliciter. Amen.

Datum apud Fogiam, anno, mense et indictione prescriptis.

Gregorius papa singulis Allemanniae principibus mandat ut ad subventionem Ecclesiae se muniant, et cum militia ad ejusdem obsequia per tres menses moratura in futuro martio personaliter accedant. Perusii, 27 novembris.

(Edit. ap. Schöpflin, *Hist. Zar.-Badens.*, cod. diplom., t. IV, p. 195, e regist. litt. pap. Gregor. IX, anno VIII, epist. 333.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro . . . duci Austrie et Stirie salutem et apostolicam benedictionem. Cum mater Ecclesia multis excitetur Terre Sancte clamoribus ut ejus miserando statui succursum celerem studeat impertiri, cui prestandi subsidium oportunitas tollitur nisi prius discordes in pacis federa reformentur, et carissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator, etc., [id] paratus sit magnifice prosequi per quod tam Ecclesie quam imperii jura favente Domino valeant obtineri; nobilitatem tuam rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatenus prudenter advertens quam sit tibi honorabile, quam salubre si celi regem pro temporali devotionis obsequio tibi constituas ad dandum felicitatis bravium obligatum, ad subventionem Ecclesie te studeas communire; ita quod Ecclesia proximo futuro martio te personaliter decenti militia comitatum, que in expensis tuis per tres menses preter tempus quo veniet et recedet ad ejusdem obsequia commoretur, vel saltem jamdictam militiam, si venire nequiveris, cum exultatione recipiat, ac tuis et aliorum expedita subsidiis ad Redemptoris gloriam in

(*a*) Rectius *septimo*, ut supra notavimus.

Digitized by Google

pacis gaudio reflorescat, sicque fiat quod ex hoc tibi a Sede Apostolica plenitudo favoris et gratie ac tandem proveniat retributionis premium sempiternum.

Datum Perusii, V kalendas decembris, pontificatus nostri anno octavo (1).

In eumdem modum scriptum est:

Duci Karinthie.

Item comiti palatino Rheni et duci Bawarie.

Item lantgravio Thuringie et palatino comiti Saxonie.

Item marchioni Misnensi et Landespergensi.

Item marchionibus Brandenburgensibus ut alter eorum veniat.

Item duci Saxonie.

Item palatino comiti de Tuingen.

Item comiti Ascanie quod veniat vel mittat filium suum.

Item duci Lotharingie.

Item marchioni de Baden.

Item duci de Lemburch.

Item duci Brabantie.

Item comiti Hollandie.

Item comiti Seinensi.

Item comiti de Gelre.

Item comiti Clevensi ut veniat vel filium suum mittat.

Item comiti de Hennenberch ut veniat vel filium suum mittat.

Item comiti Tyrolensi ut veniat.

Item comiti de Gorze.

---

(1) Cf. litteras quas generaliter ecclesiasticis et secularibus Alemanniae principibus de re eadem papa direxit, ap. Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. 1234, § XXXI, et Palacky, *Reise*, p. 26; item eas quibus magistrum Petrum de Supino archiepiscopis Maguntino, Treverensi et Coloniensi commendat, pro requirendo subsidio destinatum, ap. Wurdtwein, *Nov. subsid. diplom.*, t. VI, p. 54. Quae quidem omnes sub notis 25, 27, 30 novembris exhibentur. Adest tamen apud Wurdtwein, *Ibidem*, p. 49, altera Gregorii encyclica, data Perusii 24 octobris hujusce anni, qua jam principes Theutoniae sub eisdem fere verbis ad tuitionem ecclesiasticae libertatis exhortabatur.

Digitized by Google

Item marchioni de Moravie.

Regi Boemie fratri ejusdem marchionis ut det ei subsidium in militibus.

Fridericus, Romanorum imperator, Gregorio papae scribit quod cum Petrum de Vinea, magnae suae curiae judicem, ad regem Angliae mittat pro consummatione matrimonii inter se et Isabellam sororem ejusdem regis, negotium ipsum tam de quantitate promittendarum quam de tempore solvendarum dotium pontificali provisioni commisit, ratum habiturus quicquid super hoc ejus provisio statuerit. Foggiae, 9 decembris.

(Edid. RAYNALD., *Annal. eccles.*, tom. XXI, § XXX, ad ann. 1235.)

Sanctissimo in Christo patri domino Gregorio, Dei gratia summo pontifici, Fridericus, etc., salutem et reverentiam filialem. Cum de latere nostro mittamus magistrum Petrum de Vinea, magne curie nostre judicem et fidelem nostrum, ad charissimum amicum nostrum illustrem regem Anglorum pro consummatione matrimonii inter nos et regem eumdem de Isabella sorore sua juxta consilium paternitatis vestre tractati, ut et in puellam tandem pro parte ac nomine nostro consentiat et ut ipsam ad nos una cum aliquo de prelatis Theutonie, quem ad hoc idem judex de consilio venerabilis magistri domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Hierusalem idoneum reputabit, omine felici deducat; ne in tam salubri proposito occasione dilationis alicujus posset forsitan aliquis intervenire defectus, dum ad nos per longam locorum distantiam non posset facilis haberi recursus, nos de paternitate vestra plena securitate confisi, negotium ipsum circumspectioni vestre presentibus duximus committendum : videlicet ut et quantitatem dotium promittendarum nobis a rege prefato pro predicta sorore sua vestra industria moderetur, et ut tempus etiam arbitremini quo predicte dotes vel ipsarum dotium pars nobis aut certis nuntiis nostris remota difficultate qualibet exolvantur, si

Digitized by Google

forte contingeret propter necessitates aliquas imminentes sepedictum regem ad presens dotes statutas exolvere non valere. Prenominatum autem negotium tam de quantitate promittendarum dotium quam de tempore solvendarum sic in totum et libere provisioni vestre committimus quod plene gratum et ratum habere promittimus quicquid super [hoc] vestra paternitas duxerit statuendum. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri et bulla aurea tipario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Datum Fogie, IX mensis decembris, indictione VIII.

Foggiae, 31 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, quem defuncto duce Meraniae Heinricus abbas Tegernseensis, fratrum et ministerialium communicato consilio, in advocatum elegerat, sententiam principum coram filio suo Heinrico rege latam confirmat, qua libertas ejusdem ecclesiae a servitute advocati declaratur.

(Edit. ap. Oefele, *Script. rer. Boic.*, tom. II, p. 84, et ap. *Monum. Boic.*, t. VI, p. 210. — Memorat. quoque *Ibid.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 232.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Excellentie nostre dignitas ex hoc maxime decoratur si ad ecclesias Dei nostra pie feratur intentio et earum commoditatibus provideat et augmentis. Hinc est quod cum dilectus noster princeps Heinricus, venerabilis abbas de Tagrense, ad majestatem nostram accedens privilegia ecclesie sue nobis ostenderit, in quibus ex concessione divorum augustorum progenitorum nostrorum ei et ecclesie sue talis indulgetur libertas ut ab omni advocature servitute sit liber penitus et immunis, talisque conditio in suis privilegiis sit expressa ut cum advocatum aliquem dictus abbas pro se et ecclesia sua elegerit, si sibi videtur postmodum negligens defensator, quod ipsum valeat amovere, et per generalem sententiam principum et magnatum imperii sit obtentum coram karissimo filio nostro Heinrico illustri Romanorum rege, sicut per suas litteras evi-

Digitized by Google

denter apparet, ut dictus abbas advocatum possit eligere quem sibi et ecclesie sue viderit expedire, sepedictus abbas, communicato fratrum suorum, ministerialium, infeudatorum ac familie sue consilio, voluntarie se obtulit in manus nostras et nos in suum defensorem advocatum elegit, supplicans humiliter et devote ut ex quo dilectus princeps noster dux Meranie, quem antea sibi in advocatum elegerat, diem clausit extremum (1), ipsum et ecclesiam suam sub nostra et imperii protectione recipere dignaremur. Nos itaque suis petitionibus inclinati, attendentes devotionem et grata servitia que nobis exhibuit et in antea in bono et melius poterit exhibere, ipsum abbatem et ecclesiam suam cum universis infeudatis, ministerialibus totaque familia una cum omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidet et in antea justo acquisitionis titulo poterit adipisci, sub nostra et imperii speciali recipimus protectione; mandantes et firmiter precipientes ut nullus sit qui dictum abbatem et ecclesiam suam contra hujusmodi protectionis nostre tenorem presumat temere molestare. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad cujus rei memoriam, presens scriptum fieri et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum Fogie, ultimo decembris, octave indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, post obitum ducis Meraniae, ab abbate et a fratribus monasterii Tegernsee in advocatum electus, illud monasterium sub speciali sua et imperii recipit protectione. Foggiae, 31 decembris.

(Edit. ap. OEFELE, *Script. rer. Boic.*, tom. II, p. 85, et in *Monum. Boic.*, t. VI, p. 211. Memorat. quoque *Ibid.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 232.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem

---

(1) Otto I dux Meraniae eodem anno 1234, 6 maii, defunctus erat, qui filium unicum Ottonem II reliquerat, sed minorem annis et sub tutela constitutum. Sepultus est autem juxta conjugem suam Beatricem apud abbatiam de Langheim in Franconia. Cf. HORMAYR, *Werke*, t. III, p. 336.

Digitized by Google

et Sicilie rex, dilecto principi suo Heinrico venerabili abbati, conventui, infeudatis, ministerialibus atque familie ecclesie de Tegrense gratiam suam et omne bonum. Cum ecclesia vestra talibus gaudeat libertatibus et utatur privilegio quod advocatum et defensorem libere possitis eligere, quem vestre promotioni et commodo videritis expedire, et nunc quem elegeratis dux Meranie, dilectus princeps noster, diem extremum clausit, devotioni vestre grates referimus copiosas quod nos in advocatum eligere decrevistis, recipientes vos et ecclesiam vestram cum omnibus bonis, mancipiis, libertatibus et ei attinentibus sub protectione nostra et imperii speciali; mandantes et sub obtentu gratie nostre firmiter precipientes ut nullus sit qui ausu ductus temerario dampnum vobis aliquod irrogare presumat. Quod si quis presumpserit, indignationem nostri culminis se noverit incursurum.

Datum Fogie, ultimo decembris, VIII indictione.

Foggiae, 31 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Ottoni, filio ducis quondam Meraniae, et Alberto, comiti Tyrolensi, sententiam principum in favorem ecclesiae Tegernseensis latam nuncians, praecipit ut a laesione et vexatione impetendo advocationem cessent.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. VI, p. 209. Memorat. quoque *Ibidem*, tom. XXX, pars 1ª, p. 233, ex originali cujus sigillum periit.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, dilecto principi suo filio quondam illustris ducis Meranie et dilecto fideli suo comiti Tyrolensi gratiam suam et omne bonum. Cum ex inspectione privilegiorum dilecti principis nostri venerabilis abbatis de Tagrense (*sic*) serenitati nostre constiterit evidentius et nunc per sententiam principum coram karissimo filio nostro H. illustri Romanorum rege, sicut per litteras suas manifeste apparet, in judicio sit obtentum ecclesiam suam esse liberam et ab omni advocatorum servitute immunem (*a*) pe-

(*a*) Ap. Monum. Boic., t. VI, *communem*.

Digitized by Google

nitus et exclusam, et quod libere advocatum et defensorem possit eligere quem sibi et ecclesie sue viderit expedire, dictus quoque abbas nos et imperium, sicut sua intererat, pro se et ecclesie sue universis infeudatis, ministerialibus ac tota familia sua elegerit advocatum, nosque ad majestatem nostram recurrentes recipere, fovere et defendere teneamur, devotioni vestre firmiter precipiendo mandamus quatenus a lesione et inquietatione et ab omnimoda vexatione dicti abbatis, ecclesie ac familie sue cessantes, ulterius vobis jus non presumatis aliquatenus tanquam proprium advocatie nostre et imperii usurpare. Scientes quod nos ipsum abbatem et ecclesiam cum omnibus pertinentiis suis sub nostra et imperii speciali recepimus protectione; unde non possemus equanimiter tolerare ut aliquis ei inferret ulla gravamina vel injurias.

Datum Fogie, ultimo decembris, VIII indictione.

ANNO 1235. — INDICTIONE 8.

[Januario.] Mense januarii imperator generalem collectam toti regno imponit, et tunc collectae fuerunt de terra monasterii [Cassinensis] unciae CCCC pro adoamento per Stephanum de Anglone justitiarium Terrae Laboris, et pro mutuo unciae CC. — RICC. DE S. GERMANO, *Chronic.* ad ann.

Baroli, 25 januarii. Fridericus, Romanorum imperator, mandat stratigotis Salerni ut Leonardo Cavensi abbati decimas solvant quas de bajulatione Salerni habere consuevit; quas quidem litteras in charta bomby-

Digitized by Google

cina scriptas, quum de facili corrodi possent, Thomasius et Matthaeus judices Salerni ad requisitionem Riccardi monachi Cavensis sub instrumenti publici forma redigunt.

(Inedit. in archivo monast. Cavens., ex originali pergamena, arca LXVII, n° 95.)

In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione ejus millesimo ducentesimo tricesimo quarto et quintodecimo anno imperii domini nostri Friderici gloriosissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis, et vicesimo secundo anno regni domini nostri Henrici regis Sicilie et Ytalie ejus benemeriti filii, mense februario, octava indictione. Ante nos Thomasium et Mattheum judices, presentibus abbate Nicolao qui dicitur de Judice, Matheo qui dicitur Capugrassus et magistro Matheo qui dicitur de Rogerio testibus subscribendis et ad hoc specialiter rogatis, venit frater Riccardus monachus Cavensis monasterii quod constructum est foris hanc Salernitanam civitatem in loco Mitiliano, cui dominus Leonardus, Dei gratia venerabilis ac religiosus abbas, preest, et pro parte ipsius monasterii ostendit sagras imperiales litteras cereo sigillo insignitas, que omni vicio et suspicione carebant, et erant continencie talis :

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, stratigotis Salerni fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Querelam venerabilis Cavensis abbatis fidelis nostri recepimus continentem quod debite et consuete decime quas monasterium ipsum consuevit et debet habere de bajulatione nostra Salerni, subtrahuntur eidem nec ipsas habere potest, sicut temporibus regis Guillelmi secundi felicis memorie et usque nunc predecessores sui et ipse consuevit percipere et habere. Quocirca fidelitati vestre precipimus et mandamus quatinus, si est ita, decimas ipsas, sicut temporibus dicti regis extitit consuetum et ipse et predecessores sui usque nunc consueverunt percipere et habere et sibi de jure debentur, eidem abbati cum integritate solvatis, ut juste super hoc iterato conqueri non cogatur. Datum Baroli, vicesimo quinto januarii, octave indictionis.

Digitized by Google

Cum autem ipse imperiales littere ostense ac lecte fuerunt, quia ipsa cartula in qua ipse littere erant bombacinea erat (1) et de sua natura fragilis videbatur substantie, cum posset corrodi de facili vel tinia demoliri, ipsum etiam cereum sigillum in eisdem litteris insignitum ab eis poterat decidere vel evelli vel modo quolibet frangi, et sic supra ipsarum litterarum tenorem ambiguitas in posterum oriretur, verebatur etiam ne ex necessitate juris deberent assignari ipse autentice littere prenominatis stratigotis Salerni, cum de bajulatione Salerni pro tempore deponerent rationem, et ipse autentice littere necessarie essent Cavensi monasterio ut de eis fides fieret successoribus ipsorum stratigotorum in bajulatione Salerni, quibus non habitis predictum monasterium dampnum incurrere posset; idcirco ipse frater Riccardus pro parte ipsius monasterii nos deprecatus est quatinus ipsas litteras officio nostro publicaremus seu insinuaremus, ut per hujusmodi exemplum taliter judicum officio publicatum, cum opus esset, ipsis originalibus litteris non comparentibus, partes ipsius monasterii se possent tam in judiciis quam extra judicia defendere vel tueri, et omnibus stratigotis in ipsa bajulatione pro tempore succedentibus in ipsam bajulationem (*sic*) fidem facere plenariam. Cujus nos precibus annuentes, quia eas perpendimus consentaneas esse juri, ipsas litteras publicavimus seu insinuavimus, et de verbo ad verbum ipsas litteras in hac carta duximus transsumendas. Que omnia ego Thomasius puplicus Salerni notarius qui rogatus interfui, ad securitatem et cautelam ipsius monasterii scripsi et signo meo signavi.

Ego qui supra Thomasius judex.

Ego qui supra Matheus judex.

† Ego predictus abbas Nicolaus qui interfui testis sum.

† Ego predictus Matheus de Rogerio qui rogatus interfui testis sum.

---

(1) Per constitutionem quae incipit : *Consuetudinem quam olim*, etc., jusserat tamen imperator ut instrumenta publica non nisi in pergamenis in posterum conscriberentur. Cf. supra, p. 56, tit. LXXX, et quid jam monuerimus p. 57, not. 1. Rem in *Prolegomenis* nostris quam melius poterimus elucidare nobis in mentem venit.

Apud London, 22 februarii. Petrus de Vinea, imperialis curiae judex, Friderici Romanorum imperatoris procurator et nuncius, contractum matrimonialem inter eumdem imperatorem et Isabellam regis Angliae sororem redigi jubet, et de dodario assignando juramentum praestat.

(Edider. Rymer, *Foedera, conventiones*, etc., t. I, p. 224. — Pertz, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 310, 311.)

Ego Petrus de Vinea, magne imperialis curie judex, specialis procurator et nuntius domini mei Frederici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis, presenti scripto profiteor quod, de speciali mandato antedicti domini mei Frederici et in anima sua corporaliter prestito sacramento, juravi quod antedictus dominus imperator ducet in uxorem legitimam dominam Isabellam, sororem illustris regis Anglie, et quod ipsam in facie Ecclesie solempniter et publice desponsabit et coronabit. De voluntate et speciali mandato antedicti domini imperatoris consensi in predictam dominam Isabellam per verba de presenti, et recepto ab ipsa similiter in prenominatum meum dominum imperatorem consensu per verba de presenti, ad majorem etiam consummationem matrimonii supradicti pro parte prefati domini mei imperatoris tradidi supradicte domine sponsionis annulum, et invicem recepi ab ea nomine imperatoris ejusdem annulum sponsionis. De speciali etiam mandato sepedicti domini mei imperatoris tradidi prefate domine Isabelle in dodarium Vallem Mazarie cum civitatibus et castris, villis, terris cultis et incultis, aquarum decursibus, tenementis et omnibus juribus et pertinentiis ejus, necnon et honorem Montis Sancti Angeli cum civitatibus et castris, villis, terris cultis et incultis, aquarum decursibus, tenementis et omnibus juribus et pertinentiis ejus, prout quodlibet de predictis dodariis regine Sicilie integre habere consueverunt. Et eamdem dominam Isabellam de predictis omnibus investivi per patentes imperiales litteras aurea bulla

Digitized by Google

munitas typario imperialis majestatis impressa. Pro predicta autem domina nomine dotis recepi promissionem et obligationem domini regis prefati de triginta millibus marcarum argenti solvendis in locis et terminis sub ydoneis cautionibus, prout per patentes regias litteras et multorum nobilium suorum evidenter apparet (1). Salvo quod si Domino avertente contingeret antefatam dominam vel predictum dominum imperatorem, quod absit, prius in fata concedere quam prefatum matrimonium per sponsaliorum solemnia et carnis copulam consummetur, antefatus dominus rex et successores sui sint a predictis obligationibus in perpetuum absoluti, et nihilominus domina supradicta in eo casu, si imperatorem contingeret premori, secure et libere in regnum Anglie reducatur. Quod etiam sacramentum dominus H. Coloniensis archiepiscopus et alii nobiles qui ad dominam ipsam recipiendam de mandato imperiali in Angliam venerint, corporaliter exhibere debebunt tam de recipienda et desponsanda a domino imperatore domina predicta quam de ea, si sinister casus accideret, in Angliam libere reducenda. Quod si forte contingeret dominum imperatorem, quod absit, premori liberis ex prefata domina non susceptis, tunc secundum regni Sicilie consuetudinem sit in electione domine supradicte utrum velit supradictum dodarium in vita sua tenere, salvo jure et servitio ipsius dodarii debito et exhibendo heredibus domini imperatoris in regno, vel supradicta triginta millia marcarum recipere domino imperatori pro dote exsoluta. Promisi ego preterea prenominatus magister Petrus de Vinea et juravi in anima imperatoris predicti quod ipse dominus meus imperator die nuptiarum,

(1) Cf. ap. Rymer, *Ibidem*, p. 223, alteram contractus matrimonialis formam sub notis chronologicis eisdem, qua rex Angliae promittit in dotem triginta millia marcarum argenti optimi sterlingorum (ana tredecim solidos et quatuor denarios per marcam) : videlicet tria millia solvenda Petro de Vinea decimo die post resurrectionem Domini proximo venturam ; duo millia imperatori vel certo ejus nuntio in festo beati Johannis ejusdem octavae indictionis; quinque millia in festo beati Michaelis proximo venturo; quinque millia in festo Paschae nonae indictionis; quinque millia in festo beati Michaelis sequente; reliqua decem millia in tertio festo Paschae, decimae indictionis. Juraverunt autem et testimoniales litteras ad cautelam imperatoris exhibuerunt Hubertus de Burgo comes Cantiae, Gilbertus marescallus comes de Pembrocia, Radulphus filius Nicholai, Godefridus de Craucumbe, Humfridus comes de Hereford.

prout juris et moris est, per annulum assignabit eidem domine dodarium supradictum cum omnibus juribus et pertinentiis suis, prout superius est expressum, et privilegium sibi exinde faciet aurea bulla munitum tipario imperialis majestatis impressa.

Hoc scriptum scripsi ego Angelus magne imperialis curie notarius de mandato sepedicti magistri Petri de Vinea et meo signo signavi, pendenti sigillo ipsius magistri munitum.

Actum apud London, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, et vicesimo secundo die mensis februarii, octava indictione.

[Februario vel martio.] Fridericus, Romanorum imperator, ad principes imperii scribit de excessibus Henrici Romanorum regis filii sui; notificat qualiter ille coeperit principes molestare, et contempto quod de novo praestitit juramento, eos iterum vexare et contra jura paterna attentare praesumpserit, adhortans ut imperium unanimiter defendant.

(Edider. Martene et Durand, *Ampliss. coll.*, t. II, col. 1157-58-59, n° XXVII. — Hahn, *Collect. monum.*, t. I (Brunswick, 1724), *Litt. princ. et viror. illust.*, p. 225-26-27-28. — Coll. inter se et cum codicibus Bibl. reg. Paris., *Fonds S. Germ*, n° 455, p. III, n° 37; *anc. fonds latin*, cod. 4042; cod. bibl. Th. Phillipps ap. Middlehill, n° 8390, pars III, n° 36, ubi inscribitur : « *Fredericus archiepiscopo Maguntino principi suo*, » etc.)

Fredericus Dei gratia, etc., principi suo, etc. . . . Ecce facimus universale verbum ad principes velut ad imperii nostri membra, ex quorum compositione membrorum unicum imperii corpus illustre consurgit. Sane tua et aliorum principum immensa devotio in membra nostra tenaciter est infixa, et prestita quondam dive memorie patri nostro et nobis vestre sinceritatis obsequia et quomodo augusto patre nostro vivente elegeritis nos in regem, pre oculis mentis nostre semper gerimus et habemus; nec unquam

Digitized by Google

poterimus oblivisci qualiter cum major adverse partis immineret hostilitas, nos in adolescentia nostra per speciales nuntios ardentibus votis a Sicilia evocastis et immensis conatibus virium ad honorem imperii magnifice provexistis. Et utinam propter hoc que in voto gesserimus et geramus, valeamus liberaliter singulis ad condigna premia respondere! Ideoque cum unicum filium haberemus et alias presentiam nostram negotia reipublice traherent, eumdem ad partes vestras mittendum celsitudo nostra decreverat ut ipse vos omnes et singulos in persona nostra favorabiliter honoraret, sincere diligeret et nostram ad vos gratitudinem filiali devotione suppleret, presertim cum vos devotionem ad nos habitam in eum universaliter effundentes, absente patre presentiam filii debita honorificentia foveritis et ipsum ad regium solium ob honorem et gratiam nostram concordi sublimaveritis voluntate. Quod eum merito debuit obligasse ut specialis amoris prerogativa vos coleret, alios nobiles omnes, ministeriales, civitates et universos indifferenter fideles imperii nequaquam offenderet, quin potius ad gubernationem omnium sic se moderatione laudabili contineret ut nobis a remotioribus juxta desiderium spei nostre meritis tam firmati (*a*) quam opere continuum et plenum gaudium ministraret. Sed quod longe dolentes dicimus, nostra spes vacua reperitur. Frustra enim complacuit nobis in filio, processu temporis mandatorum nostrorum reverentia discedente. Nam ut majorem paterno pectori nostro anxietatem infligeret, post multa in nostri mandati contemptum et transgressionem voluntatis nostre commissa, in devotissimos principes nostros, nostri lumen et culmen imperii, se inconsulte convertit, et illorum usus consilio quos propter insolentiam et ingratitudinem a gratia nostra proscripsimus vel quos manifesta facinora reddebant nobis et imperio juste suspectos, incepit principes et alios devotos nostros per requisitionem obsidum nec non alias multiplices molestiarum instantias impetere et vexare. Quod ubi nobis innotuit, quia ad pupillas oculorum nostrorum videlicet principes nostros manus injecerit, alicujus obsequii quod olim nobis et ipsi tam grande prestiterant immemor et ingratus, non potuimus cum patientia tolerare quin personalem subire-

(*a*) Ita in codic. et ap. Martene. Apud Hahn vero *fame*, quod non melius intelligitur.

Digitized by Google

mus laborem circa fines Alamanie veniendi; et ipso ad nostram presentiam veniente, paternam in eo correctionem egerimus (*a*), recipiendo ab eo juxta (*b*) consilium principum qui tunc aderant, in eorum presentia, juratoriam cautionem quod mandata nostra et beneplacita penitus observaret et precipue principes speciali diligeret et prosequeretur favore. Que utinam post regressum suum sic observare curasset quod si defecisset in aliis, nostros tamen principes unquam offendere presumpsisset! Quid ipse nequam instinctu temptaverit et qualiter non erubescat, timore Dei et paterna reverentia postpositis, in honorem nostri nominis horribilia machinari, auferendo nostris fidelibus obsides, occupando castra, et intemerate fidei viros in oblivionem nostre fidei compellendo, et precipue post adventum *talium* (*c*) quos ad nostram presentiam destinavit, per quos se nobis paratum exposuit ad omne nostre beneplacitum majestatis, nedum apud te et alios principes nostros in admirationem vertitur et stuporem, sed quantumcumque fama pertransit, humanus omnium inquinatur auditus. Nam ab aquilone usque ad ceteras mundi partes panditur tantum nefas. Et quia temeritati filiorum paterna jura subsisterent et pernitiosum exemplum contra plures a filiis emanaret si, quod ad mundi regimen preest, imperium tam evidens filialis inobedientie scelus per se et principes suos surdis auribus et cecis oculis in suum prejudicium pertransisset; quia igitur tu ceterique, qui membra estis imperii, dolere debetis quotiens caput vestrum affligitur, nec vigere potest salus in membris nisi capitis integritas conservetur, tibi ceterisque principibus domesticum hoc et familiare malum communicare decrevimus, ut una nobiscum velut membrum cum capite doleas de tante enormitatis excessu, et ad obstandum abortivis principiis, priusquam morbus intestinus invaleat, consilio et auxilio, fide simul et affectu consurgas, et zelum et constantiam principum omnes agnoscant et per universum orbem fidei vestre titulus extollatur.

(*a*) In impressis *gerimus*, minus recte.

(*b*) Ap. Martene et in cod. 455 *contra*, male.

(*c*) Vox inserta in cod. pro duobus nominibus quae desunt; agitur scilicet de archiepiscopo Moguntino et de episcopo Bambergensi.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, civium Wormatiensium et aliorum fidelitatem commendat, quum suggestionibus sive minis Henrici regis filii sui rebellis constanciam non immutaverint et juramentum quo sibi tenentur servaverint; suum in Alemanniae partes proximum adventum nuntians et digna pro meritis beneficia repromittens. [Februario vel martio.]

I.

(Edid. Boehmer, *Font. rer. Germ.*, t. II, p. 223, n° 9; ex cod. Vindob. *philol.* 305 (nunc 590), fol. 154, magni momenti, licet mendis et lacunis scateat.)

Fridericus, etc., civibus Wormaciensibus. Transmissas nuper culmini nostro universitatis vestre litteras hilari affectione recepimus et earum plene recollegimus intimata. Nec excellentia nostra ducit in dubium quoniam fideliter et devote vos erga progenitores nostros gesseratis et devotionem eorum ad eorum promotionem ferventi zelo fueritis persecuti. Rogamus insuper quanta diligentia et fidelitatis ardore succensi erga servitia nostra vos gesseritis et geratis, ut fidem vestram nostro geramus in pectore fixam ac devotionis vestre servitia (*a*) ad condignam laudem et retributionem vestram tenaciori memoria conservemus. Nuper etiam manifestius fides vestra claruit ad exemplum ut ad juramentum quod requirebatur a vobis, nullis suggestionibus, minis sive terroribus constanciam potueritis immutare, quin potius inspecta et cognita adinvencionis versutia, imperiale (*b*) nomen exceperitis et honorem (1), quia nobis incumbit honor et honus imperii et vos et totum imperium nobis tenemini juramento.

(*a*) In cod. et ap. Boehmer *ad devotionis nostre servitia.*

(*b*) In cod. *spiritualiter*, male.

(1) « Misit etiam [Henricus rex] pro civibus Wormatiensibus et institit cum omnibus modis

Digitized by Google

II.

(Inedit. ex cod. Vindob. *philol.*, n° 305, fol. 155 verso.)

. . . . . Noster quoque predecessor David, rex inclytus Israel, cum infatuatum esse consilium Absalonis . . . . . in suis fidelibus requievit, nec pertransivit eorum impunita temeritas qui adheserunt filio contra patrem, digna retributione benemeritis compensata. Vigeat igitur fides vestra nec ad terrorem alicujus quatiatur; dampna denique rerum et personarum pericula que vobis, immo persone nostre pocius inferuntur, nullatenus [tolerare] dubitetis (*a*), quia ecce in proximo personaliter veniemus videre imperium nostrum et statum fidelium nostrorum in optata tranquillitate servare ac omnem persecutionis materiam abolere. Nam ad miram admirationem vertimur et stuporem, quin potius non erubescere non valemus quod filius noster quem in tantum dileximus ut in aquilone sedem suam equaliter pararemus, preeminentiam nostre paternitatis incipit abhorrere ut fidelium nostrorum indempnitatem et pacem, impatiens nostri dominii, per fas et nefas incipiat perturbare. Super quo pietate paterna movemur et nostrorum fidelium persecutiones et dampna non possumus absque compassione nimia pertransire, mandantes vobis quatinus in fidelitate nostra debita sicut incepistis constanter persistentes, ad servicium et honorem nostrum vos totis conatibus impendatis, com-

(*a*) In codice *nullatenus dubitent.*

---

ut sibi denuo jurarent et eum juvarent et etiam adstarent contra quemlibet hominem viventem. Ad quod cives unanimiter responderunt, profitentes se ipsi ei jurasse sicut suo regi et domino et quod nullo modo sibi aliud juramentum vellent neque deberent facere, nisi prenominato in hoc patre suo domino imperatore, quem nequaquam excluderent ipso vivente. Ad quod rex respondit quod mentionem domini et patris sui in hoc juramento non admitteret. Cives vero respectu justitie et etiam dilectionis quam habebant ad dominum imperatorem, ipsum excludere nolebant. Postea statim venit dominus rex apud Wormaciam et iterum diligentissime commonuit cives multis bonis promissionibus, et etiam includens eis minas et terrores. Sed tamen ab eorum proposito eos minime removere valebat. » *Annal. Wormat.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 178. De damnis civitati postea mense aprili ab Henrico rege illatis, vide *Ibidem*, p. 179.

Digitized by Google

minationes vel dampna quelibet non timentes, cum noster ad vos in proximo sit adventus et de omnibus vos indempnes et jocundos facere intendamus. Et ecce quod nobilibus vestris vicinis et universis fidelibus nostris per litteras nostras speciales et generales demandamus ut nullus eorum vos pro aliquo presumat offendere, quin potius consilio et auxilio ubi expedierit ad vestrum curamen assistant. Vos autem confortationem omnimodam assumatis pro nostri honoris nomine persistendi, devotionem et fidelitatem vestram obnixius prosequentes, et predictum juramentum vel quodlibet quod nostre tangit majestatis honorem, necdum a nuntio, sed si filius noster velud ore (?) presumeret, nullatenus faciatis. Nos enim sumus dominus et imperator imperii; per nos enim et de mandato nostro reverentia debetur eidem, sed postquam factus inobediens erga patrem fidem nostrorum fidelium depravare intendit, ipsum super premissis nullatenus audiatis.

III.

(Inedit. ex cod. Vindob. *philol.*, n° 305, fol. 155 verso, 156 recto.)

Fredericus, etc. Affectione benigna recepit nostra serenitas litteras quas nostro culmini destinastis, et eorum tenore perspecto, fervorem fidei vestre quem semper erga honorem nostrum et imperii promptum invenimus nec ad sinistrum aliquid declinavit, dignis laudibus commendamus. Propter quod universos et singulos vestrum dignos remuneratione censentes, vobis proponimus ad digna beneficia providere, ut fideles proinde ad observationem fidei ferventius. . . . . et infideles doleant a fidei tramite recessisse. Super eo vero quod significastis nobis regem filium nostrum a vobis aliud exigere juramentum quam illud quod ei de mandato nostro fecistis, vobis exinde per alias litteras meminimus respondisse nec ad minas alicujus ob hanc causam dubitare vos convenit, sed id momentaneum reputare debetis, cum in adventu nostro qui erit e vestigio, tanquam folium quod vento rapitur deleatur, et aspera convertantur in plana. Propter quod considerate et sint fidei zelatores (*a*) quod

(*a*) Sic in codice. Forsitan legendum *considerate etiam, sicut fidei zelatores.*

Digitized by Google

dudum temporibus divorum augustorum predecessorum nostrorum et usque ad hec felicia tempora nostra inviolabiliter observastis (*a*), personarum periculis et rerum dispendiis non parcentes; scituri quod in eodem adventu nostro talem erga vos imperialis celsitudo provisionem habebit quod ex beneficiorum collatione dampnorum et omnium que pro honore nostri nominis et conservatione pure fidei passi estis, poteritis oblivisci. Vos igitur more solito in illo fervore fidei persistatis qui vobis versus est in habitum ex antiquo, ut nomen in conspectu hominum clareat et digna pro meritis beneficia reportetis.

Perusii, 13 martii.

Gregorius papa omnibus principibus per imperium constitutis mandat ut Henricum filium Friderici Romanorum imperatoris ad rectitudinis semitam reducant, et juramenta quae eidem quidam praestiterunt irrita esse decernit.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.*, tom. XXI ad ann. 1235, § IX, e regest. Gregor., lib. VIII, n° 461.)

Gregorius, etc., archiepiscopis, episcopis, ceterisque principibus tam ecclesiasticis quam mundanis per imperium constitutis, presentes litteras inspecturis, etc. Rem multiplici ratione placitam et evidentibus indiciis fructuosam qui diligit, invitus ledi patitur et studiosus eamdem opportuno tempore pretuetur. Hinc est quod cum carissimus in Christo filius noster Fredericus ex eo nobis potissime dilectus et diligendus existat quod ad tuendum sacerdotium ipsum noverimus a Domino deputatum, et quia devotionem ejus diversis experti temporibus, illam ferventem in defensione senserimus ecclesiastice libertatis, pati nolentes, sicut etiam nec debemus, quod a quoquam sibi aliqua inferatur injuria vel jactura, universitatem vestram rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo quatenus provida meditatione pensantes quam indecens et probrosum existat

(*a*) In codice *observat*.

Digitized by Google

ut patrem filius seu quemquam benemeritum quisquam gratis offendere moliatur, dilecto filio Henrico nato imperatoris ejusdem, qui tanquam nec visu nec auditu perceperit que genitoribus a filiis reverentia debeatur, divine legis immemor et affectionis humane contemptor dicto imperatori se petram opposuisse scandali perhibetur, nullum in concepta prosecutione nequitie prestetis consilium, auxilium vel favorem, sed ipsum potius, quem non absque gravi nota procedere ad excessum tam detestabilis inconvenientie permisistis, quod velut a ratione dissonum et actori justitie penitus inimicum indigne gerimus et omnimode reprobamus, de invio discriminis prudenter et efficaciter ad rectitudinis semitam sublato tarditatis obstaculo reducatis; solerti studio procurantes quod ab incepta temeritate desistens quam ulterius protendi nolumus, sed succidi, presertim cum his potissime temporibus pro succursu Terre Sancte debeat in pace constitui universitas fidelium nationum, festinus ad obtinendam patris benedictionem et gratiam accingatur, impiis colligationibus quas contra ipsum damnabiliter fecisse dignoscitur dissolutis. Verum, ut quod petimus eo facilius consequatur effectum quo vacuis aliquorum exceptionibus non extiterit impeditum, omnes qui contra juramentum fidelitatis predicto imperatori prestitum prefato nobili juramentis prestitis adheserunt, duximus absolvendos, illa irrita decernentes.

Datum Perusii, III idus martii, anno VIII.

Perusii, 13 martii.

Gregorius papa episcopo Ratisponensi, imperialis aulae cancellario, mandat ut Herbipolensem et Augustensem episcopos abbatemque Fuldensem qui regi Henrico nequiter adhaeserunt, necnon duos Herbipolenses canonicos qui Mediolanum contra imperatorem iverunt, ad praesentiam Sedis Apostolicae venire compellat.

(Edider. partim Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. § IX, et Wurdtwein, *Nova subsid. diplom.*, t. I, p. 54, ex cod. eccl. S. Andreae; integrius vero Höfler, *Kaiser Friedr. II*, append., p. 349, n° 20, e regest. Gregor., lib. VIII, n° 462.

Digitized by Google

Minus recte ap. Wurdtwein notae chronologicae exprimuntur 9 *martii*, et ap. Höfler 13 *maii*; quas ex Raynaldo corrigimus.)

Gregorius, etc., episcopo Ratisponensi, imperialis aule cancellario, etc. Si assumpti in sortem Domini ut que sunt tenebrarum effugiant et ab aliis eadem doceant evitari, errantes in invio reprobe voluntatis, relicto tramite rationis, favore damnabili prosequantur, tanto graviori dolore tangimur quanto in eisdem dilectas Deo virtutes amplectimur et inimica vitia detestamur. Hinc est quod, sicut mirantes accepimus et referimus conturbati, cum venerabiles fratres nostri . . . Herbipolensis et O. (*a*) Augustensis episcopi ac . . . abbas Vultuensis (*b*) advertere negligentes quod ipsis inquirere pacem ac persequi debeatur (*sic*), pro posse fideliter desudando ut in Theutonie partibus nova scandali materia non consurgat, dilecto filio nobili viro Henrico carissimi in Christo filii nostri Friderici nato, qui tanquam statuta divine legis odiat et jura nature contemnat se imperatori prefato opposuisse nequiter perhibetur, dicantur contra omnem hominem juramentis prestitis adhesisse; nos nolentes temeritatem hujusmodi sub silentio et absque vindicta debita preterire, ut ipsi de tam notabili defectu peniteant et alii temptare similia non presumant, districte precipiendo mandamus quatenus inquisita super premissis diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, ipsis firmiter ex parte nostra injungas ut infra duos menses post monitionem tuam recepturi pro meritis se conspectui apostolico representent. Alioquin, eos ad id auctoritate nostra cessante appellatione compellas. Ceterum D. (*c*) prepositum de Hougen et Walterum de Taneberch canonicos Herbipolenses, qui Mediolanum contra imperatorem ivisse de mandato dicti nobilis viri referuntur, suspensos ab officio et beneficio ad nostram venire presentiam per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas; juramenta que dicti episcopi seu quilibet alii contra juramentum fidelitatis predicto imperatori prestitum prefato nobili prestiterunt, irrita auctoritate nostra promul-

(*a*) Sic; legendum tamen *S.*

(*b*) Ap. Raynald. *Waltuensem*, sed male, cum hic de abbate *Fuldensi* agatur.

(*c*) Scilicet *Degenhardum* sive *Thegenhardum*.

Digitized by Google

gans, necnon quibuscumque clericis sub pena officii et beneficii eadem auctoritate districtius inhibens quod sepedicto nobili contra imperatorem eumdem assistere aliquatenus non presumant.

Datum Perusii, III idus martii, anno VIII.

Fridericus, Romanorum imperator, in perpetuum confirmat diffinitivam sententiam nec legitima appellatione suspensam, a Thomasio de Montenigro justitiario Principatus et terrae Beneventanae latam pro universitate casalis Sancti Petri de Polla contra Theodoram dominam Pollae et universitatem loci ejusdem. Apud Fogiam, martio.

(Inedit. ex archivo monast. Cavensis, *Dizionar.*, fol. 142; coll. cum originali pergamena, *Ibid.*, arm. M, n° 32.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis nostris fidelibus tam presentibus quam futuris quod Bartholomeus constitutus sindicus ab universitate casalis Sancti Petri de Polla fidelis noster ad presentiam nostram accedens nobis exposuit quod cum inter ipsum pro universitate predicta et Theodoram dominam Polle que jure normanno vivit coram Thomasio de Montenigro justitiario Principatus et terre Beneventane questio verteretur, super eo videlicet quod ipsa domina prohibebat et negabat eidem universitati et hominibus ejusdem libere incidere ligna in nemoribus Polle, haurire et accipere aquas in pertinentiis et tenimento ejusdem pro omnibus necessariis ipsorum, emere etiam quelibet necessaria in ipsa Polla et pertinentiis ejus et habere pascua in locis predictis, sicut jus erat eis predicta omnia libere facere et habere; et super eo etiam quod cum ipsa universitas et homines ejusdem sint Cavensis monasterii homines, ipsa domina petebat ab universitate predicta et hominibus ejusdem adohamentum, adjutorium seu collectam, petendo eos pro dictis quasi quadam debite conditionis subjicere servitute, plus postulando ab ipsis

Digitized by Google

et exigendo quam duas operas ad zappandum et duas operas ad metendum, quas quolibet anno a qualibet casata ipsius casalis, exceptis clericis, bajulo, judice et viduis, habere debet, et volendo ac similiter petendo ipsos constringere debere in curia sua, cum non fuerit ei jus predicta petere, facere et exigere ab eisdem et constringere ipsos ut dictum est; preterea predicta domina molestabat, turbabat et inquietabat eosdem et turbari et molestari mandabat super francigia et libertatibus suis, exigendo ab ipsis servitia indebita, adohamenta et collectas ac per hoc pignorando eosdem et pignorari faciendo, et sub tali pretextu boves et res alias per violentiam auferendo et non permittendo ipsos in libertate debita permanere, cum non fuerit ei jus predicta petere, facere seu exigere vel mandare; preterea idem Bartholomeus exposuit quod inter ipsum pro universitate predicta ex una parte et Guilielmum sindicum universitatis Polle pro ipsa universitate ex altera similiter coram predicto justitiario questio versa fuit, super eo scilicet quod ipsi homines Polle prohibebant et negabant eis incidere ligna in nemoribus Polle, haurire et accipere aquas in pertinentiis et tenimentis ipsius, emere queque necessaria in ipsa terra et pertinentiis ejus et habere pascua in locis predictis, sicut jus eis erat hec omnia percipere, facere et habere, et super eo etiam quod universitas Polle petebat et compellebat predictos homines ipsius casalis Sancti Petri communicare cum ipsis in adohamentis, datiis et collectis, cum non fuerit eis jus talia petere et eos ad communicandum ipsis impellere in predictis; dictus justitiarius visis hinc inde rationibus et totius cause meritis cognitis diligenter, super premissis omnibus pro universitate casalis predicti contra prefatam Theodoram dominam Polle et contra universitatem ipsius Polle diffinitivam sententiam promulgavit, sicut in scripto publico inde confecto plenius continetur. A qua sententia cum non fuerit appellatum, humiliter supplicavit ut sententiam ipsam confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos autem ipsius supplicationibus inclinati, sententiam ipsam, sicut ab eodem justitiario super predictis omnibus fuisse noscitur juste latam nec legitima appellatione suspensam, perpetuo duximus confirmandam. Ad hujus autem nostre confirmationis memoriam, presens scriptum exinde fieri fecimus sigilli nostri munimine roboratum.

Digitized by Google

Actum apud Fogiam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo quarto, mense martii, VIII indictionis, regnante domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus quinto decimo, regni Ierusalem [decimo] et regni Sicilie trigesimo [septimo], feliciter. Amen.

[In eodem *Dictionario* sequitur aliud privilegium, cujus etiam ibidem originale servatur, scilicet imperialis confirmatio ejusdem sententiae pro abbate Cavensi facta :

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis nostris fidelibus tam presentibus quam futuris quod Leonardus venerabilis abbas monasterii Cavensis, fidelis noster, ad presentiam nostre majestatis accedens nobis exposuit quod cum inter ipsum pro parte monasterii sui ex una parte et Theodoram dominam Polle ex altera coram Thomasio de Montenigro, etc. Sequitur ut in praecedente, fere de verbo ad verbum, mutatis tantum mutandis, cum notis chronologicis eisdem.]

Fridericus, Romanorum imperator, Gregorio papae scribit se, licet multa dispendia in bello contra Romanos fuerit perpessus, semper ad defensionem Ecclesiae paratum esse, hortaturque ne pacem minus commodam propter suam absentiam concludat. Foggiae, 27 martii.

(Edid. partim RAYNALD., *Annal. eccles.*, ad ann. 1235, § VII, e regest. Gregor., lib. IX, n° 13.)

Sanctissimo in Christo patri Gregorio, etc., Fridericus, etc. Intelleximus, etc. . . . . .

. . . . . .

Licet multa rerum dispendia et gravia damna passi fuerimus magnarum et nobilium personarum de quibus non potuimus non dolere, singula tamen credimus commode successisse si rei exitus ad nutum vestrum et

Digitized by Google

fratrum vestrorum pacem et honorem respiciat ecclesiastice libertatis. Nam si, quod absit, aliter sequeretur et vestram exinde non prosequeremini voluntatem, tunc reputaremus incommodum geminatum. Quia vero defensionem Ecclesie sollicitudini nostre placuit commisisse, paternitatis vestre providentie ac fratrum duximus committendum quod si pax ad honorem et exaltationem Ecclesie provenerit, ut optatur, quod in oculis vestris gratius fuerit faciatis (1). Nec pro eo quod necessitas ad remotiora provocat iter nostrum, inclinetis ad pacem inutilem minus honorifice motus vestros; pro firmo gerentes quod, etsi a presente itinere desistere non possimus, nihilominus per exhibitionem operis ostendemus quod non dimittamus Ecclesiam indefensam . . . . . .
[Concludit nuntians magistrum domus Theutonicorum ad Sedem Apostolicam a se Paschali tempore mittendum, cui velit papa fidem adhibere.]

Datum Fogie, XXVII martii, indictione VIII.

Apud Precinam, 8 aprilis.

Mense aprili imperator apud Precinam pascha Domini celebrat, et consequenter post pascha iter arripuit in Alemanniam profecturus, ducens secum Conradum filium suum. Quem magister domus Theutonicorum ipso mandante praecessit ad papam. Riccard. de S. Germano, *Chronic.* ad ann.

Perusii, 16 aprilis.

Gregorius papa regem Francorum monet ne in aliquo turbetur occasione matrimonii inter Fridericum imperatorem et sororem

---

(1) Pax autem mense aprili sive maio hujus anni inter papam et Romanos reformata est. Captivi Romani qui apud Viterbium per papam tenebantur liberati sunt, illis dimissis qui tenebantur a Romanis. Ricc. de S. Germ., *Chronic.* ad ann.

Digitized by Google

regis Angliae contrahendi, quum idem imperator affectet ut specialis inter se et ipsum regem Francorum amicitia permaneat et etiam amplietur.

(Edidit Champollion-Figeac, *Lettres de rois, reines et autres personnages*, etc., t. I, n° XXXVI, p. 49, ex collect. Brequigny, t. LXIII, cum hac nota : « *Tirée du livre rouge à l'échiq. des Remembrances*, fol. 171 recto. »)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri regi Francorum salutem et apostolicam benedictionem. Cum de matrimonio contrahendo inter carissimum in Christo filium nostrum Fredericum, Romanorum imperatorem semper augustum, Jerusalem et Sicilie regem illustrem, et sororem regis Anglorum illustris dudum tractatus habitus fuerit et juramento firmatus, nos secundum Domini. . . . expedire videntes quod ad finem hujusmodi matrimonium duceretur, dicto regi per scripta nostra mandavimus ut ad ipsius, prout tenebatur, procederet complementum. Verum cum ex re hujusmodi tibi non sit in aliquo suspicandum, celsitudinem tuam affectione paterna deposcimus et hortamur quatinus ex hoc aliquod turbationis nubilum non admittens, pro constanti teneas quod a nobis et imperatore jamdicto nihil in hac parte geritur per quod vel in minimo statui tuo derogetur, presertim cum idem imperator diligat et affectet ut amicitia specialis que inter progenitores ipsius et tuos ab antiquo floruit, inter te et ipsum nedum firma permaneat, sed augmentis continuis amplietur.

Datum Perusii, XVI kalendas maii, pontificatus nostri anno nono.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces episcopi Aprutini justitiario Aprutii mandat ut forum salis, ferri et rerum venalium apud Teramum fieri permittat, si forum ipsum novis statutis suis non obviaverit. Apud Fanum, 18 aprilis.

Digitized by Google

(Edid. Palma, *Storia ecclesiastica e civile della città di Teramo*, t. II, p. 3, ex Muzii dialog., 2, MSS.)

Fridericus Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, ... justitiario Aprutii (1) fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Constitutus in presentia nostra venerabilis episcopus Aprutinus (2) exposuit quod cum antiquitus usque ad hec nostra felicia tempora consueverit fieri forum venalium rerum in Teramo singulis hebdomadibus, priusquam statutorum nostrorum manaverit edictum (3), non solum forum ferri et salis, sed minutarum venalium rerum quarum commoditas hominibus ipsius civitatis profectum facilem afferebat, prohibuisti (*a*) in Teramo fieri, cum forum ipsum novis statutis nostris nullatenus obviaret. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus inquisita super his diligentius veritate, si constiterit ita esse, salvis novis statutis nostris, forum salis et ferri et forum venalium rerum fieri apud Teramum permittas (4), sicut antiquitus consuevit, etc. (*sic*).

Datum apud Fanum (5), die XVIII aprilis (*b*), indictione octava.

(*a*) In libro impresso *prohibitum*, minus recte.

(*b*) In libro additur 1235 numeris arabicis.

---

(1) Scilicet Robertus de Busso, quum ad mensem maium Riccardus de S. Germano haec memoret : « Robertus de Busso e justitiariatu Aprutii amovetur, et Hector comestabilis Montisfusculi substitutus est illi. »

(2) Non bene constat utrum Sylvester an Atto nomine tertius tunc vocaretur. De catalogo episcoporum Aprutinorum, vid. Palma, *Ibidem*, p. 13 et 14.

(3) Vide supra statuta de generalibus nundinis, p. 462.

(4) Per sententiam de anno 1235, 17 decembris, justitiarius privilegium fori confirmavit, non obstantibus novis imperialibus statutis, ut legimus apud Palma, loco supra citato.

(5) Imperator, postquam Fulgineum ceperit, ut nos Jacobillius monet, relicto ibi vicario sibi devoto, Fanum venit et curiam solemnem, praecipue de rebus regni Siciliae ordinandis, celebravit. « Thomas de Aquino Acerrarum comes, magister justitiarius et justitiarii alii de regno, necnon et Capuanus, Hydrontinus et Panormitanus archiepiscopi cum nonnullis de regno usque Fanum secuti sunt, et de imperatoris licentia sunt in regnum reversi. » Ricc. de S. Germ., *Chronic.* ad ann. De Capuano et Panormitano archiepiscopis, qui una cum episcopo Ravellensi vices imperatoris absentis in regno obtinuerunt, pluries infra mentio erit.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, Ludovico Francorum regi scribit, licet ex ordinatione et providentia summi pontificis matrimonium cum sorore regis Anglorum contrahere velit, nihil tamen de confoederatione inter se et ipsum inita esse immutandum; rogatque ut cum ad Theutoniam properet, venire ad illas partes illi placeat, ubi solitam amicitiam invicem corroborent. Apud Fanum, 25 aprilis.

(Edidit Champollion-Figeac, *Lettres de rois, reines*, etc., t. I, n° XXXVII, p. 50, ex coll. Brequigny, t. LXIII, cum hac nota : « *Tirée du livre rouge, échiq. des Remembr.*, fol. 171 recto. »)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, illustri regi Francorum dilecto amico suo, salutem et sincere dilectionis affectum. Ne fama sub incerto discurrens posset regali animo vestro de contingentibus causam alicujus dubietatis afferre, processum rei tenore presentium ad vestram volumus notitiam pervenire. Sane convenientibus nobis estate preterita una cum summo pontifice reverentissimo patre nostro, idem venerabilis pater attente nos monuit ut matrimonium quod a primordio Deus constituit et sine quo manere non debent principes orbis terre, gratia sobolis et honestioris vite contrahere (*a*) deberemus, presertim cum id saluti anime et honori nostri culminis cognosceret expedire (*b*). Respondentibus itaque nobis quod nondum provideramus que nostro foret apta conjugio invenire, se ad hoc affectione paterna obtulit inventorem, postulans invencionem sue ordinationi et providentie sue committi. Cumque duxerimus idem negocium committendum provisioni et arbitrio tanti patris, providit et paterna monitione con-

(*a*) In impresso *contrahende*, minus recte.

(*b*) In copia et in impresso : *cum et saluti anime et honoris nostri culmini congrueret expedire ;* quem locum male transcriptum correximus.

Digitized by Google

sulendo rogavit ut sororem illustris regis Anglorum tanquam nostro consortio aptiorem ducere deberemus. Super quo dum proposuerimus quod propter confederationem inter nos et vos initam et firmatam, dubietas inhereat ne si juxta providentiam et preces suas predictum matrimonium compleremus, contra formam ejusdem federationis contingeret nos venire, rogantes ut sicut honori nostro cederet et provideret, ipse recepit in manibus suis negotium, exhortans et dicens non esse aliquatenus dubitandum; quin potius id fieri persuadens subintulit quod ejusdem matrimonii complementum omittere absque fame periculo et nostre salutis dispendio non possemus, maxime cum ante omnem confederationem initam dudum fuerit juramento confirmatum, nichilominus eadem confederatione in suo statu et robore valitura. Nos igitur apostolicis precibus et monitis sic inductos oportuit ex quo providentie sue commisimus, juratum matrimonium ducere ad effectum, in ea quoque ad vos dilectionis constantia permanentes [ut], sicut ad invicem a nostris progenitoribus et vestris est conservata dilectio et cum avo et patre vestro inclite recordationis habuimus amicitiam illibatam, ita felici tempore nostro vobiscum inconcusse servemus. Quocirca cum in presentiarum ad visendum nostrum imperium in Theutoniam gressus nostros feliciter dirigamus, ubi principes nostri pre nostro adventu convenient, in vestra ponimus voluntate si vobis venire placuerit in aliquem certum et predestinatum locum; videbimus vos libenter, et cum eorumdem nostrorum assistentia principum corroborabimus vobiscum solitam et quasi fundatam a progenitoribus gratiam et amorem, ut venire vobis non possit in dubium quod per nos dispendium sentiat vel intereat dilectionis solite firmamentum. Ceterum, quia de felicitate status nostri vos audire delectat, noveritis quod per illius gratiam qui principibus dat salutem, prospera corporis incolumitate ac votivis successuum eventibus gloriamur, requirentes de salubri statu et continentia vestra gratis insinuationibus exultare.

Datum apud Fanum, XXV aprilis, VIII indictione.

Digitized by Google

Henricus dux Brabantiae de mandato Friderici Romanorum imperatoris, in praesentia regis, episcoporum et magnatum Angliae, sacramentum praestat tam de domina Isabella desponsanda et coronanda ab imperatore quam de ea per terram suam ducenda et si casus sinister acciderit, in Angliam reducenda.

Apud Westmonasterium, 3 mali.

(Edit. ap. RYMER, *Foedera, conventiones*, etc., t. I, p. 226.)

Nos Henricus dux Brabantie per presens scriptum notum fieri volumus universis presentes litteras inspecturis quod a domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, per sacras litteras suas et per magistrum Petrum de Vinea, magne imperialis curie judicem, latorem earum, recepimus in mandatis ut ad illustrem regem Anglie deberemus personaliter nos conferre pro recipienda domina Isabella sorore regis ejusdem, quam prefatus magister Petrus de Vinea tanquam specialis et legitimus procurator imperatoris ejusdem, consensu ab ea et in eam per verba de presenti habito, sacramento etiam corporaliter prestito in anima et nomine ipsius imperatoris, legitime desponsavit, necnon et pro eadem domina ad ipsum dominum imperatorem felicibus auspiciis deducenda. Recepimus etiam in mandatis a domino imperatore prefato ut nomine suo et in ejus anima juraremus quod ipse predictam dominam in facie Ecclesie solempniter desponsabit et coronabit eamdem, et quod ipsam imperiali honore et affectione maritali tractabit. Et si forte, quod absit, contingeret imperatorem eumdem prius in fata concedere quam predicta omnia compleantur, quod domina ipsa in regnum Anglie secure et libere reducetur. Quod sacramentum nos prefatus dux tam de domina desponsanda et coronanda a domino imperatore quam de ea per terram nostram ducenda ad eum, et si sinister casus accideret, reducenda, tactis sacrosanctis Evangeliis, in presentia prefati regis Anglie existentes, presentibus ibidem venerabilibus patribus

Digitized by Google

E. Cantuariensi archiepiscopo, J. Bathoniensi, R. Dunolmensi, R. Cicestrensi domini regis Anglie cancellario, W. Carleslensi episcopis, R. comite Cornubie fratre predicti regis Anglie, H. de Burgo comite Kantie, et H. comite Herefordensi, et multis aliis nobilibus, fecimus, et quod ad predicta omnia percomplenda nos pro legali posse nostro bona fide curabimus laborare. In cujus rei testimonium idem rex Anglie illustris huic scripto sigillum suum apposuit.

Datum apud Westmonasterium, tertio die maii, anno regni ipsius domini regis Anglie decimo nono, per manus ipsius.

Ejusmodi mandatum extat archiepiscopi Coloniensis, nisi quod locus *tam de domina desponsanda, etc.*, in his litteris deest.

Apud Ariminum, Aquilegiam, Sibidatum, maio.

Imperator cum Conrado filio suo et de regno admodum paucis, mense madio apud Ariminum mare intrat, et in Aquilegiam vadit, exinde in Alemanniam profecturus. . . . . Mense junio de felicibus imperatoris auspiciis litterae venerunt in regnum, quomodo apud Sibidatum a principibus imperii magno fuerat cum honore receptus (1). Ricc. de S. Germano, *Chronic.* ad ann.

Apud Novum Forum in Styria, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Conradi abbatis Admontensis monasterii, renovat, inserit et confirmat privilegium eidem coenobio indultum a Friderico primo avo suo, de anno 1184, ubi possessiones monasterii ille recenset idemque jure advocatorum eximit.

---

(1) Prosperum imperatori successum paraverant archiepiscopus Maguntinus, episcopi Bambergensis et Eichstadensis et marchio de Baden, qui circa initium hujus anni de Apulia ad partes Alemanniae reversi fuerant.

Digitized by Google

(Edit. ap. BERN. PEZ, *Thes. anecdot. noviss.*, t. III, pars III, p. 682 et 678.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus II, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Inter cetera que titulos Cesaree dignitatis extollunt, id potissime nostris utilitatibus censemus attribui quod divinis locis et Deo dicatis ecclesiis tam liberaliter quam misericorditer impertimur. Eapropter notum fieri volumus universis imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris quod constitutus in presentia nostra Conradus, venerabilis abbas Admontensis ecclesie, fidelis noster, excellentie nostre quoddam privilegium presentavit eidem ecclesie olim a divo augusto avo nostro imperatore Friderico memorie felicis indultum, attente supplicans ut privilegium ipsum innovare et ea que continentur in ipso sibi, successoribus suis et eidem ecclesie confirmare in perpetuum dignaremur; cujus privilegii tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus Romanorum imperator augustus. Equitas rationis et censura justicie majestatem nostram ammonent et invitant ut ad munimen et protectionem ecclesiarum Dei quibus ordinatione divina prodesse tenemur et adesse, solatium gratie nostre clementer extendamus, specialiter autem ad illas a quibus orationum suffragia et spem salutis nostre gaudemus in Christo Jesu suscipere. Hujusmodi namque affectuoso pietatis opere sic per bona temporalia transire speramus ut, eo propitiante qui dat salutem regibus, eternam beatitudinem consequi mereamur. Eapropter cognoscant universi Romani imperii fideles presentes et futuri quod nos intuitu divine remunerationis et nostra omniumque parentum nostrorum salute, necnon et respectu religionis ac obtentu participationis bonorum operum et orationum Admundensis congregationis, eamdem Admontensem ecclesiam, abbatem, monachos et fratres ibidem Deo servientes, familiam et omnia bona predicto monasterio pertinentia, sive a fundatore Gebhardo Salzpurgense archiepiscopo et ejus successoribus, sive ab aliis fidelibus tradita seu fratrum labore et industria rationabiliter conquisita, sicut in privilegio pie recordationis Chunradi senioris et aliorum successorum ejus suis distincta

censentur vocabulis, videlicet hec : Ex dono bone memorie Gebhardi Salzpurgensis archiepiscopi fundatoris ejusdem cenobii in valle Admontensi fundum ecclesie Sancti Blasii et quecumque Hemma comitissa ibi habuit; patellam salis in vicinia monasterii apud Halle et maximam partem adjacentis nemoris; ex dono successorum ejus Tiemonis et Chunradi et Ebirhardi archiepiscoporum curtem ex altera parte alvei qui dicitur Admunt et reliquum nemoris et preconium ultra fluvium Anesis; patellas et salinas apud Halle cum augia que adjacet flumini predicto et forestum omne ad Wenge pertinens cum novalibus, curtes Rudindorf, Kriezowe, Pleberch, Arnich, Rute, Chrumpowe, Jonspach, et que dederunt predicti episcopi in variis usibus alpium et montium ubi sal coquitur et ferrum foditur, cum agris, silvis, pratis, aquis, aquarumque decursibus a rivulo Zedilze usque Frodnize et a Lusah usque Slayph cum piscationibus et venationibus in predictis terminis et apud Sanctum Gallum novalibus et omnibus justitiis suis in eadem valle sua et in nemoribus seu montanis eorum tam remotis quam prope positis sive in Karinthia seu Marchia vel in omnibus prediis suis, ubicumque vene salis seu argenti vel ferri aut cujuslibet generis metalli fodine reperiri poterunt. Ex dono quoque Chunradi primi domum hospitalem Friesach cum prediis et omni jure suo; ex dono nobilium quorumdam, Reinheri videlicet et Petrisse et aliorum consanguineorum Liutoldi abbatis Admuntensis, allodia Tovernich et Chirchaim cum omnibus pertinentiis suis, predium ad Segeriz, predium ad Cholmunz, in Gnessow et Purchstall, predium in Tobilarn et Micheldorf. Ex dono Chunradi secundi archiepiscopi predium Rapotindorf et Guetinbrunnen et Aichen et aliis possessionibus Machthildis matrone. Ex dono Gebehardi archiepiscopi predium Zezzen et Altenhoven et Lelin, predium ad Piswich et in Zozzin. Ex dono marchionis Otakari et ejus filii Oda ducis alpem Schoverin ad idem predium pertinentem, quidquid apud Grazlup et Pals habent. Ex dono Gebhardi predium Tiufenpach et Aichdorf, Praitenvurt cum omnibus pertinentiis eorum, quicquid apud Gurzeim et Wenge et in Thauro monte habent, et Triebin cum omnibus pertinentiis suis, predia ad duas Griezin et Dietmarsdorf, Perndorf, Siginsdorf, Stade, Strechowe, Puhel cum omnibus

Digitized by Google

pertinentiis suis. Ex dono Chunradi primi archiepiscopi predium Jeringe inferius. Ex dono Gebehardi Jeringe superius cum omnibus appenditiis eorum. Ex dono Chunradi et Ebirhardi archiepiscoporum predium Gotefridi, Mukkinnowe cum omni jure suo, predium Gazzowe et Velkis cum adjacentibus prediis, predium Averam et Culme, predium Lazlawsdorf, silvam quam dedit Otaker dux inter Losniz et Gamniz, predium Strazganch quod fuit Guntheri marchionis et Conradi comitis de Pilstein, et Stubenich et Fustriz cum omnibus pertinentiis suis et cunctis que in Marchia habent prediis, predium Ratelach quod fuit comitum Weriandi et Pernhardi, quicquid habent Lufniz, Waltinpach, Chomer et Mutarn. Ex dono nobilium Treboch et Tunewiz, quinque curtes ad pontem Sancti Stephani cum molendino, quicquid apud Sanctum Benedictum et Puech et Lobnick et Chrotendorf et Chrowath et juxta Muram fluvium et Liesnich et apud Lungowe et Chats prediorum habent. Ex dono nobilium predia Mitterndorf et Pirchenwanch et Selsniz. Ex dono Ebirhardi archiepiscopi duos mansus in villa Techanschirchen. Ex dono nobilium quecumque apud Wurvilach, Potsach, Gomvaren, Pfafstete, Modelansdorf et Aichove et Volindorf possident. Ex dono Wielandi et uxoris sue Jute predium Chrowat et Vurvelath et Gumpoldischirchen, vineam ex dono Gebhardi, Rust, Arnisdorf, Welmnich, Winden cum appenditiis eorum, apud Wachowe quidquid comes de Wolfrathusen, apud Prunnen quicquid Fridericus advocatus, apud Luthinowe quidquid Godefridus de Weterfeld eis dederunt. Ex dono nobilium vineta apud Chremise cum molendino et quecumque inibi et apud Pielach et ubicumque in Austria apud Ens et Ulspuch, predium apud minus Halle quod Ducis nuncupatur, quecumque circa Housrukk et circa Wels possident, apud Treswiz et Luezen predia. Ex dono nobilium predia Haginperg, Wizzenbach, Obilarn, Gundakeringen, Slabenich. Ex dono archiepiscoporum apud Sundermaningen, Peukkam, Irintal, Tutisinpach, Aich, Winchlaren, Eberhartingen, Hovemarn quod emerunt, predium apud Hus superius et inferius, Inenswalde et Rastat, Schratengastei, Uricenwalde, Pongowe, predia cum novalibus usque Horginprukke, predium Mitternhowe, Wenge, Elmowe, a Gebhardo archiepiscopo Salzpurch[ensi] Hyrshalm cum ap-

penditiis eorum, in villa Baierhalle quecumque a comite Pertholdo et Ottone Palatino dono vel concambio acquisierunt. Ex dono nobilium quidquid apud Pergen, Imberheim, Hatiprechtisprunnen, Hasilbach, Surloch, Hesilwanch, Wilpach, Wetilchaim, Uralsdorf, Cramperch, et quecumque in Bavaria habent, predium Elsindorf, quod fuit Ulrici et Pernhardi, et omnia que ibidem emerunt. Hec ergo omnia que Admontensis ecclesia in pretaxatis locis et aliis similiter legitime possidet et quecumque ei pertinent in terris, agris, vineis, [aquis] aquarumque decursibus, silvis, pratis, pascuis, locis cultis et incultis infra terram et supra terram, et ea quecumque post indulta eis privilegia vel ante eorum collationem justo adeptionis titulo dinoscuntur possedisse vel prestante Domino in posterum juste sunt adepturi, sub alis et aquilis imperatorie majestatis conservanda suscepimus et defensanda; constituentes ut debita usuum integritate possideant que de regalibus imperii a Salzburgensi ecclesia nomine elemosyne susceperunt et possidere dinoscuntur. Ad augmentum quoque imperialis gratie clementer eis indulgemus et confirmamus ut in secularibus judiciis per omnem vallem ipsorum nullus advocatorum vel aliorum judicum quippiam sibi juris vendicet, sed abbatem et fratres ejus sicut hactenus habuerunt libere respiciant. Insuper adjicientes imperialis edicti vigore ut quemadmodum Gebhardus comes de Purchousen, advocatus quondam monasterii, et successor ejus patruus noster dux Austrie Hainricus advocatiam ejusdem monasterii habuisse dinoscuntur, et sicut idem dux Hainricus et filius ejus dux Liutpoldus privilegiis suis eidem confirmaverunt ecclesie, ita irrefragabiliter observetur: scilicet quod nec ipsi advocati nec fideles eorum placita, bannos, modios vel pecudes a fratribus ipsis vel hominibus eorum exigant. Insuper ut nec ipsis advocatis nec aliis potestatibus liceat advocatia bonorum ejusdem ecclesie quempiam inbeneficiare, sed fideles et amicos suos dilectionis tantum intuitu tutores ac defensores monasterii instituat. Id ipsum quoque in tota terra ducis Stirensis consanguinei nostri et in Karinthia perpetim observandum statuimus. De libero quoque per omnem terram ducis Styrensis transitu et teloneo ab eis non exigendo, sicut ipse dux Otaker et pater ejus fratribus jam dicte indulserunt ecclesie, et nos

Digitized by Google

indulgemus et confirmamus; statuentes et imperiali auctoritate sancientes ut nulla omnino persona humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, hanc auctoritatis nostre paginam aliquibus damnis injuriarum seu calumniis audeat attentare. Quod qui fecerit majestatis reus quinquaginta libras auri puri pro pena componat, dimidium fisco imperialis camere et reliquum injuriam patienti ecclesie.

Hujus rei testes sunt : Chunradus Moguntinus archiepiscopus, Philippus Coloniensis archiepiscopus, Hermannus Monasteriensis episcopus, Martinus Misnensis episcopus, Chunradus Lubicensis electus, Liupoldus dux Austrie, Fridericus dux Suevie, Ludwicus comes de Spizimberch, Engilbertus comes de Gurtze, Heinricus comes de Vietse, Otto de Lenginbach, Herkimbertus de Haginowe, Khrafto de Emizinisbach, Engilscalcus de Ura, Lutwinus de Sunninberch, Ulricus de Stowiz, Heinricus de Dunkinstein, et alii quamplures.

Signum Friderici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Gotefridus imperialis aule cancellarius, vice Chunradi Moguntine sedis archiepiscopi et Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. C. LXXXIIII, indictione II (*a*), regnante domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XXXIIII, imperii vero XXX, feliciter. Amen.

Datum apud Moguntiam.

Nos autem predicti abbatis devotis supplicationibus annuentes, de speciali gratia qua ipsum abbatem, fratres et eamdem ecclesiam cum omnibus bonis suis protegere volumus et tueri, predictum privilegium huic nostro presenti privilegio de verbo ad verbum inseri jussimus, omnia que continentur in eo predicto abbati, fratribus et successoribus eorum ac memorato monasterio auctoritatis nostre munimine perpetuo confirmantes. Statuimus igitur et imperiali sancimus edicto quatenus nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis confirmationis nostre paginam predictos abbatem, fratres et successores suos ac sepefatum monasterium in aliquo molestare presumat. Quod qui presumpserit preter indignationem nostram centum librarum auri pena plectatur,

(*a*) Deest omnino notitia mensis.

Digitized by Google

medietatem fisco nostro, reliquam parti (*a*) predicti monasterii exsolvendam. Ut autem hec nostra confirmatio robur obtineat perpetue firmitatis, presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Eberhardus Salzpurgensis archiepiscopus, Ekkibertus Babenbergensis episcopus, Chunradus Frisingensis episcopus, Fridericus dux Austrie, Bernhardus dux Karinthie, M. dux Lotharingie, Hermannus magister hospitalis Teutonicorum, comes Hermannus de Orlamunde, comes Meinhardus de Gorze, comes Heinricus de Graifespach, . . . comes de Sulze, Heinricus marescalcus de Bapinheim, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia Romanorum imperatoris invictissimi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXV, mense maio, indictione VIII, imperante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus XV, regni vero Sicilie XXXVIII, feliciter. Amen.

Datum apud Novum Forum in Stiria (1), anno et mense et indictione prescriptis.

Apud Admont, 31 maii. Fridericus II hujus nominis, Theutoniae partes ingressus, apud nos (2) solempniter susceptus est quarta feria infra Pentecosten. *Chronic. Admont.* ad ann. 1235, ap. Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IX, p. 593.

(*a*) Ap. Pez *reliquam partem*, minus recte

(1) Scilicet *Neumarkt*, inter Friesach et Judenburg.

(2) Scilicet apud *Admont*, celebrem Styriae abbatiam, super flumen Enns, non procul a Rottenmann.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, Heinrico abbati Cremsmonasteriensi privilegium confirmat quod tempore regni sui anno 1217 eidem coenobio concessit (1), idemque renovat et inserit. Apud Welse, junio.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 161, n° 795, ex copia, minus ut videtur integra, quam ipsi communicavit Stülz.)

Hujus rei testes sunt : S. Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius, frater H. ordinis Theutonicorum magister, etc. (*sic*).

Datum apud Welse (2), anno dominice incarnationis M. CC. XXXV, mense junio, octave indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium in veteri Honowe (Althohenau), Salseburgensis dioecesis, cum omnibus bonis et personis in specialem protectionem suam recipit. Apud Ratisponam, junio.

(Edit. ap. HUND, *Metrop. Salseb.*, t. II, p. 80, et in *Monum. Boic.*, t. XVII, p. 2, ex originali unde sigillum tunc pendebat illaesum.)

Fridericus, Dei gratia [Romanorum] imperator et semper augustus, Jerosolyme et Sicilie rex, universis per Romanum imperium constitutis gratiam suam et omne bonum. Per presens scriptum nostrum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nobis feliciter transeuntibus per Bavariam, priorissa et conventus in veteri Honowe, Salceburgensis diocesis, nostre celsitudini supplicavit quatinus monasterium, ipsas et bona earum que in presenti possident et

(1) Vide supra, t. I, p. 514 et seqq., ubi privilegium integrum exhibetur.

(2) Locus Austriae super flumen Traun, inter Lambach et Neubau.

Digitized by Google

in antea justo titulo poterunt adipisci, sub nostra et imperii protectione recipere dignaremur. Nos igitur piis earum precibus favorabiliter annuentes, illius intuitu cui sacra cœnobia sunt dicata, apud quem feminei sexus devotio locum non infimum promeretur, predictum monasterium, priorissam pariter et conventum, familiam et omnia bona earum sub nostra et imperii protectione recipimus speciali, universis scripti auctoritate mandantes quatinus nullus sit qui predictum monasterium, priorissam et conventum ejusdem, familiam et bona earum audeat contra presentis confirmationis nostre paginam inquietare vel temere perturbare. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus itaque protectionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum sibi fieri fecimus et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum apud Ratisponam, anno dominice incarnationis M° ducentesimo tricesimo V°, mense junio, VIII indictione.

Apud Nuremberg, 17 junii.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Rudegeri Pataviensis episcopi, judicibus ejus jus gladii et securis in reos criminum ultimo supplicio puniendos ex gratia sua concedit.

(Edit. ap. *Monum. Boica*, tom. XXXI, pars 1ª, p. 565, e codic. Passav. III, fol. 73, b.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, venerabili Pataviensi episcopo Rudegero, dilecto principi suo, gratiam suam et omne bonum. Supplicationibus ex parte tua porrectis excellentie nostre ut liceat judicibus tuis reos criminum et culpis suis exigentibus ultimo supplicio condempnandos gladio vel securi ferire, benignum prestantes assensum, concedimus ex gratia nostra licentiam ipsis judicibus ut si quando casus emerserit reos criminum, quos pro facinoribus suis ultimum juste manet supplicium, condempnare et

Digitized by Google

facere decapitari, possint auctoritate culminis nostri gladio vel securi [ferire].

Datum apud Nuremberch, XVII junii, VIII indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, universis per imperium constitutis domum hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum commendat, monens ut fratres et omnia bona eorum fovere et defensare curent. Apud Nuremberg, 22 junii.

(Edit. in *Brandenburgische usurpazions-geschichte in den Frankischen Kreislanden*, p. 90, n° 41.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, dilectis principibus suis venerabilibus ecclesiarum prelatis, ducibus, marchionibus, ministerialibus, scultetis, advocatis et universis per imperium constitutis, quibus presentes littere ostense fuerint, fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Cum sacram domum hospitalis Sancte Marie Teuthonicorum in Jerusalem, velut opus predecessorum nostrorum cujus incrementis intendimus, nostre serenitatis gratia complectatur, et fratrem Hermannum magistrum ipsius domus fidelem nostrum in conspectu nostro gratissimum reputemus, eam protectionis nostre robore munientes, universitati vestre domum eamdem potissime commendamus, mandantes attentius et monentes quatinus domos suas, Theutonicos fratres, familias et omnia eorum bona ob honorem culminis nostri fovere et defensare curetis; favorem vestrum addentes eisdem quo per terras et posse vestrum in omnibus oportunitatibus earum gaudeant et utantur, et vestra insuper defensione muniti non timeant inimicos vel injurias malignorum. Cum enim domus et omnia bona sua sub nostra et imperii speciali protectione consistant, quidquid eis confertur gratie vel favoris reputamus admodum gratiosum, et molestias et dampna sua non possumus equanimiter sustinere. Volumus insuper universis et

Digitized by Google

singulis favorabiliter se gerentibus circa eas, teneri ad merita gratiarum.

Datum apud Nuremberch, XXII junii, VIII indictione.

Apud Nuremberg, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, petente Engelberto abbate Ebracensi, privilegium a se tempore regni sui eidem monasterio indultum inserendo renovat, et in eo contenta iterum confirmat.

(Edit. in *Privilegiis Eberacens.*, 11ª sectio, p. 6, nº 47; —ap. Schütz, *Corp. Hist. Brandenb.*, IV abtheil, 75, nº 38, sed erronee ad ann. 1237, 5 junii, — et in *Monum. Boic.*, t. XXXI, pars 1ª, p. 563, ex diplomate confirmatorio Rudolphi I, dato ap. Nuremberg, 15 decemb. 1274.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod E. venerabilis abbas Ebracensis (1), dilectus fidelis noster, in nostra presentia constitutus quoddam scriptum quondam dicto monasterio a nobis indultum tempore regni nostri, nostre celsitudini presentavit; humiliter supplicans ut ipsum innovare et omnia que continentur in eo ipsi abbati, successoribus suis et jam dicto monasterio confirmare de nostra gratia dignaremur. Cujus tenor talis erat :

Fridericus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, et rex Sicilie. Tam publicorum serie instrumentorum, etc. [*Sequitur privilegium de parochia Schwabach*, datum Nuremberg, 26 februarii 1213. *Vid. supra*, t. I, p. 251.]

Nos igitur supplicationes dicti abbatis favorabiliter admittentes, predictum scriptum huic nostro scripto de verbo ad verbum inseri jussimus, universa que continentur in eo predicto abbati, successoribus

---

(1) Abbas Ebracensis per *E.* indicatus deest in catalogo Bruschiano, *Monast. Germ.*, 449; innotescit autem ex aliis monasterii Ebracensis documentis ap. Ussermann, *Hist. episcop. Wirceb.*, 1, 339.

Digitized by Google

suis et dicto monasterio in perpetuum de nostra gratia confirmantes; mandantes et firmiter injungentes quatenus nullus sit qui dictum abbatem, successores suos et monasterium ipsum contra hujusmodi confirmationis nostre tenorem in aliquo molestare vel perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus autem confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : S. Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius, E. Babenbergensis episcopus, A. dux Saxonie, M. dux Lotaringie, frater H. magister domus Theutonicorum, comes H. de Orlamunde (1), comes A. de Herrenstein, et alii quamplures.

Datum apud Nuremberg, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense junii, indictione VIII.

---

(1) Ex laudatis editionibus comes Orlamundanus per *H.* indicatus legitur *Heinricus*. Verum inter hosce comites istius temporis potius occurrit *Hermannus*, circa ann. 1249 defunctus, relictis filiis adhuc minorennibus Hermanno et Ottone ex Beatrice sorore ultimi ducis Meraniae, ann. 1248 mortui. *Not. Monum. Boic., ibid.*, p. 564 *e*. Cf. supra, p. 548 et t. III, p. 343.

FINIS PARTIS QUARTAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google